



M

PETRI SALII DIVERSI MEDICI, AC PHILOSOPHI FAVENTINI

De Febre pestilenti Tractatus,

ET


Curationes quorundam particularium morborum, quorum tractatio ab Ordinarijs Practicis non habetur.


ATQVE

Annotationes in Artem Medicam de medendis humani corporis malis à Donato Antonio ab Altomari Neap. conditam.









BONONIAE,
Apud Ioannem Rossium. MDLXXXIIII.
Curiæ Archiepisc. & S. Inquisit. concessu.

PETRI SALII DIVERSI
MEDICI, AC PHILOSOPHI
FAVENTINI
De Febre pestilenti Tractatus,
ET
Curationes quorundam particularium morborum, quorum tractatio ab Ordinarijs Practicis non habetur.

ATQVE

Annotationes in Artem Medicam de medendis humani corporis malis á Donato Antonio ab Altomari Neap. conditam.




BONONIAE,
Apud Ioannem Rossium. MDLXXXIIII.
Curiae Archiep. & S. Inquisit. concessu.

AMPLISSIMO,
AC PERILLVSTRI
DOMINO,
D. ANNIBALI GRASSIO,
Fauentinorum Episcopo, & Romandiolæ, ac Hexarchatus Rauennæ dignifs. Prolegato.



Petrus Salius Diuersus, S.



DIGNITAS, & Virtus, ij duo sunt fontes, Antistes Amplissime, quibus potissimum homo hominibus cæteris præstare potest. Dignitas quidem, quoniam authoritate, quam moderando, coercendo, imperando, regendo, & gubernando exercere potest, supra alios eminet: Virtus autem, quoniam illustribus animi ornamẽtis, quæ docendo, monendo, suadendo, dissuadendo, exemploq; proprio commonefaciendo demõstrare valet, præ cęteris fulget. Hinc duo hęc orbis terrarum, tanquam suprema humanarum re-

rum fastigia extollit, animoq; prosequitur, non æquè tamen. Dignitates enim admiratur, timet, & honorat; at virtutes suspicit, diligit, & veneratur. Qui homo harum alteram adeptus erit, magnum quidem splendoris specimen consequutus videbitur. sed qui vtraq; donatus fuerit, hic omnem, & absolutum gloriæ gradum sibi comparasse iudicandus erit; is enim, in quo & Dignitas, & Virtus conueniunt, præstantiam amplissimam, summamq; excellentiam consequutus est. Has duas in te ipso excellere partes, Reuerendissime Præsul, cōsiderans, tuiq; præstātiam admirans, & Dignitatē tuam summa, qua potui, semper veneratione colui, & virtutem impensè, incredibiliterq; amaui, ac vtranq; in te, tanquam hæreditariam familiæ tuæ obseruaui, in qua ita Dignitates, & Virtutes claruere, vt per sæcula (non dixerim per annos) ex ea orti fuerint alij rerum publicarum moderatores, alij ecclesiarum principalium Rectores, alij Episcopatuum Administratores, alij qui Cardinalatus præclarissima insignia sint consequuti, alij Doctores celeberrimi nati sunt, qui & Bononiæ (quę tui Patria est Nobilissima) & Romæ, & apud exteras nationes publicè docendo, & priuatim consulendo, & in omnibus iustissimè iudicando, monumentisq; literarum sua prodendo, semper plurimum valuerunt; totque hi fuerunt, vt non plures ex equo Tro-

iano

iano duces prodierint, quã ex tua familia Viri prę-
ſtantiſsimi orti ſint. in qua mihi iure quaſi hæredi
tario ita Virtutes, & Dignitates cõſociari videntur,
vt non mirũ ſit, ſi per ſæcula tot agnationis tuæ flo
ruerint Clariſsimi viri, ſiq; tu ipſe in eadem nunc
plurimum floreas. qui in ſtudijs non tantùm huma
narum rerum, in quibus docendo, conſulendo, di-
ſputando, & ſcribendo admodum profeciſti, ſed
etiam diuinarum, in quibus quantum excellas, di
cant, qui te concionantem, & docentem Populum
Fauentinum (vt optimum decet Paſtorem) verbũ
Dei audierint, adeò præſtas; vt, cum etiam eccle-
ſias nobiles religioſè rexeris, legationes externas, &
pręcipuè ad Philippum Hiſpaniarum Regem, & In
uictiſsimi CAROLI V. Imperatoris filium integer-
rimè, ac feliciſsimè obieris, Almæ Vrbis Academiã
prudentiſsimè moderatus fueris, Epiſcopatum ſan
ctè adminiſtraueris, Prouinciamq; noſtram piè, ac
iuſtè gubernes, non minus tamen ſplendoris tibi
Virtutes, quàm dignitates attulerint: quas ambas
in te ipſo ego obſeruãs, & circũſpiciens, prę cæteris
nihilominus tui fidem, pietatem, charitatem, & in
tegritatem animi ſemper admiratus ſum, & ſum-
mopere probaui. Hinc ego me totum, cum animũ
candore, & virtutibus exornatum, Virtutemq; ip-
ſam omnibus rebus ſemper prętulerim, tibi dedidi,
& ſtudioſè ardentiq; animo, cum hoc ex tua gra-

tia tibi libuerit, inseruiui, studiaq; mea, qualiacũq; fuerint, Dignitati, & Virtuti tuæ addixi. Hoc cum à me firma lege sancitum fuerit, iure tibi dicanda erunt, quę ex meis studijs ego censeo publicanda esse, non profectò, vt consumatos viros hinc docę dos existimem, sed vt eos tantùm, qui Artis Medicæ ministerio initiantur, exemplo eorũ, quæ à me tractantur, cõmonefaciam, quanta cum attentione, & sedulitate in Veterum perlegendis scriptis versari debeãt. hic enim plura animaduertent, quæ Antiquitas, priscaq; illa Medicorũ Academia vel clarè docuit, vel saltem eorum fundamenta, licèt obscurè, altius iecit: quæ tamen adeò posteritas neglexit, vt Tyrones, qui priscorum monumenta diligenter non perquisierint, hæc nõ possint attingere, cum eorum verã cognitionem aliunde sibi comparare non valeant. Quod cum ob nonnullos à nouissimis Medicis omissos, & non declaratos morbos magno esse humano generi detrimento possit, hinc videant alij, & iudicent, an meo exemplo moniti, qui artẽ hanc totã ex recentiorum legibus, & pręceptis exercere profitẽtur, possint aliquã languẽtibus vtilitatem afferre. quæ si multa nõ erit, minima tamen esse nõ potest, cũ de salute hominis eiusq; vita, quæ tãti ęstimãda est, vt cũ præsens nullã recipiat ęstimationẽ, nec vllo thesauro semel adẽpta redimi possit, nihil ei æquandum sit, hic agatur.

in

in cuius gratiam solum hæc à me tradita sunt; non profectò, vt ex his honorē, cōmodumuè aliquod mihi comparem: illum enim ex tam leui labore nō spero: hoc autem nec desidero, qui solam omnium vtilitatem respiciens sub communi hominum iudicio hæc prodo. quod licèt nouerim, quàm sit seuerum, & periculosum: recta fretus tamen intentione non diffidam hæc cęteris communicare, potissimum autē cum hoc sub tuo auspicio facturus sim. qui cum & Virtute, & Dignitate plurimū polleas, multum etiam splendoris eis es allaturus, si ea hilari frōte accipies, meumque hoc institutum ęqui boniq; feceris. hàc autem vnicam partem ego attendēs satis mihi fecisse videbor, si hoc cōsequutus fuero. Accipere igitur digneris libenti animo, quę nomini tuo dicanda, cęteris autem cōmunicanda censeo. & quemadmodum mihi hoc maximè cupio, ità tibi omnem felicitatem deprecans, D.Op. Max. vt virtutes, & dignitates tuas semper fortunet, & augeat, supplicabo. Vale Fauentiæ Idibus Martij, M D L X X X I I I.



AD PETRVM SALIVM DIVERSVM

Lib. Authorem Origenis Salechij I.V.D. Fauentini Carmen.

EVius Petre Sali Diuerse voluminis ergo,
Audi a nominibus carmina ducta tuis.
Es PETRA iam gemmas inter numerãda priores,
Petra basis Patriæ, firma columna domus.
SAL putris medicina mali condire paratum,
Non nisi Principibus, Cœlitibusq; dapes.
Incorrupta tuo stat munere gloria nostri
Temporis, & solido plus adamante viget.
Namq; aliud nullum DIVERtitur orbe volumen,
Perq; pari medicas laude, & honore manus;
Nec tot habet Cœlum stellas, non æquora pisces,
Quot DIVERSA ægris arte leuamen erit.
Petre Sali Diuerse, PETRAE non more deorsum
Ire, SALire datum sed super astra tibi.
Nescit at æquali tecum se tollere SAL tu;
DIVERtitq; silens fessa camena pedem.

In eundem Gregorij Zucculi, Philosophi Fauentini.

QVas homo subrepti pęnas luet amplius ignis,
Iapeti nato decipiente Deos.
Frustrà tuli maciem terris, febriumq; cohortem,
Irati veni nuncia frustra Iouis.
En morbos, qui etiam poterant sæuire latentes,
Quàm facili doceat, curet & arte Petrus:
Talia Pandora dicente, exclamat Apollo;
Munere non hæc sunt præmia digna meo.
Author ego medicinæ, atq; hic Authoris alumnus,
Vt Peon quondam, Cous & ipse senex.

Iulij

NVllius Ars hominis Naturæ iuncta leuabat
Corpora pestifera febre coacta mori;
Cum pater omnipotens Cœlo te misit ab alto
Febribus his medicas, Petre adhibere manus;
Scis medicas adhibere manus his febribus vnus,
Certet qui hac tecum laude nec alter erit.
Hæc igitur, tanti quæ dant medicamina morbi,
Sunt cuiuis Medico scripta ferenda sinu:
Vnde SALUS alijs; melior tibi vita paratur,
Cuius semper erunt gloria, fama, decus.

Peregrini Caponis Philosophi, ac Med. Bononien. de Authore.

PHarmaca si miscet pestis; firmissima PETRA est:
Si numerat causas, nomina, signa SAL it;
Doctorum longo voluens examine libros,
Euertit verus dogmata falsa virûm.
En Petrum, Salium, Diuersum, munera iungunt;
Est PETRA, euertit, magnus & arte salit.

In eundem Alex. Gottarelly Ar. & Med. Doct. ex Cast. Bonon.

MOrborum occultas vires, febresq; malignas,
Detegit hoc libro Petrus, & addit opem.
Vnde hic Italici decus admirabile soli
Aequauit Græcos, superat & Latios.

Camilli Aurelij Cesenatis ad eundem.

ES Petre PETRA SAL, de qua SALit vnda SALubris,
Corpora pestiferis febribus vnde carent:
Quicunq; igitur cupiunt lethales pellere morbos,
Ad fontem properent hunc SALientis aquæ.

TA-

TABVLA TRACTATVS Febris Pestilentis.



-A T De præ-

TABVLA PARTICVLARIVM ægritudinum.


De Iſchia-



PETRI

PETRI SALII DIVERSI MEDICI, AC PHILOSOPHI FAVENTINI.

DE FEBRE PESTILENTI, PROOEMIVM.





Vm finis Medici sit rectè curando benè mereri de genere humano; ita inuigilare debet, vt eius artis studia excolendo, nihil incognitum, intẽtatumuè prætermittat eorum, quorum negligentia, aut ignorantia, ægrotantes vel lædere, vel perdere possit: sed omnia hæc ita eum inuestigare, & perscrutari decet, vt illorum certã adeptus scientiam tutò, & summa cum ratione medendo implorantibus Medicinæ auxilium manus admouere queat. Hoc quantũ sit difficile, non rudes, & imperiti, sed Viri ij grauissimi, qui noctes, diesq; in hisce studijs sudarunt, & alserunt, verè dignoscunt, & iudicant: cum. n. ij vndequaq; omnia, quæ ad artis nostræ studia pertinent, perscrutauerint, indagauerintq;, plurima discriminis, & periculi plena circunspiciunt, modoq; has medicinę partes mutilas, modò illas superfluas, & obscuras nonnullas esse animaduertunt. hincq; illis alias addendas, istas resecandas esse docent, omniumq; obscuritatẽ illustrantes ita hæc nostra studia exornare, & perficere nituntur; vt qui his initiati sunt, nec rerũ imperfectione, nec difficultate deterriti, auidius hęc eadem amplexentur, tutiusq; quam pollicetur languentibus ars nostra, misericordiam, in auxilia laborantium incumbentes pręstare possint. Hos ego admiror, extolloq;, cum eos

non sibi ipsis tantùm, sed etiam publicæ humani generis vtilitati inseruientes, dum fastigia huius artis vel docêdo, vel scribendo, attingunt, dumq; proprios labores, & studia alijs communicant, magnum quid, & supra hominis naturam consequutos videam: nam inuidentiæ crimine carêtes, Deiq; misericordiam, & pietatem æmulantes omnibus æqualiter hominibus Medicæ artis auxilio indigêtibus proprijs studijs succurrere, & opportunè consulere nituntur. Quos ego imitatus, non quòd in eorum catalogo describi velle audeam, cum nec tam impudens arrogansuè sim, vt tanta eorum merita mihi censeam ascribenda esse: sed quia eorum pium, ac sanctum consulendi publicæ vtilitati desiderium animo æquans, quæ ad perficiendam rectam curandi febres pestilentes rationem in vnum redegi, quæq; ab alijs non animaduersa de quibusdam particularibus ægritudinibus notaui, omnibus communicare decreui, non profectò, vt cæteros doceam, cum hoc grauissimos Viros, & qui artem consumasse videntur; tantummodò deceat. Sed ut Tyrones harum particularium curationum exemplo commonefaciam, antiquorum volumina nô ita conniuentibus oculis legenda, omniaq; adamussim consideranda esse: vt hinc, habita integra morborum cognitione, eorundemq; desumpta recta methodo, & curatione, languentibus, & consulendo, & medicamenta administrando possint, quam eis implorantibus nostræ opis auxilium pollicetur ars Medica, vtilitatem, & iuuamentum præstare. Initium autem capiês à sæuissimo morbo, qui vt plurimû ægrotantes perdere consueuerit, febris pestilentis tractationem ita exordiens aggrediar.

In Febrium catalogo quæ sit pestilens; & de ea quæ tractanda sunt. Cap. I.

Febrium, quot sint differêtiæ. A Febribus corpus humanum incalescit, quoniam inde cor, quòd est totius caloris, & vitæ fons, calorê concipit.

concipit. Calor autem iste vel in substantia ipsius cordis hæret, vel in ipsum aliunde emanat. in substantia cordis calor firmatus est in febribus hecticis:nã in his cordis corpus non calescit, sed calefactum est, & calorem in habitu concepit, vnde nomen hecticarum febres hæ sibi asciuerunt. Aliunde autem in ipsum emanat, cum vel à spiritibus, vel ab humoribus cor ipsum incalescit. A spiritibus quidem incalescit, cum calefacti & accensi ipsi spiritus cor primum, & inde vniuersum corpus calore imbuunt, & hinc febris ephemera: quæ quoniam in materia tenui, dissipabili, vaga fundatur, ideò terminatur breuissimè, ità vt raro alteram duret ad diem; hęcq; sine vllo symptomate verendo accedit, sine timore aliquo, vt semper ratione ipsius sit salubris. Ab humoribus autem in cordis substantiam calor triplici emanat ratione. aliquando.n. humores calefacti tantum sunt, hancq; caliditatem ad cor ipsum transmittentes causant synocharum febrium diuersa genera; aliquando autem non calefacti ex simplici calore, sed eò quòd putredinem conceperc, cum omnia putrida alieno calore sint calida, calefacientes cor, febrium putridarum diuersa genera produnt, prout hic, vel ille humor, & prout in hoc, vel in illo loco idẽ putrescit. Quandoq; autem vltra putridum hunc calorem conceperunt humores labem, & qualitatem perniciosam, qua naturam conformem venenatæ materiæ adepti, putrescentesq; lacessunt cor tum caliditate putrida, tum venenata labe; & hinc febres pestilentes procreant, genus morbi ab omnibus prædictis & causa, & essentia diuersum. De hoc vltimo, qđ omniũ tum cognitione, tũ curatione est difficillimum, acturus primò essentiã eius declarabo, secundò differentias ponam, tertiò signa, vltimo loco curationẽ tradã.

De Febris pestilentis periculo, et difficultate, Cap. II.

NVLLVM morbi genus reperitur, à quo magis affligantur homines, quàm à febre ipsa. Mediciq; in

 hanc

hanc potiorem laboris sui partem impendent. licet.n. multo plures alij sint morbi, qui naturam humanam affligant, quàm febrium omnia genera, tamen frequentius, & plures inuadunt homines febres ipsæ, quàm cæteræ aliæ omnes ægritudines. & Medici, qui hanc artis partem callent, & recte faciunt, potissimam totius artis partem consumasse videntur. In curatione autem harum licet plurima occurrant discriminis, & laboris plena; nullibi tamen maior difficultas impendet, quàm in cognitione & curatione febrium pestilentium. nec aliunde manifestius imminet periculũ ægrotantibus, quàm ex febribus huiusce generis. periculum quidem magis manifestum est, quoniam materia peccans non sola vulgari putredine, sed supra id & qualitate venenata, & perniciosa cor fatigat. difficultas autẽ adest maxima; quoniam cum eius essentia non ita sit manifesta, nec etiam potest subsequi curatio admodũ fidelis, & tuta, vltra id, quòd multoties non nisi ab experto, (& vix aliquando) cognoscatur medico. adeo enim latenter hæc febris quandoq; inuadit, vt ęgrè ab exercitatissimo Viro, & qui in arte multum polleat, dignoscatur. Cum igitur tanta sit huiusce rei difficultas, & discrimen, laborandum nobis erit, & omni ingenio eniti debemus, tum vt essentiæ huius febris claram habeamus notitiam, tum vt ipsam præsentem, & inuadentẽ certò cognoscamus. his enim habitis, non erit difficile postmodum remedia opportuna pro curatione parare. Vt autem huius morbi perfectè essentiam assequamur, præmittẽda est communis notio huiusmodi febris. per hanc.n. habebimus, quæ febris sit pestilentis nomine donata, & nouerimus materiam, circa quam nostra versabitur speculatio.

De communi notione febris pestilentis. *Cap. III.*

Febres pestilẽs quæ sit, et quot modis contingat.

FEBRIS ea, communi omnium sententia, pestilens dicta est, quæ non intemperie sola, non putrido tantùm calore, sed etiam mala qualitate cor ipsum vitæ, & caloris innati

innati fontem lacefsit; hæcq; vt plurimum à fæuifsimis concomitata fymptomatibus folet in perniciem ægrotantium terminare. Quòd fi nonnunquam fubfequatur falus, non fine maximo medici timore, ægrotantisq; difcrimine hoc contingit. confueuitq; febris hæc, potifsimum eo tempore, accedere, quo peftilentes vigent conftitutiones, indifcriminatimq; plurimos eodem tempore inuadens verè graffatur, & populatur. Vnde rectà ratione dicta eft aliquando popularis. Quoniam autem aliquando ad harum conformitatẽ fiunt in corporibus humanis febres confimiles confimilem prædictis labem, & perniciem adiunctam habẽtes, Ideo non tantùm eæ, quæ fub cęlo, & anno peftilenti contingunt, dictæ funt peftilentes, fed etiam iftæ, quæ fparfim fiunt, licet abfit omnis peftis fufpicio, modò prædictis naturam confimilem retineant. Vltra has nonnullæ aliæ verè funt, & dicuntur peftilentes ab omnibus, quę nec fparfim, nec populariter vagantes, fed folo contagio inuehuntur; dum peftis regiónem aliquam non ex aeris inquinamento, fed per contactum tantum & per fomitem, vt aliquando viderunt patres noftri fuperioribus annis, ætafq; noftra vidit in pluribus Italiæ locis, Vrbibufq; nobilioribus peragratur. Peftis enim duplici ratione inuadere confueuit, aliàs enim accedit ex communi caufa, aliàs ex contagio tantùm; dixi ex contagio tantum, quoniam & quæ ex communi fit caufa, folet vtplurimum effe contagiofa, quamuis ea non ex folo contagio inuehatur. Ex communi caufa duplici euenit modo. primò quidem cum aer circũftans labem, & corruptelã aliquam conceperit, fiue hoc fit ex caufa vni loco tantum propria, ficuti ex halitu vaporofo, & perniciofo elato, vel à lacu aliquo, quòd corruptionem fenferit, vel ex fpecu recondito iam, & nunc aperto, vel ex cadaueribus infepultis, vel ex confimili aliqua alia exhalatione perniciofa, fiue hoc fit, quia cœlum vniuerfum ex cõftitutione peftilenti (hoc vel fit ab aftris, vel ex intem-

Peftis quot modis inuadere confueuit.

perie non naturali aeri inuecta, nunc non differo) praua cõceperit inquinamenta; Vnde ex hoc pestes vniuersales, ex illa particularis, vni regioni fiunt. Secundò autem ex communi euenit causa, cum ex praua, & communi victus ratione humores eò malignitatis deueniunt, vt praua infecti qualitate febres inferant letales: sicuti sæpè in caritate annonę assumptis in vsum humanum, & herbis, & radicibus, cæterisq; malis cibarijs: vel in potu, & ciborum præparatione aquis corruptis & vitiatis, nostra & antiquorum ætate visum est. Alias autem inuadit, & peragratur pestis nihil ad hanc nec aere, nec prauo victu, sed solo contactu conferente, per quem ab altero alteri communicata illa mala, & perniciosa qualitate, solum petit eos, qui cum his, qui laborarunt peste, consuetudinem habuerunt, vel quid eorum pertractantes per fomitem labem eam cõceperunt. His omnibus modis norunt homines hasce febres accedere, hasque vocant pestilentes, siue hoc sit ex pestilenti aeris constitutione, siue ex prauo victu, siue ex contagio. Et quoniam ad similitudinem harum, vt dictum est, inter morbos sporades aliquæ generantur febres consimiles, consimilem labem habentes; ideò & hæ cõmuni nomine (licèt nec pestis ex prauitate alimenti, nec ex contagio, nec ex aeris inquinamento vagetur) ab omnibus dictæ sunt pestilentes.

Febris pestilẽs, quæ inter sporades morbos contingit, an debeat potius appellari maligna, quã pestilens.

Quæ vltra id, quòd in conformitatem earum, quæ ex vitiato alimento, vel ex contagio, vel ex pestilenti oriuntur aere, pestilentes dicantur, à nonnullis etiam vocantur febres malignæ, seu febres mali moris, vel mali modi. quæ appellatio, licèt rei conueniat, quoniam omnis febris pestilens est maligna, & mali moris, tamen inconueniens est pro imponendo nomine huic febri; quoniam hoc exprimit morem, non speciem morbi. Vnde hic animaduertatur, quanti momenti sit eorum sententia, qui pro specifica denominatione huiusce febris, abnegãtes nomen pestilentis, imponant hoc nomen malignæ, vel mali moris. quoniam explicatio

Mos & species morbi differunt.

plicatio moris morbi non exprimit morbi ſpeciem ; & ſpecies morbi eſt quid diſtinctum à more, cum omnis grauis morbus, cuiuſcūq; ſit ſpeciei, poſſit eſſe mali moris. & dicere morem morbi, eſt dicere qualitatē, non ſpeciem. Vnde omnium rectè ſentientium cōmuni iudicio hæ febres verè dictę ſunt peſtilentes pro propria huius morbi ſpecie exprimēda. quæ etiā verè omnes ſunt malignæ, & mali moris. non tñ hęc duo coincidūt; quoniā omnis quidē febris peſtilens eſt maligna, nō tñ contra; cū plurimæ aliæ ſint febres malignæ, quæ tamē non ſunt peſtilentes. cū.n. mos morbi à ſuperuenientibus deprehendatur ſymptomatibus: in quocunque febriū genere praua, & ſæua ſubſequantur ſymptomata, in eodem praua, & maligna comprehendetur natura. febriſq; hæc & maligna, & cacohetes rectè appellabitur, licèt non ſit peſtilens, ſicuti omnes alij morbi, quibus praua, & ſæua eueniunt accidentia, licèt nullo pacto ſint peſtilentes, maligni, & cacohetes dicuntur. Vocantur igitur febres huiuſce qualitatis, & ſpeciei propriè, ac conuenienti nomine peſtilentes, quæ tamen non vnius ſunt generis, ſed diuerſi. Nam aliæ ponuntur diariæ, aliæ hecticæ, alię verè ſunt, & dicuntur putridæ. Omnibus hoc cōmune eſt, quòd perniciosa, & mala lædant qualitate. hicq; characteriſmus eſt, ac propria differentia, per quam differunt ab omni alio febrium genere. Sunt qui digladientur, æſtuentq; in probādo febrem peſtilentem eam tantùm eſſe, quę à communiſsima cauſa, videlicet ab infeſto, & peſtilenti aere ſolum producatur: tamen cum hi externas cauſas morbi huius ſolummodo, non autem eſſentiam, nec propriam eius differentiā in imponendo nomine atten dant, eorundem opinio à me non acceptabitur, qui Galeni, virorumq; præſtantiſsimorum ſententiam in hac re probaturus, rei eſſentiam explicaturus ſum, ſecundum quam potius, quàm ſecundum cauſas exteriores, nomen imponendum eſt. Cum autem rerum eſſentia nullo modo perfectè dignoſci queat, non cognita

Febres quæ idcendæ ſint malignæ.

Febres peſtilētis characteriſmus.

eius propria differentia; ideò ad perfectam febris pestilentis cognitionem videndum erit, in quo hæc mala qualitas consistat, vndeq; generetur. hoc enim habito, eius essentia poterit nobis satis innotescere.

Praua qualitas vnde ortum habeat, & generetur. Cap. IIII.

Instrumenta præcipua destinata à natura pro cõseruatione vitæ.

HVMANVM corpus, dum vita fruitur, in integraq; constitutum est sanitate, rectè omni omnium operationum genere fungitur. ad conseruationem autem, & tutelam harum omnium machinata est prudentissima Natura plura instrumenta, præcipuè autem duo, quibus dum & ipsa rectè disposita sunt, & nos ipsis recta vtimur ratione, tutatur corpus nostrum, conseruatq;. hęc autem sunt alimẽtum, & aer, sine quibus nec constare vita, nec operari possumus. Ista duo ad hoc apta sunt, dum temperamento, & natura nobis sunt familiaria. Temperamentum quidem fuit in alimento necessarium, quoniam si contraria se inuicem oppugnant, extinguũtq;, similia autem se ipsa amant, & cõseruant, animal per ea, quę sibi in temperamento sunt conformia, debebat manuteneri. hincq; factum est, quòd humidis etiam siue actu, siue potentia nutriri debebat. & quoniam amara carent humido, ideò hæc ad nutritionem omnibus alijs rebus sunt ineptiora: non sufficit autem ad conseruationem animalis sola conformitas alimenti in temperamento, sed requiritur etiam similitudo naturæ. Vnde factum est, vt id, quod vni animali est nutrimentum, alteri non fit. canis ex osse nutritur, equus ex palea, fęnoq;, aues nonnullæ ex seminibus duris, nonnullæ etiam ex cruda carne. quorum tamen nullum homini est alimentum. hoc non ratione temperamenti contingit, sed ratione dissimilis naturæ. Vnde euenit, vt id, quod vni est propriũ, alteri fit alienum. non enim omnes actiones, passionesq; mutuæ semper ratione qualitatum primarum fiunt. Sed plurimę aliæ cõtingunt, quæ nulla ratione nec ad primas, nec ad cæteras, quę

Alimentũ necessariò debet esse simile ei, qđ nutriri debet, & huius causa.

In alimento requiritur similitudo naturæ eius, quod nutriri debet.

Quare quod vni alimentũ est, alteri non fit.

Multæ actiones fiunt, quæ

quæ ex primis emergunt, ylla possunt ratione reduci, plurimæq; sunt, quæ ab illis distinctę, non à qualitate vlla, sed ab intrinseca rei natura, & forma eueniunt. quoniam autē à substantia rei hoc contingit, quæ à sensibus nostris longè dissidet; ideò nulla indicia, nulla signa, nullam omnino rationem harum actionum habemus, sed vnico experimento nobis patefiunt. hinc sanguinem hircinum, non alios videmus emollire adamantem. electrum, si allio, non autē alio succo madefiat, non amplius paleas trahere. magnetem nō lapides, non virgulta, sed vnicum ferrum ad se promouere. hoc autem non aliunde prouenit, quā ex propria vnius cuiuscunq; rei natura, ex huiusq; ad alteram conformitate. Conformitas hæc naturæ inter id, quod alimentum nobis futurum est, & corpus nostrum est necessaria, nec vnica tēperamenti similitudo satis esse potest. Sed vtrumq; ad hoc, vt quid sit alimentum, requiritur. s. & naturæ, & temperamenti similitudo. & sicuti multa nobis temperamēto similia reperiuntur, quę quoniam à natura nostra dissidēt, ideo nec ad nostram apta sunt nutritionem: ita multa alia inueniuntur naturę nostræ conformia, quę quoniam temperamentum nostro simile non habent, corpus nostrum nutrire nequaquam possunt. quales sunt margaritę, corallia, aurū, lapides preciosi. quæ cū sint naturæ nostræ amica, in multisq; vtilissima, ad nutritionem tamen inepta sunt. Ea igitur omnia, quę nobis & natura, & temperamento erunt similia, inter alimenta corporis nostri veniunt recensenda. quæ autem neutram harum conditionem, vel alteram tantùm retinent, nequaquam. Ista vero, quæ eo quòd nec ad temperamentum nostrum, nec ad naturam, nec ad vtramq; similitudinem habent, non possunt alimenta esse, in duplici sunt discrimine. vel enim sunt tantum nobis dissimilia, vel etiam contraria. Quæ sunt tantùm dissimilia, inter medicamenra connumerari possunt. quæ verò sunt contraria, cum naturam nostræ inimicam gerant, venena dicuntur; hęc autem

ab intrinseca rei natura, nō ratione qualitatum eueniūt

De his Gal. lib. 6. Epid. Cit. 6 com. 5.

Ad hoc, quòd aliquid sit alimentum quid requiratur.

Medicamenta quæ sint.

Venena quæ sint.

Alimentũ, medicamẽtum, et venenũ, in quo differunt, & conueniant.

autem tria inter se in hoc differunt, quòd alimentum nos tutatur, & conseruat nutriendo, medicamentum immutat alterando, venenum autem destruit corrumpendo. nec tamen adeò sunt hæc inter se distincta, vt omninò inter se disiuncta Naturam communem nullam retineant. Alimentum quidem, & venenum, quoniam illud à simili, hoc à cõtraria euenit substantia, nunquam in eodem communicant; at medicamentum, quod mediã gerit naturam, vtriq; copulari potest. idem enim potest esse & alimentum, & medicamentum, eò quod idem potest & nutrire, & alterare; & idẽ potest esse medicamentum, & venenum, eo quòd idẽ etiam possit & alterare, & corrumpere. nunquam tamen dabitur, quòd idem sit alimentum, & venenum. quoniam non eadẽ res potest destruere, & conseruare: nec ab eodem potest tutela, & corruptio deriuare. Aliquando quidem hoc euenit, vt id, quod aptè alimentum esset, omniq; similitudine accommoda ad nutritionem donatum erat, ad aliquã corruptionem deueniat; ex quo vel temperamẽti, vel naturæ, vel vtriusq; similitudinem amittat, tuncq; id, quod erat commodum, & opportunum alimentum, vel in medicamẽti transit naturam, vel veneni. medicamenti quidem, si tantùm dissimilem à nobis sortiatur naturam. si autem contrariam, veneni. Venenum omne id appello, quod cum nõ sit ad nutritionem aptum, ad malũ alterando in perniciem ducat hominem, siue hoc sit ad mortem tandem, siue ad læsionem aliam, cuiuscunq; sit virtutis, sensibilem. Exemplo hoc pateat. Vinum corporis nostri optimum est nutrimentum: quod tamen si aliquam concipiat labem, nõ amplius nutrimentum erit. si enim fiat acidum, medicamentũ euadit. & hoc propter corruptionem temperamenti. Si autem vappa fiat, & corrumpatur: tunc quoniam naturam alteram nostræ inimicam consequitur, vim sibi veneno similem, ac conformem adipiscitur. hincq; fit, vt ex potu consimili mors facilè subsequatur his, qui eo potu vtuntur, sicuti experientia

Alimentũ quãdo transeat in naturã vel medicamenti, vel veneni.

experientia ego vidi factum in cœnobio, in quo ex potu vini corrupti maior pars eo victu vtentium perijt ex morbis, symptomatibusq; his similibus, qui à lętali veneno producuntur. Idem igitur poterit esse alimentum, & medicamentum, pariterq; idem poterit esse medicamentum, & venenum. nunquam tamen dabitur res vna, quę eodem tempore venenum, & alimentum esse posſit. quod tamen deinde poterit esse, cum alimentum ad extraneam corruptionem deuenerit. Quod dictum est de cibo, & potu, videlicet de alimento extrinsecus sumpto, idem verificatur, ac contingit in alimento interno, & propriè dicto. humores enim corporis nostri, dum temperamentum insitum, propriamq; substantiam retinent, ad nutritionem eiusdem aptisſimi sunt, & prout diuersum est & temperamentum, & natura horum omnium; ita etiam iste hanc partem, ille aliam nutrit. hinc ossa hoc humore particulari, & proprio fruuntur, ipsoq; nutriuntur, qui ad carnis nutritionem ineptus est, quæ tamen alio diuerso, sibiq; peculiari vtetur pro alimento. membranæ similiter, & ligamenta non eumdem attrahunt humorem pro nutrimento, quo vel pulmo, vel iecur, vel lien alitur: hæcq; sicuti diuersa inter se existunt; ita etiam distincto, & vnicuiq; proprio humore vnaquæq; pars fruitur. hoc non aliunde contingit, quàm ex cuiusq; proprio temperamento, & propria natura. ex conformitate enim horum euenit, vt hæc pars humorem istum, illa alterũ pro sui nutritione attrahat, ac eo fruatur. dumq; inter humorem attractum, & partem nutriendam huius temperamenti, & naturæ est conformitas, & similitudo, recta, & naturalis fit nutritio. Si autem quid horum desit, non amplius laudabilis, & perfecta nutritio erit. nam si temperamentum nutriendę parti proprium, & familiare deerit humori ipsam nutrituro, pars ipsa ad malum alterabitur: & si sensibilis erit læsio, ex hoc ægrotabit. si autem alienam idem humor nanciscatur naturã, multoq; ex temperamento amisso deterius

Humores corporis nostri, vt nutritioni apti sint, quas conditiones habere debeant.

Partes corporis nostri quare determinato humore nutriuntur.

Humores si vel temperamẽtũ, vel propriã naturã amittat, quid succedat.

circa

circa partem ipsam agetur. nam vel non nutrietur pars ipsa ab eo humore; quoniam ratione dissimilitudinis naturæ attractio non ita fiet: vel si nutriatur (quod in defectu alterius proprij humoris eueniet) in propria substantia etiam pars ipsa læsionem patietur. non autem amplius in qualitatibus, sicuti in dissimilitudine temperamenti eueniebat. Humores nāq; corporis nostri, siue sint illi proprij, ex quibus nutrimur, siue etiam excrementa ab his decisa, dum in hoc ergastulo continentur, vltra plures alias, præcipuè duplicem hanc solent inire mutationem, alteram temperamēti, alteram naturæ propriæ. temperamenti mutationē subeunt, dum alterationem in qualitatibus patiuntur. naturæ autem, dum corruptionem concipiunt. ex temperamenti mutatione fiunt quodāmodo nobis alieni: nec ita, vt prius erant, sunt nobis familiares. at ex corruptione extranei euadunt, nostræq; naturæ, si ingens, & valida fuerit corruptio, inimici. hinc euenit, vt in corporibus humanis procreentur aliquando humores, qui mole quandoq; exigua existentes, vim tamen, & efficaciam lętalium venenorum, perniciosarumq; ferarum facile ęquent. hinc à digito pedis epilepsia, ab ore ventriculi totius corporis conuulsio, ab vtero strangulatus, & suffocatio, cęteraq; hysterica accidentia, hincq; vt in summa dicam, quandoq; subitę, & improuisæ mortes.

Venenati humores cur aliquando generētur in corpore humano.

Corruptio autem ista, qua in humores hæc venenata, & perniciosa qualitas inuehitur, non est temperamenti sola immutatio, non est putredo, sed est totius naturæ, insitæque substantiæ destructio, alieneq;, ac nobis inimicæ procreatio; qua id, quod per priorem naturam nobis erat benignum, & familiare, inimicam nunc, & perniciosam naturam adipiscitur. cum enim vnius corruptio sit alterius generatio, quid mirum, si corrupta familiari natura, inimica inuehatur: si destructa benigna, venenata generetur? Exemplo hoc pateat in sanguine. sanguis inter omnes corporis nostri humores familiarissimam nobis gerit naturam, ex hocq; præcipuè

Humores cum venenatā naturā adipiscūtur, quam mutationem subeant.

cipuè nutrimur, & constamus, qui tñ, si corrumpatur, similia lètali veneno accidentia profert. hoc clarè cernimus, cum ex vena eiectus, in cauitateq; vel ventriculi, vel vesicæ, vel vteri, vel alterius loci existens concrescit. quã primum enim & syncopes, & frigidos sudores, & respirandi difficultates, & pulsus imbecillitates, frigiditatemq; totius corporis inuehit; nisiq; ab arte remedia quamprimum adhibeantur opportuna, mortem etiam breui affert. hoc nõ ex temperamenti mutatione euenit, cum nec pituita vitrea omnium humorum frigidissima hos effectus possit edere; non ex putredine, quoniam hoc statim fit, cum nundum putredo incipere potuerit; cumq; ex putredine non concrescat sanguis, sed potius fluidus fiat, & cum ex putredine fit fætor, & calor, quorum vtrumq; à sanguine statim concreto negatur. Sed hoc prouenit ex propria sanguinis substantia corrupta, quam tantùm intra venas incorruptam, illæsamq; natura seruare potest; extra venas enim sanguis cum nec à natura regatur, nec in proprio sit conceptaculo, moxq; spiritus exhalent, & euanescant, parsq, ichorosa separetur, statim propriam amittit naturã, alienamq; & extraneam induit, & quò prior erat magis familiaris, & magis benigna, alteram adipiscitur eò inimicã magis, magisq; pernitiosam. In corruptione autem ista non tantum est mutatio naturæ, sed etiam aliquando temperamenti. rarò enim humor aliquis corrumpitur, quin etiam temperamentũ aliquo modo immutet. sicuti è contrario sæpissimè temperamentum immutatur, nulla facta in humoris substantia alteratione. Quod dictum est de sanguine, idem intelligatur, verificeturq; de omni cætero humore, & excremẽto; si enim in sanguine omniũ humorũ nobis familiarissimo, amicissimoq; hoc euenit, quid de cæteris humoribus, excremẽtisuè cogitandũ erit contingere posse? Porrò hæc sæpè ad corruptionem deueniunt, corruptamq; consimilem veneno perniciosarum ferarum naturam frequenter adipiscuntur.

Nec

Nec mirum sit hæc quandoq; in nobis corrumpi;cum sicuti extra corpus nostrum,ita & in corpore nostro multæ sint causæ ad hoc efficiendum aptissime, quemadmodũ & ad alterandum in qualitatibus omnia humorum excrementorumq; genera causæ reperiuntur multæ tum externę, tum internæ. Cum autem has patiuntur mutationes,siue sit tẽperamẽti,siue naturæ, quodcunq; sit hoc humidum,seu ad nutriendum aptum, seu excrementosum, diuersa morborũ genera impertiuntur. hinc enim alij sunt morbi à temperatura, alij à tota substantia. ab intemperie fiunt morbi,cum mutationem in qualitatibus tantùm patiuntur: à tota autẽ substantia, cum naturam propriam per corruptionem amittunt. qui morbi à substantia inter venenatos, idest proportione respondentes his,qui à veneno causantur, recenseri possunt: quoniam fiunt à natura & à tota rei substantia nobis inimica. vnde tales hosce affectus,sine à deliterio farmaco, siue à bestia virus iaculante, siue ab improbo succo,siue à pestilẽti cœlo causati fuerint,Hippocrates omnes maleficos appellabat,tamquam eorumdem eadem actio praua,venenosa, & malefica existat. licèt autem læsio ex his non sit semper ad mortem, semper tamen offensam immanem hi inuehunt,quæ nec à temperamento, nec ab aliqua alia prodit manifesta causa,sed tantum ab intima rei nobis aduersante substantia. Morbi ab intemperie fiunt tũ ab internis, tum ab externis causis,hæq; tum naturales, tum nõ naturales, tum præter naturam esse possunt. harum infinitus ferè est numerus, qui tamen, licèt sub capita breui possit reduci,à me non recensebitur. quoniam ad alios morbos ex corruptione propero. Morbi autem à tota substantia, à venenataq; natura, qui ratione humorũ in corpore nostro existentium fiunt,ab eorumdem corruptione generantur. causatur autem hæc corruptio vel ab extrinseco, vel ab intrinseco; Ab extrinseco, vel cum homines inspirant aerem ad corrumpendum aptum, vel cum alimentis vtuntur,quorum

Humores corporis nostri cũ permittantur, vel in temperamẽto, vel in propria natura, quos morbos pariant.

Lib. 6. Epid. sect. 6. tex. et com. 5.

Humorũ corporis humani corruptio vnde causetur.

rum vitiosa est substantia, quæq; corruptelam aliquam seri fere, sicuti aliquando frumentis, leguminibus, cæterisq; cerealibus seminibus contingit, cuiusmodiq; fit quandoque in piscibus, carnibus, alijsq; consimilibus rebus, quę vel quoniam diutius mactata sint, vel negligenter reposita, corruptelam aliquam senserint; Vel hoc fit à cibarijs quidem incorruptis, sed qui facile, cùm leui destituuntur cōcoctione, labem istam concipiunt, sicuti sunt horarij fructus, & cęteri consimilis generis. hoc etiam fit, cum cibaria, nec ordine, nec tempore, nec mensura, nec præparatione conuenienti sumuntur. hinc enim fit succus ad corruptelam paratus. Ab intrinseco autem fit corruptio ista, cum aliquod viscerum, vel quæcunq; sit alia pars corporis, labem aliquā conceperit, qua id, quod ei apponitur, siue sit pro confectione, siue pro sui propria nutritione, in alienam permutāt naturā, tādemq; corrumpuntur: cuius labis postea possunt, & multæ esse causæ tū externę, tum internæ: externæ quidem, sicuti Venus immodica, animi pathemata, motus supra vires, casus, alterantia immoderata, & consimilia huiuscemodi, quæ innatum calorē dissipare apta sint. internæ autem sicuti imbecillitas partis ab ortu, quæ diuturnitate temporis semper magis languescit, intemperies valida, & cętera, quæ partis calorem innatum dissipare, naturamq; immutare possint. Animaduertendum autem est in vtrisq; his mutationibus, quòd non statim, nec semper, quotiescunque humor vel temperamenti, vel naturæ subijt mutationem, morbum procreat. sed quandoq; intra corpus geritur longo temporis spatio, nullam alterationem manifestam exhibens, licèt forsan latēter, & sensim semper aliquid malè disponat. sicut enim canis rabidi virus aliquando per mēses nullo indicio, nulla læsione manifesta intra corpus latet, licèt aliquid continuè semper agat. ita huiusmodi humores siue in temperamento sint immutati, siue in substantia corrupti, sæpe in corpore nostro nullum de se indicium præbentes,

Humores cum sūt mutati vel in temperamēto, vel in propria substātia, non semper lædunt, nec semper morbos generant.

bentes, per notabile temporis ſpatium permanent, hiq; nō ſemper, quamprimum tales geniti ſunt, læſionem in corpore manifeſtatam, & ſenſibilem produnt, ſed nonnunquam per dies & mēſes latent, inſenſibiliterq́; ſemper aliquid cōtinuè agentes tandem morbos manifeſtos, & atroces aliquando, aliquandoq; mortem inducunt. Hinc ſanguis ſupercalefactus, qui per notabile temporis ſpatium in corpore ſine aliqua læſione ſenſibili permanſit irrepens in partē aliquam vel exteriorem, vel interiorem, modò generat inflamationē, modò erymſipilas. tuncq; videtur eſſe factus ſubitus affectus in homine, cum tamen & eius cauſa per tēpus in corpore latuiſſet. Hinc plurimos conſpeximus, qui cum ſibimetipſis, aſtantibusq; ſani viderentur, à medicisq́; expertiſsimis ſani iudicari potuiſſent, ſubitā oppetijſſe mortem. qm̄ corrupti humores, qui venenatā naturā adepti erāt in corpore exiſtentes, inſenſibiliterq; continuè aliquid agentes, tandēq; in cor ſubitò erumpentes ſubitū caſum attulere, hiq́; non aliud mortis indiciū, quā mortem ipſam habuere, cum tñ mortis cauſam adeò euidentem, potentiſsimāq; in ſinu ſuo gererent. Has autē læſiones ſenſibiles, & manifeſtas hi humores immutati, qui diutius latuerunt in corpore, produt, vel cū ſunt cōcitati à cauſa extrinſeca, ſiue ſit naturalis, ſiue nō naturalis, ſiue præter naturā, vel cū ab intrinſeca. ſ. vel cū humores hi partes principales in conſensū traxerint, vel adeò abundent, & in proprio cōceptaculo amplius retineri nequeant, vel cū tetrū vaporē de ſe ad nobiliores partes emittunt, vel ſi non vaporem, qualitatem ſaltem pernitioſam edant, vel cum putruerint, vel quid conſimile paſsi fuerint, ex quo humor concitatus ſuam actionem depromere queat, qualitatemq;, vel natura acquiſititia ſenſibilē proferat actionem. Hinc non ſemper humores in qualitatibus immutati nobis morbos inuehunt, ſed tantum vel cū putreſcunt, vel cum ad aliquam partem tranſmiſsi illam lædunt, vel quid ſimile agunt, hocq́; cum à cauſis vel exter-

Homines corrupti quando ledāt, vel morbos generent.

nis,

nis,vel internis concitati fuerint. Hinc etiam humores corrupti non ſemper propriam edunt actionẽ, ſed tantũ cum concitati vel mouentur ad partes nobiles,vel cum ad eaſdẽ vaporem, qualitatem ve perniciosam, & malam tranſmittunt. Vnde euenit, vt à digito pedis non continua fit epilepſia,nec ab vtero hyſterica continuè fiant accidentia,ſed tantùm per interualla, quoniam non ſemper materia hęc perniciosa agit, ſed tantũ, cũ concitata ad principales partes quid ſui tranſmittit. parem igitur ſubeunt mutationem, & humores in corpore noſtro exiſtentes, & alimenta exterius ſumpta. vtraq; enim, & temperamenti, & ſubſtantiæ mutationem patiuntur, illius quidem ex alteratione, iſtius autem ex corruptione.in hocq; communicant, quòd ex alteratione morbos ab intemperie,ex corruptione autẽ morbos à ſubſtantia, & propria natura inuehunt. quos nõ ſtatim ſemper edunt, ſed cum à cauſis,ſiue externis, ſiue internis concitati ſuam depromunt actionem, vel ab iiſdem immutati cauſis ad ſenſibilem læſionem inducendam promouentur. Quemadmodum autem alimentum, & humores ſortiti hanc ſunt naturam, vt duplicem hanc tranſmutationem ſubeant. ſimiliter & aer nobis circumfuſus, alterum inſtrumentum ad tutelam caloris noſtri paratum, conſimilem adeptus eſt. Hic quidem adeò nobis eſt neceſſarius, vt ſicuti ſine alimento nutriri, nec ſine anima viuere;ita nec animam ſine aere tutari,aut conſeruare poſſumus. cũ enim vita à calore, ſicuti mors ab eius extinctione pendeat, calorq; ad propriam conſeruationem continua egeat euentatione, vt hinc & fumoſa excremẽta propellere,& refrigerationem haurire poſsit, Aer nobis vtrũq; hoc officium præſtat. nam & recipit excrementa illa fumoſa, & pabulum conueniens eſt pro ipſius caloris refrigeratione; quorum ſi alterum,vel ambo deſint,in diſcrimen ſuffocationis homo deuenit, extinctoq; calore in mortẽ labitur. Hæc autẽ munia rectè obit aer, propriaq; eſt tutela,&

Aer quare neceſſarius pro cõſeruanda vita.

Aer, vt vitã tutari queat,

quas conditiones habere debeat.

nutritio caloris nostri, dum temperamento, & natura nobis est familiaris: cuius contrarium si eueniat, vt scilicet, vel in qualitatibus primis immutatus, vel in substantia corruptus sit; quoniam vtranq; mutationem subire potest, primò quidem spiritus, deinde humores, vltimo loco substantiam corporis nostri afficiet. & prout diuersa erit mutatio, diuersos inuehet morbos, hos quidem ab intemperie, cum intemperatus in qualitatibus erit, illos à substantia, cum in substātia propria fuerit corruptus. Quæ corruptio aliàs ex motu, & lumine astrorum in aera malè agentium (illinc enim omnis inferiorum virtus regitur, & gubernatur) aliàs ex cadaueribus insepultis, aliàs ex aquis stagnantibus corruptis; aliàs ex specu, & voragine aperta, aliàs ex alia causa ortum habet. Cum autem aer labem istam conceperit, validissimè in corpora nōstra agere, morbosq; perniciosos inducere poterit. cum enim continuè hunc, & per arterias, & per inspirationem ad intra corpus trahamus, factusq; sit nobis ex labe ista concepta inimicus, non amplius erit aptum caloris nostri pabulum, & conseruatio, sed potius hinc dissipabitur corpus nostrum primò malè affectis spiritibus; post modum & communicata labe humoribus, & partibus corporis nostri solidis, præcipuè autem cordi, tanquam ei, quod plurimo aere pro sui refrigerio egeat, attrahatq;.

Aer immutatus vel in temperamēto, vel in substantia quomō lædat hominem.

Aeris corruptio vnde causetur.

Pestis ex aere.

Hinc pestis ex aere oritur, quæ plurimos vno, eodemque tempore inuadens populatur, nō tamen omnes pariter, sed eos magis, qui humores ad corruptelam aptos in se recōdunt. ad quamcunq; enim actionē dispositio patientis requiritur. nam aer corruptus corruptionem inuehit: vbi autē sunt humores in hanc procliues, & in eosdem corruptelam præcipitat. Corruptio autē ista à pestilentia inducta nō est putredo; quoniā si hoc esset, semper pestis concomitata esset febri. at sæpe pestis sine febre visa est. p̄terea putredo à calida, & humida fit cōstitutione. at oriūtur pestes, vigētq; aliquando temporibus calidissimis, & siccissimis cuiusmodi fuit

Corruptio à pestilentia inducta non est putredo.

di fuit ea pestilentia, quam ex Thucididis historia totam Asiam, hincq; in Græciam peragrasse nouimus. Pariter igitur & aer, & alimentum, & corporis nostri humores aliquando corruptionem patiuntur, cuius ratione venenatam, & perniciosam labem concipiunt, vnde inimica, contrariaq; naturæ nostræ euadunt. ab aere ita alterato fiunt pestilentiæ communes, quę promiscuè agendo, vnamquamq; naturam, & tẽperaturam inuadunt, omnesq; ætates, omnesq; sexus indifferenter adeunt, licèt hos magis, quàm illos dispositionis ratione. ab alimento autem, & à corruptis humoribus, nihil ad hoc aere conferente, fiunt pestilentes febres, inter sporades morbos semper recensendæ, nisi in aliqua regione ex cõmuni alimento corrupto ortum habuerint; quoniam tunc non inter sporades, sed inter endimios sunt connumerandæ. Aliquando tamen corruptionem tantã, adeòq; venenatam naturam concipiunt humores corporis humani, vt vnicuiq; præsentaneo veneno comparari possint, tantaq; illorum aliquando est efficatia, vt per solum & vnicum contactum in corpus extraneum consimilem inuehant perniciosam, & venenatam naturam. hincq; oritur pestis ex contagio. Pestis autem quæcunq; sit, siue ex pestilẽti aeris statu, siue ex contagio, duplici consueuit modo inuadere; aliàs enim febrem, vnàq; malam illam, & venenatam introducunt qualitatem, aliàs hanc tantum sine febre; cum primum agit, febrem pestilentem, vel morbos cũ febre pestilenti inducit: cum autem secundum corruptionem in humoribus, non autẽ putredinem affert. hincq; pestis sine febre. Quod idẽ potest contingere, visumq; est sæpius in corpore humano contigisse, dum nullum pestis genus vagaretur, scilicet, quòd facti sunt pestilentes morbi, & affectus ex corruptione ingenti humorum in aliquas corporis partes decumbentium nulla præsente, nec putredine, nec peste.

Pestis ex contagio vnde ortum habeat.

Pestis vel cũ febre, vel sine febre inualit.


Quòd dentur pestilentes affectus sine febre.
Cap. V.

QVAMVIS liqueat sine febre pestilentes affectus cõtingere posse, hoc tamen suppositum, cum inferioribus, quæ tractanda erunt, inseruire debeat, irrefragabilibus auctoritatibus, orationeque firmabo. Hippocrates, dum recenseret etysipelatosos affectus, ac pestilentes, quos sub anno austrino tertio Epidemiorum libro enarrabat, habebat hæc verba. His adiuncta aliquando, aliquando nõn erat febris, paulo post subdebat. Multos autem vnà cum febribus, & ante febrem, atque à febre arripuerunt. si autem ante febrem, ergo clarè sine febre potest esse pestilẽs affectus. Inferius autem, dum de alui fluxionibus loqueretur, hæc habebat. Aluus biliosa, pinguis, tenuis, aquosa, atq; ipse morbus multis eò erupit citra febrem, & cũ febre. Paulò infra hæc subiungebat. Ex his, quos febres tenebant, aliaq;, nemo circa potum intempestiuus erat. quæ verba [quos febres tenebant] clarissimè docent, alios posuisse affectus pestilentes, quos febris non concomitabatur. Galenus verò in eadem tractatione hanc sententiam exponẽs clarissimè docet alios pestilenter ęgrotasse sine febre, alios cum febre hæc habens. Postquam priori capite dixit de ijs, qui ex ventre laborarunt, quòd partim sitibundi, partim non essent, hic nunc de ægrotantibus simul cum febre ait, non magnoperè illum fuisse sitibundum. Hoc idem superius eadem cõmentatione, dum explicaret, quòd in peste illa longissima, quæ sua ætate vulgata est, per excrementa alui (quemadmodum & in illa Hippocratis tempestate narratur) omnes prope extincti fuere; per hæc verba testatus est. Quod quidem esse symptoma perpetuum febris, quam pestilentem priuatim vocitant; cum mortales vel citra febrem pestis arripiat. Hoc clarius, dum normam exhibẽdi armenam bolum in pestilentibus affectibus doceret per hęc verba

Pestem sine febre dari ex mẽte Hippocr.
Tex. 25.
Tex. 28.
Tex. 55.
Tex. 60.
Pestem sine febre accidere ex mente Galeni.
Com. 60.
Com. 57.
Lib. 9. de simpli. med. fac. cap. de terra samia.

verba expressit. Cæterum bibitur ex vino albo, consistentia tenui, modicè diluto, si aut planè febri careat, aut leuiter ea teneatur; sin grauius febriat, admodũ aqueo. per quę clarissimè in peste aliquando febrem esse grauem, aliquando leuem, aliquando nullam testatur. Ratio hoc idem dictat. cum enim aer non semper per putredinem corpora pestilētiali inficiat affectu, sed hoc sæpius ex propria vitiata, & altera venenata acquisita natura agat; cumq; in corpore humano multoties ex prauo victus regimine tanta adsit humorum sine putredine corruptio, vt indè hi humores venenatam labem concipiẽtes, sæuos, & pestilentes morbos inducant; quemadmodum venena non necessariò putridam qualitatem, à qua febris, includunt, ita nec vbi aer non manifesta, sed venenata qualitate corpora inficiet, nec vbi humores hac eadem labe inquinati, & non putrescentes erunt in causa pestilẽtis affectus, necessariò febris subsequetur; quoniam ad inducendam febrem hanc ex necessitate requiritur putredo, quæ in prædictis non necessariò includitur, cum qualitates venenatę, & inficere, & perdere homines sine putredine, & ideo sine febre, possint. Hanc sententiã viri celeberrimi duplici auctoritate, duplici ratione, & experimẽto euertere nituntur. Prima auctoritas ab Hippocrate desumpta est, qui in libello de spiritibus, flatibusuè; diuidens febrium genera in commune, & particulare dicebat, commune febrium genus ab omnibus pestilentiam vocari. hinc arguunt Hippocratẽ censuisse omninò inseparabilem esse febrem à peste. Altera autem auctoritas plurium quidẽ scribentium est, tamen cum vnico innitatur fundamento, pro vnica à me recenseatur, quæ hæc erit. Paulus, Aetius, Auicennas, Rasis, & omnes ferè, qui de peste egerunt, de hac nullibi, pręterquam in catalogo febriũ, tractarũt. quod certissimum est argumentum eos indicasse febrem affectibus pestilentibus essentialem esse. Rationum hæc prima est. Pestis est acutissimus morbus, cum celerrimè moueatur, &

pestis quare si ne febre posset inuadere, & huius ratio.



Lib.p. Epid. sect.3.com. 3.

Lib. pri. aph. com. 7.

Lib. 3. de diffic. resp.

Lib.p. de differ.feb.cap.4.

Experimento an detur pestes sine febre.

plurimos interficiat, igitur necessariò habet febrem concomitātem. ex Hippocrate .n.in Epidemijs acutissimi, & grauissimi morbi semper habēt febres cōtinuas ipsis cōiunctas, ac ex Galeno,dū interpretatur sententiā Hipp.dicētis Morbos peracutos statim extremos habere labores, & ideò in his extremè tenuissimo victu vtendū esse, febres ab acutis morbis sunt inseparabiles. quod idē cōfirmasse videtur, dū causas,& differentias difficilis respirationis explicaret. Vbi habet acutos morbos omninò cū febribus continentibus generari. Altera ratio hæc est. Pestis ex Galeno, febrium differētias docente, generatur ex putrefactione accesa circa cor cum hoc ex inspirato aere contingat; at facta putredine circa cor, ingenitoq; ibi calore pręter naturam non potest non subsequi febris;igitur pestem febris semper concomitabitur.Experimentum autem tale est, videlicet quòd asserunt ipsi nullum hisce temporibus ex his, qui peste laborarint, sine febre inuentum esse. Vnde si nullum reperire liceat, qui peste,& non febre detineatur, nec etiam credendum est,pestem sine febre dari posse. Hæc opinio, vt mea fert sententia,prꝏterquàm quòd Hippocrati, & Galeno manifestissimè contradicit, veritati consona non est, vt omnia superius in contrariū deducta diluens clarissimè ostendam. & incipiens ab experimento dico, quòd vnusquisq; habet sua & propria experimenta: Vnde si hi asserūt non ab eis visum esse pestilētem morbum sine febre; Alij ex recentioribus sunt, qui affirment se oppositum obseruasse. quare penes nos quò ad hoc res indecisa remanebit. si tamen ab experimentatoribus vlla fides desumenda erit,quibus magis erit credendum, an hominibus nostris, an Hippocrati, & Galeno, qui duo fulgentissima medicinæ lumina fuerunt? his procul dubio. At Hippocrates,& Galenus affirmant se obseruasse pestilentes morbos sine febre;experimento igitur pateat dari sine febre pestilētes affectus.quo supposito ad deducta in oppositum deuenio. Sanè locus

illle

ille Hippocratis libro de ſpiritibus.clarè habet febres communes peſtem vocari; ſed quo pacto hinc elicere poſſimus febrē omnino eſſe inſeparabilē à peſte,nec video, nec conijcio. perinde autē eſt hæc poſitio, ac ſi morbos in acutos,& longos diſtinguerem, acutos autem vocarem graues,& periculoſos, hincq; elicerem omnem grauem morbum,ac periculoſum eſſe acutum. quod quantum veritati conſonet,videant alij, & iudicent. Præterea hoc addo. ſi diuiſio illa febrium omne morborū genus contineret, nulli dubiū eſſet, quòd hæc propoſitio[febres communes ſunt peſtis] æquipolleret ei[peſtis omnis eſt cum febre]ſed cum dentur alij morbi ſine febre,ex prima illa propoſitione ſecundā deducere nō licet. quoniam ille terminus,peſtis,poteſt eſſe quid vniuerſalius febre communi, perindeq; eſſet, ac ſi diuiderē febrium genera in has duas differētias, videlicet,quòd primum genus eſſet cum loci particularis affectu, alterum autem non,ſicuti eæ, quę nullo particulari affecto loco, ſed à ſparſa fiunt materia;eliceremq; ex primo dicto, omnē particularis loci affectum eſſe cum febre. hoc autem & falſum eſt, & illinc elici non poteſt; quoniam affectus particulares ſunt quid commune & febri,& nonnullis alijs morbis.Quapropter concludo ex loco illo Hippocratis haberi quidem febres communes peſtem eſſe:ſed quoniam ſub hac febriū diuiſione non omne morborum genus continetur, ideò hinc non poſſe deduci omnem peſtilentem affectum eſſe cū febre. Si autem Paulus, Aetius, cæteriq; ſcribentes de peſte in tractatu febriū de ea egerint, hoc cum maxima factū eſt ab eis ratione; quoniam cum peſtis vt plurimum, vel ſit febris ipſa peſtilens, vel peſtilens affectus cum febre, iure de ea inter febres tractandum erat,locuſq; hic erat conueniens, in quo hæc tractatio reponi debuerat, vt febrilē affectum, qui peſtem ſæpiſsimè concomitari ſolet,conſiderarent. Præterea hoc etiam ea ratione eſt factum; quoniā ſicuti peſtis eſt morbus cōmunis,ſimiliter de ea inter mor-

Paulus, Aetius, cæteriq; cur de peſte in tractatione febrium egerūt.

bos communes agere debebant. at febris respectu aliorum morborum est communissima. His addo, quòd si de affectibus particularibus pestilentibus agere sigillatim voluissent (cum ferè oẽs graues, & periculosi morbi, sicuti dysenteriæ, tenasmi, dolores colici, hepatis inflãmationes, phreniti des, erysipelata, carbunculi, plurimiq; alij particulares morbi possint esse pestilentes) sub singulo quoq; horũ capite de ijsdẽ agere debuissent, remq; ipsam in immẽsum traxissent, sæpiusq; eadẽ ab ijsdem repetenda forent. quòd vt euitarent, sub cõmuni morbo, & in cõmuni loco, & in tractatu de morbis cõmunibus de peste egerũt. Quare nõ est, quòd hinc eliceias horũ scribentium mentẽ fuisse, febrẽ pestiferis morbis essentialẽ esse. Quod idẽ hinc cõfirmari potest; quòd Paulus, & Aetius, quos cæteri imitati sunt, agẽtes de morbis publicè grassantibus, nõ sub nomine febris, sed sub nomine morbi, cum tñ in tractatione febriũ de his agerent, rem & sententiam suã aperuerunt. s.n. opinati essent semper pestilentes morbos esse cũ febre, vel febrẽ ipsam esse, non assumpsissent nomen hoc morbi genericũ, & ad febres, & ad cęteros affectus, qui sine febre accedunt. Hæc quò ad auctoritates, nunc ad rationes descendo. Prima hæc erat. Pestis est acutissimus morbus, igitur cum febre, quoniam ad mentem Hippocratis, & Galeni locis citatis. Omnis acutus morbus febrem commitantem habet. At ratio hæc falsò innititur medio, quod habet, omnes acutos morbos febrem coniunctã habere. norunt enim medici nonnulla morborum acutorum esse genera, quibus febris non annectitur. & hoc adeò clarè pluribus in locis testatus est Galenus, vt mirũ sit hæc non fuisse ab his notata. nam dum explicaret, quare acutorum morborum non omnino certæ sint prænunciationes, vel salutis, vel mortis, habet hæc verba. Febresq; vt plurimum acutis morbis adiunguntur. rari enim sunt ex ipsis, quibus febres non adsint; vt morbus attonitus, quem Græci apoplexiam vocant. In commentatione autem Aphorismi, in quo

Acuti morbi an necessario habeant cõiunctam febrem.

Lib. 2. aph. 19.

quo habetur, Mulierẽ vtero gerentẽ capi ab aliquo morbo acuto lethale esse, dicebat. sic. Et si absq; febre aliquis alius morbus acutus fiat, veluti morbus comitialis, morbus attonitus, quẽ Græci apoplexiã vocant, conuulsio, distentio, &c. hanc eandẽ sententiã cõfirmat loco illo, in quo de difficultate respirationis agitur per hæc verba, dũ loqueretur de morbis acutis. Fuerit autẽ vtiq; & eorũ, qui citra febrẽ fiunt, veluti etiã cõuulsiones. per quæ omnia clarè habetur alios esse acutos morbos, qui fiant cũ febre, alios, qui sine febre. Cum autẽ non oẽs acuti morbi necessariò febrem annexã habeãt, nec ea ratio vllius erit roboris, dum habet; ideo febrẽ concomitari pestem, quia hæc sit acutissimus morbus. loca autẽ ea Hippocratis, & Galeni in oppositũ deducta nihil cõtra hãc sententiã habẽt. Quò n. ad locum Epidemiorũ animaduertendũ est, Hippocratis intentionẽ esse per ea verba, cũ proposuerit plura esse febriũ genera, declarare, in cuius febris genere sit morbi grauitas, vitæq; discrimen, in quoq; securitas, & eiusdem leuitas esset; & ita inquit, quòd morbi acutissimi, grauissimiq;, ac maximè lethales fiũt in continua febre, in cuius comparationem, & oppositum subiungebat, Quartanam esse securissimam, facillimam, & longissimam. Semitertianã autẽ cum morbis acutis esse lethalẽ. Nocturnam non admodum lethalem, sed longam. Diurnam autẽ longiorem. quæ omnia proponebat non ad declarandã horum morborum essentiam, sed ad explicandam grauitatẽ, discrimenq; harum febrium, tanquam ea, quæ ad prognosticum tantùm faciant, & ideo hinc non arguatur, quòd acuti morbi semper cum febre fiant, sed quòd acutissimi, maximi, grauissimi, ac præ cæteris omnibus lethales sint ij morbi, qui fiunt in continua febre. Quò verò ad locum Galeni, in quo habet: Febres à morbis acutis esse inseparabiles, sciendum est, quòd loquitur de illis acutis morbis, qui sunt cũ febre ab his autẽ febres sunt inseparabiles; quĩ hi semper sunt cũ febre continua, vt dicebat Hippocrates, dũ rectam acutorum

Lib. 5. aph. 30.

Lib. 3. de diff. respira.

Morbi acuti, qui sunt cũ febre, habent ipsas continuas.

lib. p. reg. acut. tex. 8.

acutorum morborum victus rationem instituere vellet per hęc verba. Sunt hi igitur acuti morbi, quos Prisci nominatim perstrinxerunt, pleuritis, peripueumonia, plerenitis, lethargus, causus, & quicunque alij hos cõsequuntur morbi, quorum febres prorsus continuæ interficiunt. Quod est idem, quod Galenus lib. de difficult. respir. intendebat, dũ habebat acutos morbos eos propriè vocari, qui omninò cũ febribus continentibus fiunt; quoniam ij sunt soli, de quibus Hippocrates eo in libro pertractat, dum victus rationẽ acutorum morborum docere intendit. hi enim semper sunt cum febre, & horum febres sunt semper continuæ. quod tamen non includit omne acutorum morborum genus esse cũ febre. Secunda erat ratio. Pestis ex Galeno generatur à putrefactione accensa circa cor, igitur necessariò habet febrem connexam; quoniam accenso calore, & putredine in corde, non potest non subsequi febris. Proculdubiò, si verum esset semper generari pestem à putredine accensa circa cor, omninò à peste febris esset inseparabilis, sed illud falsum est, vt inferius declarabitur, dũ in peste non per putredinẽ semper aerẽ agere, & dum fomitẽ pestilentis morbi nõ semper circa cor esse, explicabimus. Quod idẽ processus Hippocratis confirmare potest, qui erysipelatosos recẽsens affectus, eorũdemq; putredines, & corruptiones, vnde ossiũ denudationes, & decidentię procedebant, cum tanta putredine in nonnullis febrem non adfuisse testatur. hinc autem duo habemus, primum quòd à putredine circa cor non incæpere hi affectus; quoniam cũ tanta putredine necessariò insigniter febricitassent. alterum quòd fomes huius pestilentis affectus non circa cor, sed in partibus externis sęuiebat. Præterea interdum circa cor quidem prima potest esse ex peste infectio, attamen vigente eius robore, validaq; existente vi expultrice, materia infesta quandoq; à corde ad alias partes, & ad externas transmittitur. Vnde modò cutaneos affectus, modò tumores ad axillas, ad inguina, & ad alias corporis

Pestis an generetur à putrefactioni accẽsa circa cor.

Lib. 3. Epid. sect. 3. sex. 25.

corporis partes inuehit. hicq; non erit necessarium, vt febris subsequatur, dum vigente cordis robore, eiusq; vi naturali reluctante, materia peccans non ibi accenditur, sed aliò, videlicet longe ab ipso corde trãsmittatur. His addo, quòd pestilentes affectus non semper ortum habent ab aere, sed nonnũquam hi ratione praui alimenti assumptis in vsum hominum malis cibarijs generantur, tuncq; non necessarium erit, vt putredo accendatur in corde; quoniam in quacunq; alia corporis parte, cuiuscemodi & circa cor, potest prauitas humorum aggregari, cuius ratione pestilẽs affectus subsequatur, & tunc qualitas illa pestilens non necessariò erit cum putredine, à qua putredine febris ipsa accenditur, & dependet. Quòd autem Galenus ibidem asserat pestem generari ex putredine accensa circa cor, & ideo quòd cum peste sit semper annexa febris, non est præter rationem, nec aliquid contra sententiam nostram habet; quoniam tunc loquitur de peste, quæ ratione vitiati aeris corpora inficiat. Vnde cum hic inspiretur, videtur, quòd necessariò primò inficiat cor. At non semper pestilentes affectus hac fiunt ratione, quemadmodum cum fiunt, vel ratione puri contagij, vel ratione praui victus. Præterea ibidem Galenus non pestis causas, sed pestilentis febris inquirit. & ideò cum præsupponat febrem, eiusq; causam indagando asserat circa cor accẽsa putredine ex vitiato aere inspirato generari pestilentem febrem, non est, quòd hinc deducere possimus eum iudicasse, cuiuscunq; pestis han- candem esse causam, & in quacũq; peste febrem necessariò reperiri. nõ negauit enim Galenus fieri etiam posse pestilentes affectus, & ratione vitiati alimenti, & ratione etiam contagij, cuius merito censebat conuersationem eorum, qui peste laborant, esse vitandam; quoniam periculum est, ne inde cõtagium contrahatur. Et si forsan per contagium id non intellexit Galenus, quod nos intelligimus, ætasq; nostra perspicatius, & diligẽtius antiquitate perscrutata est, & cognouit, *Lib. p. de diff. feb. cap. 2.*

uit, tamen hoc verum est, & pro certo censeatur, quòd multi in pestilentes incidunt affectus ex solo cõtagio per fomitem, tuncq; non ab inspirato aere, vt Galeni præsupponit sententia, sed ex solo contagio auspicantur. cuius ratione potest illa venenata, & perniciosa qualitas non tantum cordi, sed & cuicunq; alteri membro communicari, & hinc febris necessariò ratione prædicta non accedit. At etiam ex inspiratione infecti aeris, ac ex valido contagio experientia docuit aliquos ita efficaciter coinquinari, vt nec precedente aliqua notabili alteratione, nec post mortem subsequente vllo pestilentis affectus signo, subitò peste correpti, subitò etiam perinde ac si præsentaneum venenum hausissent, de medio sublati sint. quid hoc potuit esse? nisi praua, & perniciosa illa qualitas, pestilens spiritus, & calorem innatum oppugnans, & expugnans simul, absq; quòd vlla facta sit in humoribus vel putredo, vel feruor; & ideò nec febris. si .n. hoc fuisset, non potuisset non adfuisse aliquod symptoma, signumuè, quod hæc necessariò consequens, hæc eadem aliquo pacto concomitans indicasset. Quare constanter assero posse pestem, pestilentesq; affectus sine febre dari. hocq; tum experimento, tum rationi, tum Hippocrati, ac Galeno conformari.

Peste infecti aliquando subito pereunt.

De essentia febris pestilentis. Cap. VI.

HIs habitis, ad declarandam febris pestilentis essentiã descendo. Quando humores corrupti, qui ex hoc extraneam naturam, perniciosamq; qualitatem sunt adepti, ad putredinem deueniunt, tunc fit febris pestilens. quæ nõ calore putrido tantùm, sed etiam qualitate maligna cor lacessit. calore quidem; quoniam omnia putrida alieno calore sunt calida, qualitate autem mala; quoniam corrupta extraneam improportionatamq;, ac inimicam nobis naturã adipiscuntur. Qualitas autem hæc maligna à corruptione causatur, in extranea natura inuecta consistit, à putredine

Praua qualitas à quo causetur.

dine concitatur. primò enim humores corruptionem subeunt, à corruptione natura nobis perniciosa, & inimica inuehitur, in qua mala hæc qualitas fundatur, quæ mala qualitas cor non fatigat per febrem, nisi cum humores ad putredinem deuenerint, hinc enim exsuscitatur illa maligna natura, ad agendumq; promouetur; nam per putredinem omnia corrupta facilè exhalant, euaporantq;, & cum prius nihil redolerent, addita putredine fœtida euadunt. Vnde postea quoquo versus vapores sibi consimiles transmittunt, suamq; malam qualitatem facilius proferunt. exemplo hoc pateat. Vinum vappa factum, corruptumq; non accedente putredine nec calescit, nec fętet. quòd si illa superueniat, alieno calore statim alteratur, fętoremq; acquirit, adeòq; malam illam naturam in corruptione delitescentem promouet, vt abhominabile, & magis perniciosum euadat. Vnde multi potu vini corrupti vsi sunt, nullus tamen putrescentis vsum potuit tolerare. Hoc idem humoribus corporis nostri euenit. hi, dum sunt corrupti, nondum autem putrefacti, nec calorem, nec malam qualitatem vnà cum calore de se necessario proferunt; quòd si putredo his superueniat, tunc mala illa natura in actum reducitur, & ad agendū promouetur. hincq; excitata vnà cum calore putrido cor fatigat. tuncq; fit febris pestilens. hæc autem quà febris, quoniā omnis febris est intemperies calida, calore nocet; quàm autem est maligna, perniciosa qualitate ortum habente ex substantia nobis inimica, à corruptione causata lędit. Corruptio autem ista non semper est vniformis, nec in puncto consistit, sed aliquando magis, aliquando minus intensa est. Vnde prout vel maior, vel minor est, & prout magis vel minus distat à natura humorum priori, & naturali, ita etiam modò magis perniciosam, modò minus malam naturam in eosdem inuehit humores. hincq; cū ad putredinē hi deueniunt, modò pestilentem febrem minus malignam, modò magis procreat; prout enim humores facti sunt vel magis,

Humores corrupti quando febrem pestilē tem inducant.

Corruptio humorum non sē per est vniformis.

Febris pestilens quare, aliqñ magis aliqñ minus maligna existit.

gis, vel minus alieni, improportionatiq; naturæ noſtræ, ita etiam quandoq; febris inde pendens efficitur modò minus, modò magis maligna. corruptio autem horum humorum quandoq; eorũdem putredinem præcedit, quandoq; vnà cum ipſa videtur inuadere. clarè præcedit in febribus illis peſtilentibus, quæ inter ſporades morbos connumerabãtur, clariusq; in illis, quæ ex caritate annonæ, vitioſoq; victu, vel potu ortum habuere. hi enim (qui tali vſi ſunt victus genere, cuiuſmodi ſub Antonino, potiſsimum autem in his, qui ruri degebãt, factum eſt, cum prius malos, corruptosq; humores aggregarint) tandem febricitabant, cum ijdem ad putredinem deuenirent; hiſq; ſi ſanguis, antequam febricitent, emittatur, non laudabilis, ſed totus vitiatus conſpicitur. ſiq; ad præſeruationem expurgentur, humores omninò praui & corrupti educuntur, qui probi ex malo victus genere non potuerũt gigni. corruptio igitur in hiſce febribus putredinem manifeſtè præcedit. at in illis, quæ vel ex peſtilẽti aeris ſtatu, vel ex contagio ortum habent, non ita liquet; immo videtur vnà accedere, quod tamen ita explicandũ erit;

Corruptio, & putredo humorum in febre peſtilenti quomodo ſe conſequantur.

Aer peſtilens, contagiumq; cum inficit quempiam, non alia ratione validè, citòq; in eundẽ ſuam prodit actionẽ, quàm ratione venenatæ naturę: qua ambo hæc improportionata homini, inimicaq; facta ſunt, venenata autem hæc natura nõ in putredine conſiſtit. quod & validitas, & velocitas agendi indicat: licèt enim quod à putrido contãgitur, putridum fiat, tamẽ hoc non ſubitò, nec velociter fieri poteſt, ſed ſenſim, & temporis ſpacio conuenienti contingere debet, quoniam hinc qualitatum actiuarũ, paſsiuarumq; mutua actio, paſsioq;, per quam res putrida fiat, requiritur. at res venenoſæ, cum non ratione qualitatum, ſed ratione ſubſtantiæ agant, poſſunt, cum actuatæ ſunt, ſubitò, & validè agere; hinc hauſto veneno quis repente moritur, per fomitẽq; ex contagio quis ſubitò inficitur; quæ nec putrida aſſumpta, nec adhæſu contãgentia facere poſſunt. præterea ſi hoc de peſtilenti

Venenata humorum natura in putredine nõ conſiſtit.

pestilenti aeris statu quis posset imaginari, quid de contagio asseret? in quo vnico contactu, vnica inspiratione communicatur pestilens affectus, hoc ne ex putredine? cũ ęgrotans ex contagio infectus, & carnes diu mactatas, & fructus horarios, quę omnia ad putrescendum promptissima sunt, consimiliaq; diu contrectet, nec ea putrefaciat: at putrefaciet humores in corpore alterius existẽtes, qui à natura eius propria regulantur, & reguntur vnico contactu, vnicaq; expiratione, simulq, pestilentem affectum inducet? sanè hoc non ex putredine, sed ex venenata natura contingit, cuius violentię ratione corrupta humorũ substantia, factaq; perniciosa, cum amplius regi à natura nequeat, tandem putrescit. hincq; fit febris pestilens à contagio inducta. hoc idem in pestilenti aeris statu contingit. hic enim factus ex corruptione, vndecunque causata fuerit, naturæ humanæ inimicus, attractusq; tum per arterias, tum per inspirationem, primò quidem spiritus, postmodum humores, vltimò partes corporis solidas labefactat, non putredine certè, sed mala, & perniciosa qualitate, qua humores præcipuè labefactati, multumq; corrupti, cum à natura non regantur, statim posteà ad putredinem deuenientes febrẽ pestilentem causant, hincq; febris pestilens ex aeris mala cõstitutione. Hoc idem hinc confirmare possum, quòd sæpe & contagium, & aeris status pestilens pestilentem affectum in humores inducant nulla præsente putredine, vt clarè liquet, cum sine febre pestis inuadat. si enim à putredine hoc esset, quis posset imaginari pestilentem affectum in humoribus, ipsisq; putrescentibus nullam præsentem adesse febrẽ? at sæpe sine febre pestilentes affectus apparent. In pestilenti igitur aeris statu, à contagioq; inuehitur, dum febris per hæc introducitur, corruptio, & putredo, quæ simul accedere videntur, attamen & tempore, & ratione semper corruptio putredinem præcedit, licèt breui hęc illam subsequatur. Quapropter in omni febrium pestilentium genere pu-

tredo

Febris pestilens quæ sit.

tredo corruptionem subsequetur. hincq; concludendũ erit, quòd febris pestilens ea est, in qua humores corrupti putrescentes non solo calore putrido, sed & perniciosa qualitate cor lacessunt: quæ mala qualitas fundatur non in temperatura aliqua, vel qualitatibus vllis, sed in natura venenata ex corruptione causata. sicuti pariter vis attrahendi ferrũ cõsistit in natura magnetis, sicutiq; vis educandi bilem fundatur in substantia Rhabarbari, non in eorũdem illa temperie, vel qualitate. Quemadmodum autem & Rhabarbarũ in corpore nostro suam non prodit actionem, antequam actuatũ sit à calore nostro, ita & humores corrupti, antequam putrescant, per febrem suam non proferunt actionem, sed tantum cum per putredinem mala illa qualitas delitescens excitatur, cuiuscemodi cum per actuationem in Rhabarbaro attractio bilis exsuscitatur. Animaduertendum autẽ est, quòd ista mala qualitas pendens à venenata natura causata à corruptione non excitatur à putredine solum; quoniam & aliter suam potest prodere actionem. si enim causæ putredinem inducentes non sint præstò, poterit quidem hæc materia imputris aliquandiu seruari, tamen spatio temporis, vel cum in molem eximiam excreuerit, vel cũ non retineatur in proprio conceptaculo, vel cũ à causa aliqua extranea concitabitur, suam depromet actionem & vim, & prout magis huic membro, quàm illi, inimicam gerit naturã, modò etiã syncopas, modò epilepsiã, modò alias infert læsiones, nulla concomitãte febre. quæ eadem materia, si ad putredinẽ deueniat, cum vel in mole eximia, vel in loco ad febrẽ producendam apto extiterit, tunc febrẽ inuehit pestilentẽ, malamq; illam qualitatem putredine mediante facilius depromet, ac excitabit. His omnibus hoc addo, quoniam longa serie determinatum est in febre pestilẽti corruptionem semper putredini præire, non existimet quis, quòd omnis corruptio putredinem præcedat; nam & aliquando corruptio à putredine causatur, cuiusmodi frequenter in externis videmus

Mala qualitas non semper à putredine excitatur.

Corruptio humorum nõ semper putredinẽ eorundem præcedit.

demus. nam & fructus multi, præcipuè horarij, & carnes diu mactatæ, & frumentum, legumina, cęteraq; cerealia ſemina malè repoſita ſæpè per putredinem corrumpuntur. quod idem humoribus corporis noſtri ſæpius euenit; nam accedente putredine aliquando corrumpuntur, nec tamen hoc à ſuperioribus diſſonum eſt; nam in omni quidem febrium peſtilentum genere corrupti humores, qui naturam nobis inimicam adepti ſunt, putreſcunt, hincq́; febris peſtilens pēdet. attamen & aliquando ex putredine humorum ingenti ijdem corrumpuntur, naturamq́; venenatam indè cõcipiũt. quod tamen cum euenit, nundum facta eſt febris peſtilens, ſed hinc fieri debet. dum enim intenſa putredine humores, ſiue hoc in membro particulari, ſiue in venis patiantur, putreſcunt, nondum autem ſint corrupti, non potuerunt concipere naturam illam pernitioſam: ſed putredo illa eſt via ad corruptionem, & ad generandam malam illam qualitatem. quæ duo ſi ſubſequantur, tunc perſeuerante eadem, vel noua accedente putredine fit febris peſtilens. quod experientia ſæpiſsimè patuit. multæ enim incipiunt febres, quę à principio non ſunt peſtilentes. quæ tamen, ſi medici ignorantia, negligentiauè, ægrotantiumq; inobedientia, aut cauſarum externarum ſæuitia malè tractentur, acuta, magisq́; intenſa facta putredine in peſtilentes deſinunt. hoc nõ aliunde euenit, quàm ex mala corruptione in humoribus cauſata ab intenſa putredine. quæ tamen non potuit edere febrem peſtilentem, niſi cum materia putreſcens eo corruptionis deuenerit, qua pernicioſam naturam conſequuta ſit. caſus conſimiles rari ſunt, febris autem peſtilens à principio ſæpius talis. ſ. peſtilens inuadit, tuncq; non à putredine intenſa mala illa qualitas ortum habet; nam vnà cum putredine apparet, immo in primo inſultu febris, dum putredo incipit tantum, nondumq́; conſumata eſt, natura illa maligna iam eſt genita, tuncq́; magnam de ſe profert actionem. quod clarè indicat qualitatem hanc malam aliunde, quàm ex pu-

tredine generari. Quare statuatur, in omni febre pestilẽti putrescere humorẽ, qui ex corruptione perniciosã, venenatámq; labem, quæ in nulla intẽperie consistat, sed in natura aliena, nobisq; inimica, ex corruptione in humorẽ inuecta conceperit. hæc autẽ natura est intima rei substantia humanæ opposita, consimilis ei, quæ in lethalibus venenis reperitur.

Praua qualitas febris pestilentis an consistat in summa putredine. Cap. VII.

SCio plurimos huiusce fuisse opinionis, quòd praua qualitas, qua affligitur cor in febre pestilenti, in vnica consistat putredine, eaq; summa. quæ opinio, quoniã præclarissimos auctores, fautoresq; habuit, ideò à nobis erit discutiẽda. Nemini dubium est, quòd humores corporis nostri eò corruptionis quandoq; deueniunt, vt propriam amittentes naturam, alienamq; subeuntes, lethalibus venenis cõsimiles reddantur. corruptio hæc nõ est putredo, longèq; à putredine distat corruptio. à gladio, à veneno, ab apoplexia, à multisq; alijs internis morbis corrũpitur homo, nõ tñ putrescit. in corruptione solum propria rei natura intima destruitur: at putredo est via in corruptionem, putrediniq; additur, & calor, & fœtor; hinc febris & fętor a nomè, quod nõ à phagædina, licèt vtraq; partem corrumpat; quoniam hæc sine putredine, illa cum putredine corrumpit. putredo igitur, & corruptio adinuicem differunt. His addo quòd quandocunq; humores corporis nostri alienam subeunt naturam, semper corrumpuntur, at non semper putrescunt. hoc ex inductione patere potest. In epilepsiá per consensum à digito pedis, vel à crure, vel à manu, vel à quocunq; alio particulari membro (cuiusmodi aliquando nos, testante experientia, vidimus) genita est materia perniciosa, venenatam naturam gerens in loco primario affecto, at hoc ne ex putredine? an ex corruptione? non herculè ex putredine; quoniam cum humores nostri corporis ex putredine concipiant

Corruptio humorũ, p quã acquirunt prauã qualitatẽ, non est putredo.

Corruptio q̃d differat à putredine.

Humores, cũ prauã qualitatem suscipiũt, semper corrũpuntur, at non semper putrescunt.

cipiant igneum calorem ad sensum in parte læsa, & ante paroxismi inuasionem, dum materia hæc putresceret, perciperetur caliditas, eaq; cum molestia. quod tamē nec ratio, nec experientia comprobare potest, imò nisi perciperent ægrotantes in inuasione epilepsiæ motum illum à parte læsa, siue sit aura quædam, siue qualitas, nulla adesset coniectura, qua inueniri posset pars primariò affecta. In vteri præfocatiōe materia, à qua vapor ille malignus, qui vel cor, vel cerebrum, vel diaphragma petit, eleuatur, procul dubio verè in vtero non putrescit, licèt in eodem verè corrupta sit. si enim putresceret, caloris sensum eò inueheret. quod tamen nequaquam verum est: immo experientia oppositū persuadet. non solum enim ibi nullus percipitur calor, sed frigiditas, & non tantùm illius partis, sed etiam totius corporis, satis insignis frequenter apparet, quam subsequi ex putrido humore nō est possibile. Sed quid magis? in his, qui subita morte necati sunt ex materia venenata effusa supra cor, corruptio humorū proculdubiò certissima est, at nō putredo. nam si à putredine hoc esset, cum hæc materia omnium sit perniciosissima, maximè deberet putrescere; at quomodò potest tanta esse putredo in partibus internis, præcipuè circa cor in thorace ipso, vbi tales materiæ potissimum suam habēt sedem, sine vllo caloris sensu? hoc profectò fieri non potest: & tamen hi subitò de medio tolluntur, nulla præexistente sensibili læsione. constat igitur venenatam adipisci naturam humores, cum corrumpuntur, qui tamen nō necessariò putrescunt. His habitis rem ipsam aggredior. Materia, quæ in pestilenti febre putrescit, cor eo tēpore mala affligit qualitate, quo vix incipit putredo. hoc autem firmum est ind cium, prauam hanc qualitatem aliunde, quàm ex putredine, ortum habere. nam incipiente febre ipsa, in ipsiusq; primo principio, & insultu, in quo & febris est pestilens, & perniciosa qualitate cor petit: tunc putredo, quę est incipiens, non potest esse summa. si enim

morbi non ab augmento, nec à statu, sed ab ipso principio, in quo omnia sunt imbecilliora, incipiunt, non in prima febris pestilentis inuasione poterit esse summa putredo. præterea si ignis omniũ agẽtiũ validissimus ligna cõcremãdo non põt eorũ substantiã vnico ictu ignescere, sed prius partes exteriores,& sicciores, mox & interiores adoritur; quid de putredine, quæ longè imbecillior agens est, asserẽdũ erit? hæc.n.non in instanti totã humoris substantiam, sed eo ordine, quo & paleæ,& stipulæ,& virgulta,& ligna simul mixta concremãtur; ita prius partes humorum tenuiores,& accendi faciliores,& ad putrescendũ aptiores, postmodũ & solidiores,& intimiores populatur. impossibilèq; est, ꝙ vnico ictu oculi profunda, sũma, sordidaq; simul in re vna fiat putredo, eo statim summa putredine putrescẽte. Quod idẽ exteriora omnia putrescentia attestantur, & indicant. nam quicquid extra hominem putrescit, prius leui, & superficiali (vt ita dicam) postea labe ingrauescẽte, summa, & sordida, profundaq; putrescit putredine. nihil autẽ in totũ, & in intima rei substãtia statim putredinẽ summã concipit, nec concipere potest. putredo enim, cum ex mutua actione, & passione actiuarum, passiuarumq; qualitatum fiat, non potest subitò ad summũ peruenire gradum, sed necessariò primò leuior fit, postea augetur, inualescitq;; & prout passiuæ qualitates dominium maius suscipiunt supra primas, magisq; humidum euagatur, ita intensior,& maior euadit. Quare cũ à principio non possit esse summa putredo, à principio autem praua qualitas affligat, ab ipsa summa putredine praua hæc qualitas non dependet, sed a venenata humorum natura, quam ex corruptione oriri iam docuimus. At si quis per summam putredinem non eam intelligat, quæ intimam rei substantiam populatur, sed eam, cuiuscunq; sit partis, quæ sordida,& praua est, nec etiam hinc conijcere potest malã hanc, perniciosamq; qualitatem à summa dependere putredine; quoniã si hoc esset à putredine, contingeret, vel quia

An mala qualitas febris pestilentis consistat ĩ sordida, & praua putredine.

vulgaris

vulgaris putredo ad hoc satis, vel quid aliud necessariò addendum esset. nō herculè vulgaris putredo satis esse potest, quia hinc oēs febres putridæ essent pestilentes: at quid est hoc aliud, quod requiritur? vel extensio, vel intensio putredinis. non extensio, quia febres synochæ inter continuas sunt mitissimę, in quibus tamen putredo in maiori est mole, quàm in cęteris omnibus. an igitur intensio? certè ista intensio in gradu, si in inuasione febris reperitur, vel à causis efficientibus, vel à materiali prouenit. causæ efficientes sunt duæ, scilicet vel putrida occurrētia, vel obstructio. obstructio nō potest esse sufficiens causa huius sordidæ putredinis: tū qm̄ est causa cōmunis cęteris febribus putridis, ob quā tamen, licèt aliquando sit contumacissima, & validissima, non redduntur pestilentes; tum etiam quia multæ pestilentes febres, vel nullis, vel minimis præsentibus, obstructionibus generantur, cuiusmodi eæ sunt, quę ex contagio, & in pestilenti aeris statu inuehuntur. Nec etiam putrida occurrentia possunt esse causa totalis huiusce prauæ putredinis. quoniā licèt hoc posit in febribus, quæ ex contagio, pestilentiq; aere contingunt (hoc tamen à veritate dissonum est) imaginari: nihilominus in illis, quæ intersporades morbos eueniunt, nihil tale fingere possumus, cū nulla dentur in his putrescentia, quæ adhæsu tantùm, & per fomitem humores in putredinem deducant. relinquitur igitur sola materialis causa, tanquam sufficiens ád dandā tam malam putredinem; hæc materialis causa vel sunt humores, vel superfluitas corporis nostri. hæc duo autem, cum tam sordidam subeunt putredinem, vnde hoc habent? certè cū sunt in naturali statu, nullus sanę mentis assereret, hanc mutationem ea posse inire; quoniam cum nec causæ putredinis efficientes ad hoc agendum sint aptæ, ipsaq; materia per naturalem essentiā ad hoc posit resistere, quomodo possent tantam recipere putredinem? Si autem non retineant naturalem statum, hoc est, vel quia aliquam subierint tempe-

Putredinis causa efficientes.

Putredinis febrium materialis causa.

ramenti mutationem.& tunc si putrescant, vulgari putredi ne tantùm afficiuntur.quod idem in cæteris febribus putridis quotidie euenit,vel etiam substantiæ, & tunc corruptionem patiuntur, eoq; tempore forsan possunt hanc sordidã putredinem inire,aptaq; sunt, vt summè, & profundè putrescant. Sed quid tunc erit? demonstratum est, humores, excrementaq; corporis nostri per corruptionem extraneã inire naturam, nostræq; inimicam: quare cum hæc ad putredinem deuenient, mala illa qualitas, quæ in febre pestilenti cor petit, per corruptionem iam erat genita. cui tantùm hoc additur,quòd per putredinem ad agendũ promouetur, excitaturq;: nõ igitur licèt in principio,in insultuq; febris pestilentis summa, sordidaq; adsit putredo,ab hac qualitas ea mala dependet,nec generatur, sed à materia corrupta à putredine excitata deueniet. His omnibus certissimũ addo argumentum. Si febris pestilens, eiusq; perniciosa qualitas in vnica consisteret putredine, fomes per contagium,vel ex contagio ægrotans,aërq; in pestilenti aeris statu per putredinem eadem inducerent. quod cum longè à veritate dissideat, firmissimum sit indicium, qualitatem malignã in vnica non consistere putredine.qui enim pestilenti febre ex cõtagio laborat, cum alterum inficit, siuè hoc sit immediatè, siue per fomitem,non per putredinem hoc agit. cum enim putredo sit communis omnium mixtorum passio,hincq; accidat, vt quod à putrido tangitur, putridum fiat, si actio cõtagiosi esset per putredinem, omnia contacta(præcipuè autem fomitem ipsum, qui tamen per menses, & annos immunis ab omni putredine seruatur) & non tantùm hominẽ, putrefaceret; & si non æquè cito hæc, vt illa, tamen omnia tempore conuenienti posset putrefacere. quod tamen falsum est; idem de aere pestilenti hominem coinquinanti est asserendum:quia si per putredinem hic ageret, pestes omnes generales omni animalium generi, & non particulares vni particulari essent;ęque enim in omnia putredinem inue-

Febres pestilentis pernitiosa qualitas nõ consistit in putredine.

heret

hæret, cuius tamen oppositum experientia testatur, qua pestis vni animalium generi nocere, & alteri non communicari videmus. non igitur per putredinē hęc inficiunt; at si non per putredinem, qua ratione id agunt? mala agunt qualitate, quæ non ex putredine, sed ex corruptione orta inimica humanæ naturæ facta est. sicutq; ex corruptione orta est, ita & corruptionē inducit, hincq; in altero conformē progignit ex consimili corruptione qualitatem. quæ ideò homini, & omnibus animalibus est perniciosa; quoniam quod vni est venenum, nō omnibus est venenum, sicuti taxus non ruminantibus animalibus lethalis est, quæ non est ruminantibus, cicuta homini perniciosa, quæ sturno alimentum est, & plura consimilia sunt. hinc autem ex aere fiunt pestes huic speciei particulares, & non illi, quoniam diuersam, & non eandem semper subit corruptionem. per hanc autem adipiscitur naturam huic animali, per aliam alteri inimicam. Pariter in contagio facta est corruptio, quæ homini, & non cęteris animalibus est lethalis. hincq; contagio infectus solum hominem, & non cætera corrumpit. Quòd si in infecto ex contagio, & in coinquinato ex aere pestilenti subsequatur febris superueniente putredine, non est, quòd nō præcesserit & corruptio, & mala qualitas; idē enim in his contingit, quod & in gangræna. in hac enim prius corrumpitur pars gangrænata, postea putrescit. ità in febribus his pestilentibus prius corrumpuntur, postea putrescunt humores. Quòd autem & corruptio semper pręcedat putredinem, quodq; mala hæc qualitas non à putredine dependeat, hinc confirmari potest, quòd nec infectus ex contagio, nec aer pestilens semper, cum hominem inficiunt, febrem inducunt. nam infectus ex peste certè necessariò ęgrotat, at non necessariò febricitat, multiq; ex cōtagio, & ex aere pestilenti laborarunt nulla concomitante febre, in quibus tamen semper fuit humorum corruptio, at non putredo, quod clarè monstrat hæc agentia non per

Pestis quare vni animaliū speciei noceat, & nō alteri.

Corruptio in pestilenti febre putredinē præcedit.

putredinem, ſed per malam qualitatem ex corruptione agere, malamq; hanc qualitatem nō in putredine, ſed in corruptione conſiſtere, quæ ſemper laborantes peſte, ſiue febricitent, ſiue nō febricitent, concomitatur. Hincq; accidit, quòd quando in febre peſtilenti affectus peſtilens à ſanguinis prauitate ortum habet, ſicuti in caritate annonæ contingere cōſueuit, vena ſecta, ſtatim ſanguis apparet corruptus, qui non ex putredine, quæ adhuc leuis eſt, & incipiens, ſed ex corruptione malus eſt; vnde poſtea cum putreſcat, febrē edit peſtilentem. Ad horum confirmationem hoc vltimum addam. Medicus artifex eſt ſenſatus, morboſq; intimos per ſigna dijudicat, vnde maior huius noſtræ artis pars coniecturalis dicta eſt. cum igitur hac via procedat ars noſtra, ſi hæc praua qualitas in ſumma conſiſtit putredine, ſicuti prauæ qualitatis ſigna clara apparent, ita & ſummę putredinis inditia certa adeſſe deberent: at infinitæ contingunt febres peſtilentes, quę nullum, vel minimum ſummæ putredinis ſignum nec in pulſu, nec in lotio, nec in excrementis cæteris præbent. cum autem abſint hęc ſigna, qua via, niſi forſan obſtinata, peruicaciq; ſententia, erit iudicandum in his ſummā adeſſe putredinem? at dicent, febres hæ non putridæ, ſed hecticæ ſunt, ideoq; ſigna hæc in his non ſunt neceſſaria, cū putredo nō in humoribus, ſed in cordis ſubſtātia ſit; ideoq; & pulſus, & vrina ab his, quæ in ſanis viſuntur, non longè diſtant. quoniam partes ſolidæ non æquè, vt humores, per excrementa ſuā proferunt, manifeſtant ve læſionem. At certe hoc figmentum eſt: nam ſi cor in ſui ſubſtantia hanc putredinem conciperet, quam excogitare medicinam ad eius ſalutem ars noſtra poſſet? nullā profectò. ſi enim nec eryſipilas, nec inflāmationem, nec vlcus poteſt cor tolerare, tantò minus putredinem tolerabit. quare nemo huic febrium generi ſuperuiuere poſſet; cuius tamen oppoſitum quotidiana demonſtrat experientia. nam ex his, qui peſtilenti febre laborant, multò facilius, pluresq; ex his euadūt,

Febres peſtilētes, in quibus nullū apparet putredinis ſignum, quales ſint, & quare hoc contingat.

ſi rectè curentur, qui nullum putredinis ſignum habent, quam hi, in quibus multa ſummæ putredinis adſunt indicia, cum autem & multi ex huiuſcemodi febribns liberentur, multique his ſuperuiuant, neceſſariò concludendum erit, nec putredinem in cordis ſubſtantia eſſe, nec in ſumma putredine, cuius nulla extant inditia, prauam hanc conſiſtere qualitatem. Quamuis autem in conſimili febre, vbi vel nulla, vel minima putredinis inditia apparẽt, in pluribusque alijs in prima ſaltem inuaſione negatum ſit ſummã adeſſe putredinem, affirmandum tamen eſt in vnaquaque peſtilenti febre malignam putredinem reperiri. Nec idem eſt dicere malignam, & ſummam putredinem. ſumma enim eſt, cum intenditur ad ſummum gradum: quod accidit, cum qualitates paſsiuæ ſupra actiuas omninò dominantur, humidumq; cum à calore interno amplius nullo regatur pacto, liberè euagatur. vnde & graueolentia, & fœtor ſuccedit. maligna autem dicitur, cum materia, quæ malam iam qualitatem, corruptionemq; conceperit, licèt ad ſummum non peruenerit putreſcendi gradum, putreſcat. huic enim excitatur omnis iam concepta labes, ad agendumq, facilè promouetur. hanc malignã putredinẽ in omni febriũ peſtilẽtum genere ponimus: ſummã autẽ negamus, non quia ſumma in aliquibus poſsit adeſſe, ſed quia hæc in omnibus nec reperitur, nec ab hac peſtilentis febris eſſentia dependet. in qua autẽ febre hæc dabitur, nil aliud proferet, quàm maiorẽ morbi ſæuitiã, diſcrimẽq;. quò enim maiorẽ concipit materia corrupta putredinẽ morbus inde genitus eò ſemper grauior, ac ſæuior redditur, & cauſatur.

In omni febre peſtilenti maligna adeſt putredo.

Putredo ſumma, & putredo maligna differũt, et huius ratio, et cauſa.

An in febre peſtilenti vel cordis humiditates, vel humores in eiuſdem ventriculi exiſtentes neceſſariò putreſcãt.

Cap. VIII.

IVdicarunt nonnulli, pro certoq; affirmarunt febrem peſtilentem in duobus tantùm conſiſtere, quorũ primum

est, quòd summa sit putredo in humoribus, à quibus ipsa pendet: alterum, quòd humores hi ea summa putredine putrescentes in ventriculis cordis, tanquam in foco, vel si non in eius ventriculis, ipsius saltem cordis humiditates putrescant, summam putredinem dicunt, sæuities symptomatum clarè indicat: quòd autem putredo sit vel in humoribus cordis, vel in eius humiditatibus, significant & eius generationis modus, & superuenientia symptomata, & cordis validæ, & prauæ affectiones. nam vtplurimum generantur hæ febres ex aeris inquinati, & corrupti inspiratione: hic autem aer primò petit cor, igitur vel cordis substãtia, vel humores necessariò ipsius cordis afficiuntur. at substantia tantùm in hectica, igitur in omni putrida febre pestilenti, vel cordis humores, vel eiusdem humiditatis putrescunt; hoc idem indicant & symptomata, & cordis affectiones: nam in his febribus, quàm primò virtus cadit, superueniunt syncopæ, adsunt æstuationes ingentes, & inquietudines, nullo existente loco alio particulari affecto, magnæ accedunt. igitur in his febribus materia putrescens sedem habet in corde, tanquam in foco. Sententia hæc satis probabilis videtur, nequaquam tamen vera est. nam quòd necessario in eiuscemodi febribus maligna, sed non summa putredo requiratur, ex præmonstratis satis liquet: quòd autem in omni febre pestilenti in corde tanquam in foco materia putrescat, nec experimento, nec rationi consonum videtur. Experimentum quidem contrarium dictat; quoniam in colica illa pestilentia, quæ Pauli tempore viguit, totamq; Italiam, nonnullasq; alias Romano Imperio subditas regiones populata est, profectò materiã nõ in uentriculis cordis, sed in ipsis intestinis crassiorib⁹ tãquã in foco habebat. Viderũt patres nostri annis illis celeberrimis millesimo quingentesimo vigesimo octauo, & nono phrenitides pestilentes plurimas, lethargicasq; passiones, nonnullasq; pleuritides, at certè in his & in cerebro, & in pleura materia tanquàm in foco,

In febre pestilẽti materiã in corde tamquã in foco putrescere, non est vniuersaliter uerum.

foco, nō herculè in cordis ventriculis putrefcebat; vidimus & nos confimiles morbos peſtilentes, quorum materia ſanè non in corde ipſo, ſed alibi ſedem habebat. Bubones, carbunculi, tumoresq; alij conſimiles peſtilentes dum ſunt affectus primarii, ſæpè peſtilentem febrem inducunt. at in hac certè in inguinibus, non in corde materia putreſcens tamquā in foco reperitur. plures alij reperiuntur peſtilētes morbi, quorum nullus in corde cauſam febris habet, ſed in quouis alio particulari morbo, quos (quoniam rectè conſiderāti antiquiorum dicta patere poſſunt) non recenſebo. Et ſi phrenitico illi, qui in Thaſo tertia die peremptus eſt, quem tamen peſtilenti affectu non laboraſſe affirmo, vt inferius probabitur, non phrenitis, quæ ſymptomatis vice ſuperuenit, ſed virulentorum humorum copia, & mala qualitas in cauſa mortis fuit, non eſt, quòd in omni peſtilenti morbo locorum particularium affectus ſemper ſymptomatum vice conſequantur, ſupponantq; alteram præcedere in corpore malam diſpoſitionem. huius enim phrenitici caſus eſt particularis, à quo ſolo vniuerſalem deducere concluſionem non licet. Præterea ſicuti mors tertia die in iſto accelerans indicium eſſe poteſt non ex phrenitide, quę non ita hominem citò perimit, ſed ex febre praua ab humoribus virulentis pendente eum perijſſe: ita in prædictis caſibus circuitus proprius morborum proprium typum ſeruantiū, indèq; vel in mortem, vel ad ſalutem terminātium ſufficiēs ſignum ſit, quòd loci primariò affecti, & non ſymptomatis vice ſint læſi, quodq; in illis materia tanquam in foco ſedē habeat, illincq; tota vis morbi, tāquam à proprio fonte emanet. nec virtutis caſus, nec ſyncopæ, aliaq; conſimilia aptū poſſunt eſſe indicium ad ſignificandam in corde, tanquam in foco, putredinem. quoniam licèt hæ ſint proprię cordis paſſiones, non tamen ſemper primario affecto corde generantur. nec proprietas paſſionis ſemper affectionē primariam includit; ſicuti enim epilepſia à digito pedis fit propriè

Lib. pri. Epid. ſect. 3. tex. 25

Cordis ppriæ affectiones nō ſēper fiūt primario affecto corde.

priè affecto cerebro, sed non primariò. ita in febre pestilenti symptomata illa superuenĩẽtia indicant quidem cordis propriam, at non primariam affectionem. nam potest alibi materia putrescere, quę tamen ad cor qualitatem calidam, & perniciosam vnà transmittens ea praua inducat symptomata, propriè quidem, at secundariò affecto corde. Aestuationes etiam illæ, & inquietudines à multiplici possunt causa prouenire, sicuti affecto ore ventriculi, alijsq; visceribus, vel existente materia putrida in vasis magnis propè cor, & à consimilibus affectibus; quare nec necessariò indicant materiam in corde, tanquam in foco putrescere. Nec harum febrium per inspirationem generationis modus hoc idem sufficienter demonstrare, aut persuadere potest; quoniam causa hæc ad omnes non est vniuersalis: quæ enim inter spo rades morbos connumerantur, & quæ per contagium eueniunt, nullam talem generationem, sed longè diuersam habent. Non negandum quidem est, quòd aliquandò materia in corde tanquam in foco putrescat, quod potissimum affirmamus contingere posse in pestilenti aeris statu, dum inspiratus aer in corde ipso corruptionem, & malam qualitatem inuehendo est in causa putredinis vel humorum, vel humiditatum ipsius cordis. non tamen hoc vniuersaliter verum esse in omni febrium pestilentum genere est asserendũ. nam cum materia in huiusmodi febribus putrescens ad cætera venena proportionem habeat, ita & ipsis conformem naturam retinet. Venena autem omnia licèt cor lædant, hincq; mors sępè in veneno infectis succedat: non tamẽ omnia hæc, primò cor ipsum, sed multa sunt, quæ ante cor primò alias petunt partes. sicuti Cantharides, quæ primo vesicam, solatrum furiosum, quod primò cerebrum, lepus marinum, quod primò pulmonem petit, vltimò autẽ omnia hæc & cor ipsum inuadunt, vnde vitam terminare possint. consimiliter in febre pestilenti, licèt multoties primaria affectio sit in corde ipso, non tamen hoc semper cõtingit,

Venena omnia licèt lædãt cor, & mortem inferre possint, non tamẽ omnia cor ipsum primo petunt.

git, sed & in alijs partibus esse potest, à quibus tamen, & affectio ipsi cordi, excitante hanc putredine, communicari queat, nec hoc præter rationem; quoniam si in corde ipso, quod omnium membrorum nobilissimum, & validissimũ existit, potest tanta, & talis generari putredo; quid prohibet in cæteris corporis humani partibus, quæ omnes corde ad resistendum causis morbificis sunt imbecilliores, consimilem fieri affectum; vnde communicata deinceps cordi mala illa qualitate febris pestilens generetur? Non igitur ad constituendam febris pestilentis essentiam requiritur, quòd mala illa putredo in corde, tanquam in foco reperiatur, sed sat erit, quòd in eo sit loco, à quo possit perniciosa qualitas cordi communicari, per quam à cæteris febribus distinguitur, per quamq; ab ijsdem diuersa est. Relinquitur ergo, quòd febris pestilens ea sit, quę non calore tantũ putrido, sed etiam perniciosa qualitate cor affligens generationẽ habeat ex putredine maligna, quæ vel in corde, vel in alia corporis parte, vnde praua illa qualitas cordi communicari possit, sedem habeat.

Febris pestilẽs quæ sit.

De differentijs febris pestilentis à subiecto. Cap. IX.

DEclarata febris pestilentis essentia, ad eius differẽtias descendo, quæ cum sint multę, & diuersæ, diuersumq; studium requirant, omnes percurram, initium ab eis sumens, quæ à subiecto tanquam pręcipuæ, & principalissimæ capiuntur. Summæ omnium febrium differentiæ à subiecto sumuntur: prout enim hoc, vel illud in calefacto esse constitutum est, ita etiam febrium diuersa prodeunt genera. subiectum hoc triplex est, sicuti tria sunt ea, ex quibus humanum corpus est constitutum; nam vel spiritus, vel humores, vel partes solidæ sunt eæ, à quibus calefactis febres specificantur: hinc enim factum est, vt aliæ diariæ, & synochę, aliæ putridæ, aliæ sint hecticę febres. cum autem ex horum subiectorum diuersitate diuersa ita fiant febrium genera,

nera, considerandum est, an febres pestilentes per hæc eadem subiecta distinguantur, & an, quemadmodum febrium non pestilentum tres sunt differentiæ, scilicet diariæ, putridę, & hecticæ, cõsimiliter etiam detur febris pestilens ephęmera, putrida, & hectica. Quòd detur febris pestilens putrida, adeò clarè liquet, vt nec declaratione, nec probatione egeat. de ephæmera hectica maior est difficultas. Superioribus annis in Anglia, Germaniaq; inferiori, & circa finitimas illas regiones febris pestileris insolens genus apparuit, quod speciem ephæmerę pręseferebat; quãprimum hęc inuadebat, concidebant vires, pulsus ad inęqualitatem, celeritatem, & frequentiam mutabantur, hypothymia incidebat, tantusq; superueniebat sudor, vt huic modus non esset, ita ad vnam, vel alteram diem perseuerabant, vnde vel statim mortem oppetebant: vel si salui futuri essent, languor diuturnus, cordisq; molestæ affectiones superueniebant, superdurabantq;. Quoniam febris hæc ita citò terminabatur, à sudoreq; illo concomitata erat, iudicatum est, quòd perniciosa illa, & pestilens qualitas in spiritibus tantùm insideret, indeq; dictum est, febrem illam inter ephæmeras recensendam esse. Quæ tamen sententia nõ ita indiscriminatim est recipienda. nã ratione quidem temporis, eò quòd per vnã tantùm, vel ad summum ad alteram perduret diem, potest diaria vocari: sed ratione subiecti, eò quòd spiritus tantùm in ea sint in calefacto esse, in ipsisq; solis qualitas insideat pestilens, non ità asserendum est. symptomata enim omnia ipsam febrem tùm concomitantia, tum subsequentia certò demonstrant, hanc affectionem perniciosam in solis nõ cõsistere spiritibus. Casus enim ille virtutis, pulsusq; mutatio, & hypothymia, cæteriq; cordis affectus, qui huic febriũ generi assidentes videri possunt, si à solis spiritibus malè affectis dependerent (cum spirituum substantia vaga sit, & dissipabilis, continuèq; semper ijdem regenerentur) cessante febre, perfecta subsequeretur sanitas. cuiusmodi.n. syncopæ

Febris ephæmera pestilens an detur.

copæ illæ, quæ alteratis spiritibus à venenata materia contingunt, extincto veneno, regeneratisq; spiritibus tolluntur, virtutesq; hinc ad pristinum regrediuntur statum; consimiliter in febre ista, si à solis spiritibus hęc euenirent, cessante febre, dissipatisq; per vnam, vel alteram diem spiritibus illis malè affectis, cum liceat de nouo perfectos, purosq; regenerare, nec virtutes ità diu concussæ, nec cordis adeò prauę affectiones subsequerentur; Item palpitatio illa cordis, tremorq; ad plures annos se extendens, languorq; ille diuturnus certissimo sunt argumento, malam illam pestilętē qualitatē in alio subiecto, quā tenui, & dissipabili, cuiuscē modi spiritus sunt, consedisse, aliundèq; quàm ex materia instabili, fluxaq; ortū habuisse; sicuti enim hinc affectiones diuturnæ generantur: ita manifestum est indicium qualitatem illam malignam insedisse in subiecto, quod nō tantum non diffluat facile, sed quòd diu etiam possit persistere. huiusmodi autem cum non sint spiritus, nec hi erunt propriū huius qualitatis subiectum. Sudor etiam ille adeò copiosus, malusq; vt vires ex superflua eius euacuatione, digestioneq; videntur labefactari, aliquandoq; in totum extingui, non solos spiritus, sed etiam partes alias affectas fuisse, certissimo pōt essę argumēto. si enim à solis spiritibus hoc esset, vt contingit in syncope, sudor hic semper malus esset, malumq; semper prognosticaretur, at sanatio contrarium indicat; illi enim ab hac febre tantùm liberantur, quibus nō modo sponte, sed & arte, dum cardiacis remedijs cor tutantur, prolicitur sudor, quibusq; cōtinuè excipitur. si cui autem supprimatur, nulla artę sanari potest. Quare cum copiosissimus sit in hac febre sudor, ab eiusq; euacuatione sanitas dependeat, signum est per sudorem materiam malā, perniciosāq;, in qua febris, & maligna qualitas insideat, educi. hanc autem non posse esse spiritus, nulla eget demonstratione. Non igitur erit inter ephemeras hęc febris recensenda, eo quòd spiritus tantùm sint affecti; quoniam

& cordis substantia, & humores etiã, quorum pars tenuior, roridaq́; humiditates præcipuè venenatam concipiunt labem, cuius indicium est præsente febre sudor copiosus, & virium casus, post febrem autem languor diuturnus, cordisq; palpitatio duratura, in febre huiusmodi praua, & maligna affecti sunt qualitate. Et si vnico tantùm, vel ad summum altero perseuerat die, hoc nõ ex subiecto, sed ex propria veneni qualitate, cuius vis est subita, & summa causatur. & quemadmodum ex proprietate innata humorum à petuita quotidiana, à bile tertiana, & non è conuersò, fit febris; ita ex proprietate huius vagantis veneni vnica fit tantùm accessio, secundam nunquam transcẽdens diem. quod venenum, quasi tumultuariam inuehens accessionem, & spiritus & humores, partesq; solidas simul aggreditur, & popu latur, simulq́; à proprietate vnam tãtùm edit accessionem, cui si non mors, saltem virium debilitas maxima subsequatur. hæc de ephemera. ad hecticam deuenio. Suppositum est antiquum, duplicem esse pestilentem febrem, alteram putridam, alteram hecticam, & prauam vtramq; qualitatem in summa consistere putredine. sed illius in humoribus, huius in substantia cordis insidere. sicut enim hectica simplex à simplici putrida in hoc differt, quòd in putrida cor ab humoribus, qui in calefacto constituti sunt, incalescit; in hectica autem non incalescit, sed calefactum est, similiter in pestilenti putrida cor à praua illa, summaq; putredine, quę in humoribus insidet, affligitur, alteraturq́;, in hectica autẽ cor non ab illa mala qualitate, & putredine alteratur, sed alteratum est, eamq; labẽ in sui ipsius substãtia concepit, adeò quod hectica pestilens ea erit, in qua cor ipsum, & calorem, & putredinem in propria substantia concepit; hocque in facto esse, & non in fieri. quoniam autem hęc febris in habitu est, non aliunde generatur, sed iam facta est, ideò qui hac febre laborant, nullum habent caloris sensum, nec se febrire sentiunt, febrisq; vniformis est, nullam accessionis inuasionem

Febris pestilens, quæ visa est ephemera, quare vnicè tãtùm duret die.

Febris pestilens hectica qualis.

uasionem recipiens. His apponitur errore ad alias etiam pestilentes febres traductus specialis casus, in quo hoc asseritur, quòd si in febre ista, dum cor vnà cum mala illa putredine positum est in calefacto esse, eueniat, quòd quæ in vẽtriculis cordis continentur, tantò sint frigidiora, quantò cor ipsum vltra naturalem gradum factum est calidius, tũc pulsus nullam fere mutationem recipiant, pręterquam ad celeritatem quandam, & minimam, ita vt valdè similis sit sanorum pulsui: hincq; fit, vt cum æger se febrire non percipiat, nec accessionis vlla sensibilis inuasio reperiatur, pulsusq; sit sanorum pulsui similis, difficillima sit harum febrium cognitio, sæpèq; inde ægrotantes, dum sanos se esse credunt, in mortem pręcipiti ducantur cursu. Sententia hæc de pestilẽti hectica discriminis admodum plena est. si enim in ipsa putredine pestilens hic affectus, vt asserunt, consistit, siq; à putrescente aere, vt dicunt, huiuscemodi febres generantur, difficile est imaginari, cum humores ratione humiditatis eorum proprię sint ad putrescendum magis, quã cor ipsum, parati, putredinem eam potius in cordis substantia, quàm in humoribus firmari, nec admodum probabile est, cum cor ex innata temperie sit siccius, habeatq; corpus compactum, solidum, & febrosissimum, vnde omnibus iniurijs externis potest facilè resistere, ipsummet qualitatẽ pestilentem, & putridam in se ipsum recipere, non autem humores; humidum enim facilè omnium formarum susceptiuum est, sicuti siccũ difficilè, licèt hoc firmius, diutiusq; quàm illud, susceptas conseruet, hincq; prouenit, quòd multas putridas quotidiè, rarò hecticas videmus, putridæq; facilè sanentur, hecticæ autem non ita; Cum autem vnica tantùm ponatur causa harum hecticarum pestilentum, nimirum aeris putrescentis inspiratio, causaq; hæc omnes cordis partes & contenta, & continentia pariter attingat, nõ crediderim potius cordis substantiã, quæ nullum ferè morbi genus primariò ob eius tùm fortitudinem, tùm nobilita-

Febris hectica pestilens, quare habeat aliquando pulsus similes sanorũ pulsibus.

Febris pſtilẽs hectica an detur.

tem patitur, quàm humores in eius ventriculis contentos putredinem concipere. si tamen detur, quòd per inspiratio nem aeris pestilentis pestilens hectica generetur: quod ego forsan negare ausim, cum eius sim sententiæ, quòd aer pestilens non per putredinem, nec putrefaciendo pestem in hominem inducat; quoniam si hoc esset, cum putredo sit omnium mixtorum passio, non tantùm homines, sed etiam omne animantium genus, plantarumq; omnes species, & alias rerum differentias simul popularetur; si, inquam, hoc detur, nunquam etiam dabitur hectica sine putrida, tùm quoniam humores ad patiendum sunt promptiores, tùm etiam quoniam patiente cordis substantia impossibile est præseruare humores existentes in ejus ventriculis ab eadē putredine; quòd enim tangitur à putrido, putridum fit, eoq; magis, quò contactum ad putrescēdū habilius est, hocq; etiam facilius parte ea patiente, per quam cętera tùm regūtur, tū conseruantur. Casus autem illius hecticæ, in quo po nuntur contenta tantò frigidiora, quantò corde ipsum corpus est calidius, certè (liceat hoc fateri) potius est imaginarius, quam quòd vlla possit experientia, aut ratione firmari; proportio enim illa mente quidem concipi potest. at ratio non dictat, quòd membrum calidissimum, spirituumq; opulentissimum, continuoq; agitatum motu humores adeo frigidos in integra contineat sanitatē, cuiusmodi ante huius febris pestilentis inuasionē necessariò deberent esse. At si detur, tales humores in eo tunc contineri, nulli dubiū, quòd continuo contactu, & alteratione cor ipsum ad frigidum permutabunt, siq; intemperies erit valida, vires concident; si non ita, saltem pulsus ad paruitatem, tarditatem, & raritatem conuertentur; intemperiesq; hęc siue sit in fieri, siue in facto esse, cum in ipso residebit corde, cum præsentia eorumdem frigidorum humorum ad putrescendum cor ipsum inhabile reddet. frigida enim difficilius, quàm calida, putrescunt, ad putrescentiaq; magis, quàm hæc, impreportionata

tiohata sunt;in habentibus enim symbolum facilior est tran situs. quare stante hac inhabilitate, non ita facilè credatur hecticam pestilentem in tali corde generari;si enim hoc esset,quid cæteris,in quibus nec frigiditas hæc tutela, nec inhabilitas ad putrescendum inuenitur, contingeret? certò cum oẽs pariter eundẽ pestilentẽ inspirent aerẽ,homines cæteri proculdubio hac eadẽ pestilenti hectica laborarent. sed cũ clarè sensui pateat,non oẽs,nec plurimos ita vagãte etiã peste affectos esse,quid de hac positione sit statuẽdum, pateat. Aliud mirabile in casu isto additur, Videlicet,quòd in tali hectica pulsus similis est pulsui sanorũ,nec in quantitate vllo modo mutatur;qm̃ fit moderatus ex cõtrariorum actione tãtùm ad magnitudinẽ operante caliditate, quantũ ad paruitatẽ,frigiditate,similiterq; in alijs pulsus differẽtijs eodem contingente. Sed stante hac eorũ positione,quòd in tali hectica cordis substãtia,& qualitatẽ pestilentẽ,& ipsam putredinem conceperit,difficillimum est iudicare,quòd talis fiat pulsus: si enim vnaquæq; intẽperies valida, ex qua cordis vires concidunt,pulsus edunt debiles,& ideò ad paruitatem mutantur, quid putrescente cordis substantia erit cogitandum? num poterunt humores illi frigidi roborare cor putredine affectum,indeq; debilitatum, ita vt moderatus fiat pulsus inter languidũ,& vehementẽ? sed quæ moderatio potest esse in magnitudine pulsus, cũ humores frigidi pulsus edant paruos,putrescensq́, cordis substantia, indeq; virtutibus existentibus labefactatis languidos faciat? hic quid poterit magnos creare pulsus? at dices, calor intensus,sed hoc nec verum est,nec fieri potest;magnitudo enim pulsus non à calore, sed à virtute valida concurrente bono arteriæ statu, vsuq; generatur: nisi enim vires constent, licèt summa adsit necessitas, nũquã magnificent pulsus.quare cum nec ratione humorum contentorum, nec ratione substantiæ cordis putrescentis magnus possit esse pulsus, immo ad paruitatem inclinare debeat,non poterit in quan-

An in febre pestilẽti hectica possit esse pulsus moderatus.

titate vlla moderatio succedere. Sed si etiam omnia hæc concedamus, verumq; sit dari febrem hanc hecticam, dariq; propositum casum, cum omnes hæ febres insanabiles sint, in mortemq; omnes terminentur, ars nostra de his solicita esse nõ debet, nec aliquid moliri conetur circa partem istã, tanquam de ęgritudine, cuius vires supra omne artis ingenium, supraq; omne naturę robur eminet, raroq; contingit, temporeq, eo, quo ars nostra minimum pollet. Hæc de hectica, ad putridam redeo, quæ sola inter febres pestilentes certò relinquitur, quæq; sola à nobis venit consideranda.

De differentijs febris pestilentis à materia putrescente, et à loco, in quo eadem putrescit. Cap. X.

FEbrium putridarum differentiæ aliæ à materia putrescente, aliæ à diuersitate loci, in quo hæc putrescit, sumuntur. à materia quidem, quoniam in hac sanguis, in illa bilis, vel sit flaua, vel nigra, in alia autem pituita putrescit; prout q; vel hic, vel ille putrescit humor, diuersa oriuntur febrium putridarum genera. A loco autem, quoniam vel hæc materia in loco particulari conculcata putrescit, tũcq; fit febris symptomatica putrida ab affectu particulari nomen habẽs, vel in ventriculis cordis, & in maiorib. vasis, vel in minoribus, vel circa viscera, extraq; venas. tũc fit febris interpolata, cum hoc modo, hocq; in loco putrescit. cum autem cęteris modis, locisq; illis, fiunt continuæ. Has easdem omnes differentias videlicet tùm à materia, tùm à loco febres pestilentes recipiunt. A materia quidem primò, quoniam in aliquibus sanguis, in aliquibus cęteri putrescunt humores, à loco autem, quoniam hæc eadem vel in vno conculcata loco, vel in maioribus venis, circa cor ipsum, vel in minoribus, vel circa viscera, extraq; venas putrescunt. Si humores hi, vbicunq; putrescant, pestilentem febrem sunt causaturi, prius labem, & corruptionem, sicuti præmonstratum est, aliquam concipere debent, siue hoc ex præcedenti anno-

Febris pestilentis differentiæ à materia, & à loco.

ti annona, seu ex malo victus regimine, siue ab aere infecto, seu ab alia causa interna, externaue fuerit: cum autem ad putredinem deueniet, ratione diuersitatis ipsorum, rationeq; loci diuersa prodeunt febrium pestilentum genera. si sanguis, siue in loco particulari conculcatus, siue in maioribus venis putrescat, semper febrem prodit continuam, synochis proportione respondentem. si putrescat bilis conculcata, symptomaticam causat febrem, tertianis consimilem. si in vasis maioribus, circaq; cor, causum. si in venis minoribus, tertianam continuam. si circa viscera, extraq; venas, tertianam edit intermittentem. si autē melācholicus humor cōculcatus, proportionatam quartanę symptomaticam generat febrem, si intra venas, continuam quartanam. si extra, intermittentem. si verò pituita conculcata ad putredinem deueniat, febrem generat symptomaticam quotidianam. si intra venas, quotidianam continuam. si extra interpolatā. Cum sanguinem, vel in venis, vel in aliquo loco conculcatum putrescere dico, & propriè dictum sanguinem à cæteris distinctum humoribus, & totam massam sanguinis ex quatuor humoribus compositam etiam intelligo. Cum autem bilem vtranq; & pituitam, seu conculcatas, seu in venis deuenire ad putredinem assero, per bilem flauam sanguinis calidiorem, & tenuiorem partem. per atram crassiorē, & terrestriorem. per pituitam autem crudiorem intelligo; non enim intra venas synceri, & separati dantur humores, sicuti extra venas, circaq, viscera sæpe reperiuntur, vbi secreti, puriq; sępissimè reconduntur, reponunturq;, à quibus intermittentes postea generantur febres. A materia igitur hæ febrium pestilentum sumuntur differentiæ, quòd aliæ synocharum, aliæ tertianarum, aliæ quotidianarum speciem referūt. A loco autem, quòd hæ synochæ, illæ causonides, aliæ continuæ, aliæ intermittentes euadunt. Quò ad differentias à materia, nemini dubium sit, cum vnumquodq; humoris girus simplici putrescat putredine, indeq; varias fe- *In febre pestilenti posse omne humorū genus putrescere*

 briium

brium ſpecies generet, hæc eadem putreſcentia poſſe febres edere peſtilentes. hæc enim non ſunt immunia à corruptione, nihilq; his datum eſt, à quo ita præſeruari poſsint, vt incorrupta remaneant. quare ſi caſu labē aliquam conceperint, nihil prohibet, cum ad putredinem deuenient, indè excitata maligna, & praua qualitate, febres generari peſtilentes. Quòd pariter non vnicus putreſcens humor (vt nonnulli ſenſere) ſed omnes poſsint eſſe in cauſa febris peſtilentis, ſymptomatū diuerſitas, eorum deniq; proprietas proprios inſequens humores, certo ſunt argumento, ſopor, vigiliæ, deliria, ſtupiditas, ſitis intenſa, & aliquando nulla, inquietudo, mæſtitia, cæteraq; accidentia, (quæ adeò ſunt diuerſa, & oppoſita) diuerſitatem humorum peccantium indicant. & prout hoc ſymptoma hunc, vel illum conſequitur humorē; ita etiā hunc vel illum putreſcere demonſtrat. Hoc idem confirmari hoc poteſt, quòd non vnius humoris tantùm eſt ſemper ſupra alios dominium. ſed aliquando ſanguis, aliquando bilis, ſit vel flaua, vel nigra, aliquando pituita ſupra alios dominatur humores: cum autem concipitur labes aliqua, facilius eſt humorem ſuperabundantem hanc pati, quàm cæteros, vt qui grauior ſit naturæ, difficiliusq; ab ea regatur: concepta autem labe facile peſtilens ſubſequitur febris, quæ poſtea à ſuperabundanti, putreſcentiq; humore ſpecificabitur. omnes igitur humores, conſtitutum ſit, cum aliquam ſenſerint corruptionem, putruerintq;, peſtilentem edere febrē, hincq; aliàs ſynochas eſſe, alias tertianas, alias quartanas, alias quotidianas. hæc quò ad differētias à materia. Quò ad differētias autem à loco, maior impendet difficultas. Scio antiquiſsimam eſſe ſententiam, fereq; ab omnibus receptā, febres peſtilentes oēs eſſe cōtinuas, cōtinuasq; neceſſariò eſſe; quoniā hæ oēs periculoſæ, & lethales exiſtunt, intermittentes autem omnes carent periculo. Cuius tamen oppoſitum, cum hanc ipſam rem non conniuentibus conſiderarem oculis, & ratio, &

An omnis febris peſtilens ſit continua.

antiquio-

antiquorum scripta,& experientia me docuerunt. Constitutum quidem est, ab omnibusq; receptum, humores in ventriculis cordis existentes in pestilenti aliquando putrescere febre: at si in membro principali, omniumq́; nobilissimo, ac validissimo talis cōcipi potest putredo, eò magis hoc cōtingere poterit in quacunq; alia corporis nostri parte, præcipuè autem longè à vasis illis internis maioribus, vbi minus vigent spiritus, minusq; viget calor innatus: cum autē talis possit in omni parte accendi putredo, si extra venas hoc contigerit, non necessariò febris erit continua, sed intermittens. hoc idem confirmare potest, quòd quemadmodum non semper circa cor, & in venis maioribus venenatę materiæ, quæ hominem affligunt, generātur, sed quandoq; in distantibus membris; vnde à digito pedis, & à crure, & à manu epilepsiam videmus, pariter non semper in partibus illis internis putrescens materia pestilentem procreat febrem: sed cum extra venas, circaq; viscera quispiā humor labem, corruptelamq; conceperit, ad putredinem si deueniat, febrem necessariò prodet pestilentem, at non omninò continuam, sed interpolatam. Quòd autem præcipuè circa viscera, quæ in interiori reconduntur ventre, possit tanta generari humorum corruptio, vt ad putredinem deuenientes febrem generent pestilentem, nulli admirandū videatur, cum hoc in loco propriè sit sentina, & colluuies omnium humorum, excrementorumq;: hinc autem facilis est corruptio, & putredo. quę si possibilis est in ipso corde, eiusq, ventriculis, vbi fons vitæ, calor innatus, spiritusq́; potissimum resident omnesq́; vires, & vitales, & naturales sunt validissimæ, eò magis possibilis in his partibus erit, in quibus tanta humorum congestio, & miscella reperitur, in quibusq; nec tot spiritus, nec tātus calor, nec vires adeo validæ vigent: cum autem in partibus his putredo humoribus iam labe aliqua inquinatis superuenerit, nō febris continua, quia extra venas materia putrescit, sed interpola-

Febrem pestilentem intermittentē dari.

ta causabitur, quæ tamen non simplex putrida, sed pestilens erit. Ad huius confirmationem hoc addo. Senserunt artis nostræ proceres experientia edocti dari pestem à nulla concomitatam febre: cum autem & febris continua pestilens detur, deturq; pestis sine vlla febre, nemini mirandum sit, si etiam detur febris intermittens cum pestilenti affectu. cum enim pestis non necessariò febrem includat, nec necessariò etiam superueniens febris debet esse continua, sed diuersificabitur ab eo loco, in quo materia putrescens febrem accedit. & si hoc illi videatur mirabile, magis admirari hic poterit, quòd pestis sine febre reperiri posit. stante autem (vt rei euentus demonstrat, vtq; auctores dignisimi comprobant) peste sine febre, constituatur etiam pestilentem affectum cum febre intermittente dari. Et si dictũ fuerit, omnes intermittentes febres periculo vacare; vt quæ non ex inflammatione aliqua, nec ex maligna humorum putredine occasionem habeãt. quod innuere videtur, nullã dari pestilentem febrem, quæ interpolata sit, cũ nulla pestilens careat periculo, in omniq; febre pestilenti maligna adsit putredo. Hic animaduertantur duo, primum, quod omnes febres, quæ in quietem puram desinunt, quà affligunt cor calore tantùm putrido, nihil in se discriminis habent, veraq; est ea sententia in sensu isto. quoniam nõ habent fomitem, quo ipsum cor, & validè, & continuè lacessant. at si hanc eandem materiam ob corruptionem aliquã contingat venenatam naturam adipisci, nihil prohibet, dum per putredinem in singulis accesionibus illa mala qualitas excitatur, quin violentiam in cor inferant, simulq; læsionẽ admodum periculosam. Et si pestilens affectus, cui nulla coniuncta sit febris, sine aliqua putredine, sed sola venenata, & perniciosa natura lethalis est, nec sit mirum, quòd per putredinem excitata mala qualitas in febre interpolata, in qua materia iam labem adepta putrescat, periculum ægrotanti afferat. Et si in corpore humano generantur humores letha-

An omnis febris intermittens periculo vacet.

Lib. 4. Aph. com. 44.

lethalibus venenis proportionẽ habentes, qui dum ad cor, vel sola qualitate, vel propria substantia erumpunt, paucissimis horis, & aliquando subitò in mortem patientes pręcipitant, multò erit facilius, materiam, quæ iam labem conceperit, dum in paroxismo per putredinem commouetur, qualitatem perniciosam ad cor transmittere, hincq; mortis aliquando imminere periculum. per putredinẽ enim in hac materia contingit perinde, vt in cęno, rebusq; consimilibus fętidis euenit. hæc enim, dum quiescunt, nulloq; motu stimulantur, sæpe nullũ de se odorẽ malum prodũt; quę eadẽ si cõmoueãtur, agitenturq;, tãtus inde fętor emanat, vt vix sustineri queat. consimiliter hæ materię, quę labem aliquam perniciosam concepere, dũ quiescunt, nulloq; motu agitantur, nullã de se produnt actionẽ: quæ si ex putredine cõmoueantur, & ex ebullitione per putredinem genita agitentur, tũc excitatur illa mala qualitas, quę sopita iacebat, ad corq; transmissa, cũ ei sit inimica, aduersetutq;, idẽ adeò affligit, lacessitq;, vt vix eã sustinere, ac tolerare queat. sicutiq; iisdẽ rebus iterũ quiescẽtibus, à nulloq; motu tentatis fętor imminuitur, nec amplius inde tantus emanat prauus odor, nihilq; mali redolere vidẽtur, ita in febribus istis pestilẽtibus cessante putredine singulo quoq; paroxismo mala qualitas in declinatione accessionis continuè semper minus affligit, accedẽteq; integra quiete, nullũ eius vestigiũ superest. Quarę (vt ad id, quod notaui, redeã) animaduertatur, quòd sentẽtia illa, quę habet, oẽs febres in quietẽ desinentes, vacare periculo, intelligitur de febribus illis, quæ calore tãtũ putrido, nõ autẽ venenata cor natura affligunt. Animaduertatur secũdò, dũ dicitur, intermittentes febres ex maligna putredine occasionem nõ habere, quòd sententia hęc duplicem potest habere sensum, alterũ, quòd in his febribus nihil malignum, prauumq; putrescat; alterũ, quòd hæ febres à maligna, summaq; putredine ortum non habeant. primum dictum falsum est, secundum verum. non enim in intermittentibus febribus

Febris intermittentes ex maligna putredine ortum nõ habere, quomodo intelligẽdũ.

bribus est ea ingens, summaq; putredo, quæ malignam, perniciosamq; inuehere posſit naturam, tùm ratione materiæ, tum ratione loci. ratione materiæ quidem; quoniam in his potius ſynceri peccant humores, quàm ſanguinis partes, his proportione reſpondentes. hi autem ſynceri humores non ita, vt ſanguinis partes, ad putreſcendum ſunt apti. ratione autem loci; quoniam extra venas, intra quas multa viget humiditas, quæ putredinis intenſæ maior eſt occaſio, ad putredinem deueniunt. At licèt hi humores extra venas putreſcentes, à quibus interpolatę febres dependent, non eam ſummam, malignamq; in proprijs locis putredinem concipere poſsint; nihil prohibet tamen hos eoſdem humores eò corruptionis quãdoq; deueniſſe, vt pernicioſam adipiſcantur naturam: vnde cum hi poſtea putredinẽ concipiunt, non ex putredine malignã generant qualitatem, ſed per putredinem eam malignam, quæ prius erat ſopita, qualitatem excitantes, febrem edunt peſtilentẽ: tuncq; in ea maligna adeſſe putredo dicitur; non quia humores ſummam, malignãq; conceperit putredinem, ſed quia materia iam maligna, & pernicioſa in ea putreſcat. Quapropter verum erit, quòd in nulla febre intermittente ſit ſumma, & maligna putredo, quod tamen non tollit, quòd in ęadem non poſſit materia corrupta, & pernicioſa putreſcere, ratione cuius febris edatur peſtilens. Hanc eandem ſententiam, & antiquorũ ſcripta, & experientia confirmare poteſt. Nam teſtatur Hippocrates in peſte illa, quæ vniuerſaliter ætate ſua nationes plures populata eſt, vulgaſſe & tertianas, & quartanas, & quotidianas, quas nomine nocturnarum appellat; nec eſt quòd has febres intelligas tertianas, quartanas, & quotidianas cõtinuas; quoniam, & continuas propria voce ſubiungens enumerat, clareq; hoc dicto illas intermittentes à cõtinuis diſtinguit. Conſimiles febres peſtilentes, præcipuè autem tertianas, ſæpius ego diligentiſsimè earum formam, & naturam perſpiciens obſeruaui; quiq; non conniuentibus oculis

Maligna putredo quæ ſit.

Lib. 3. Epid. ſect. 3. tex. 64

lis artem hanc consumabunt, hoc idem aliquando animaduertent. Vidi ego quandoq; nonnullas tertianas, in quarũ principio, dum leue aliquod frigus, vel horror adesset, tanta caloris retrocessio eueniebat, vt caro prægelida esset, facies q; consimillima morituro appareret, pulsusq; adeo minimus, vt omninò nullus videretur, subsequebatur postea calor, qui tamen nec in augmento, nec in statu ad tactũ validus, nec acer percipiebatur; immo caro vel tepido calore, vel subfrigida vsque ad declinationem perseuerabat. pulsus accenso calore magis apparebat, sed paruus, inæqualis, frequens, & admodum imbecillis erat; continuè autẽ à principio vsque ad statũ hæc concomitabantur, videlicet sitis, quæ aliquãdo inexhausta erat, anxietas, timor maximus, inquietudo ingens, vt loco contineri non possent, & sensus aliquãdo caloris maximus, cũ tamen ad tactũ vel nullus, vel paruus adesset, animi defectus, sudores aliqui frigidi circa frontem, cordis vel palpitatio, vel tremor. hęc autem perseuerabant vsque ad declinationem, accedente declinatione omnia symptomata mitescebant primò: demum cum ad integram deueniret febris quietem, omnia cessabant; pariter pulsus, qui in prima inuasione ferè delitescebat, in cæteris autem temporibus erat frequens, paruus, & inæqualis, imbecillusq;, incipiente declinatione magis eleuabatur; proutq; declinatio magis procedebat, magis etiam hic laudabilior euadebat, ita vt in integra quiete ad naturalem statum ferè regrederetur, calorq;, qui semiuidebatur extinctus, declinante febre magis apparebat, calidiorq; caro decrescente febre, quàm in statu ipso, erat. has febres vidi aliquando protrahi ad sexdecim, quandoq; ad decem & octo horas, interdum paulò plus, nunquam tamen viginti quatuor excedere, animaduerti. In nonnullisq; huiusce generis febribus hoc peculiare obseruaui, quòd nox accessionẽ præcedens, vltra, quàm credi potest, fuerat inquieta, cum tamen non febrirent. Notaui etiam harũ febrium nonnullas

aliquando per spontaneam vomitationem terminari, hocq; in tertia sæpe, ad summum in quarta vidi accessione. materia educta colore erat vel æruginosa, vel ferruginea, vel Isatodes, vel subnigra, quantitate aliquando ad selibram, aliquando ad libram, aliquando ad sesquilibram ascendebat. semel autem copiosissimam vidi in tertia accessione eiectã, ita vt peluim satis amplam excederet. qua euacuatione factum est, vt cum ęger tũc temporis & sibi, & astãtibus moriturus videretur, vocatusq; adesset ad vltima animi remedia sacerdos, statim ad naturalem statum redierit, & reuocato ad exteriora calore, & pulsu redintegrato, & cæteris alijs omnibus malis symptomatibus in totum quiescẽtibus, febris, quæ tunc in statu videbatur esse, subsequente statim breuissima declinatione, in totum sublata est; ita vt perfectè sanatus ex ea euacuatione fuerit. Febres prædictę, omnesq; cęteræ his consimiles mea sententia inter pestilentes recensendæ sunt: quoniam omnia symptomata has febres concomitantia testantur in his putrescere materiã maligna, & perniciosa qualitate peccantem. Materia autem consimilis, cum morbum prodit, sicuti non semper necessariò febrem edit; quoniam potest pestilentem affectum sine febre causare, pariter etiam cum febrem causat, non necessariò semper continuam generat. si enim de ratione huius materiei esset causare pestilentes cum febre continua affectus, omnes, qui talibus laborarent affectibus, continuè febrirẽt. At Hermocrates, qui consimili morbo affligebatur, à decima quarta die vsque ad decimam septimam, & à vigesima, vsque ad vigesimam quartam sine febre laborabat. non igitur vbi pestilens est affectus cum febre, necessariò febris est continua. quod si continua necessariò esse non debet, nihil prohibet etiã interpolatã esse, qualem nos sæpe vidimus, qualemq; esse symptomata omnia prænarrata testantur. Nec casus hos intermittentium febrium, quas inter pestilentes recensemus, cogitet quis esse consimiles illis, in qui-

bus & ante accesſionem, & in acceſſione ipſa licet ægrotantes nutrire; quoniam febres, in quibus hoc non licet tantùm, ſed etiam eſt neceſſarium, ſunt admodum à prædictis differentes: hæ enim in temperaturis ſiccis, vbi ſqualidi abundãt, acresq; vapores, quæq; facilè reſoluuntur, oſque ventriculi imbecille habent, ſolum eueniunt, hiq; cito, nulloq; ferè negotio ex ſolo aſſumpto cibo à ſymptomatibus ſuperuenientibus liberantur. At iſtæ, quas enumeraui, in omni temperatura, in omni ſexu, & in omni ętate contingere vidi, nec hi ſolo cibo iuuantur, ſed alexipharmacis, hiſq; remedijs, quæ malam poſſunt qualitatem extinguere, vel materiei peccantis eductione ſanantur. Quare differunt hæ febres, diſtinguuntur q; à ſe inuicem omninò. hæq; verè ſunt, at nõ illæ, peſtilentes. Quapropter inter differentias peſtilentis febris numerandæ ſunt, & intermittentes; vt quæ experimẽto, ſenſuq; ipſo aliquando adeſſe cognoſcuntur, nec ratione refelluntur, & ab hiſtorijs antiquiſſimis confirmantur.

De his Gal. lib. 10. Meth.

De differentijs febris peſtilentis à cauſis. Cap. XI.

Differentiæ à cauſis, quarum diligentiſſima debet eſſe perſcrutatio, declarandæ ſuccedunt. Cauſæ febris peſtilẽtis omnia ea dicuntur, quæ corruptionẽ talem in corpus humanũ inuehere poſſunt, vt humores exinde venenatã cõcipiant naturã. Vnde cum ad putredinem poſtea deueniunt, non putrido tantùm calore, ſed etiã maligna, & perniciosa qualitate cor ipſum fatigant. Cauſę hæ duplices ſunt, aliæ externæ, aliæ internæ. Ab externis incipientes harũ tria ponimus genera. primũ erunt omnia ad hoc apta ad intra corpus noſtrum aſſumpta. ſecundum erit aër tùm inſpiratus, tùm nobis circunfuſus. tertium erit eorum, qui conſimili affectu laborarit, contactus. Ad primum genus reducuntur omnia cibaria, quæ vitiatam habent naturã, quæve corruptionẽ aliquam, vel putredinem ſenſere, ſicuti frumẽta, legumina, cerealia omnia ſemina, quæ rubiginem paſſa ſunt,

Febris peſtilẽtis cauſæ externæ quot sĩt, & quæ.

Cibus, & potus quomodo poſſint eſſe cauſa febris peſtilentis.

sa sunt, & quæ, quoniam vel diutius, vel malè recondita fue re, ideò contraxere labem aliquam, sicuti etiam carnes diutius mactatæ; vel quæ eorum sint animalium, quæ nō gladio, sed vi morbi interempta sunt, aut quæ saltem morbida fuerint, fructus etiam vel horarij, vel alterius generis, qui vel corruptionem senserint, vel ad eandem sint procliues, vel qui saltem facilè in prauum conuertantur succum. consimiliter etiam omnia, quæ in hominis alimentum veniunt, dum eadem hæc patiuntur, pestilentis febris causæ esse pos sunt. Ad hoc idem genus referatur omnis vitiatus potus, siue hic sit vinum corruptum, & qui labem aliquam senserit, siue sit aqua, quæ hoc idem passa sit, vel quia immunditias seu vrbis, seu domus recipiat, vel quia ex stagnātibus facta sit, vel quia in ea stirpium aliquæ, & præcipuè quæ virosam inferant qualitatem, sicuti Nerion, cannabis, linum, buxus, brassicæ, Isatis, nucum folia, & consimiles plantæ maceratæ fuerint, vel quia præterlabatur loca metallica, quorum maligna sit natura, sicuti quæ chalcanthum, æris æruginē, & consimilia diluat. sub hoc eodem genere continentur etiā omnia ea medicamenta, siue sint alterantia, siue euacuātia, quæ in corpus assumpta, dum sua frustrātur operatione, nec à natura euicta sunt, nouam subeuntia alterationem, in alienam, & perniciosam transmutantur substantiam, hincq; aliena nobis facta, inimicaq; naturæ humanæ labē sæpe aliquā, & tantam aliquando inferunt, vt ex ea pestilentes progignātur febres. huiusmodi nonnullas succesisse vidi, dum ab imprudenti artifice importuna exhibita forent medicamēta, vel à ministro antiqua, & obsoleta, & quæ aliquando nonnullam senserint corruptionem, fuerint præparata. Hoc idē & deleteria agunt pharmaca, quæ euidentē inferentia noxā sæpe febrem edunt pestilentem, hæcq; non tantùm vidi in potu exhibita hoc fecisse, sed & vidi, & animaduerti hæc eadem, dum per clystere essent iniecta, febrēm hanc non tantùm protulisse, sed etiam in mortem ægrotantem præcipitasse

Medicamenta quō possint esse causa febris pestilentis.

venenata pharmaca posse causare febrē pestilentem, et quomodo.

tasse. has autē febres à venenatis causatas pharmacis pestilentes appello; quoniā omniū horum eadem est essentia, videlicet cordis læsio nōn à calore tātùm putrido, sed à qualitate venenata, cuius ratione febris solum est, & vocatur pestilens. hæc de primo genere causarum externarum. Alterum genus erat aer vel nobis circunfusus, vel inspiratus; hic autem quemadmodum variam suscipit mutationē, ita etiam varijs modis febrem edere pestilentem potest. Aer tripliciter immutatur, aliàs enim in primis qualitatibus, aliàs susceptis ad intra se varijs exhalationibus, aliàs in propria substantia mutationē patitur. In primis qualitatibus hoc tripliciter contingit, scilicet vel dum in vno, eodemq; tempore aer vehementem patitur alterationem, sicuti cum in caliditate, vel frigiditate, cęterisuè qualitatibus nimium excedit, vel dum ex varia, diuersaq; temporum mutatione alia molęsta subsequitur transmutatio, quemadmodum cū præcedente hyeme sicca, & aquilonia, vere autem pluuioso, & australi subsequente, æstas adueniens morbida fuerit, multosq; progignet lethales morbos, vel cum anni plura tempora se inuicem subsequētia aliquam, vnam, eamdemq; omnia seruabunt constitutionem, sicuti cū totus annus erit vel austrinus, vel aquilonius, vel alio modo sibi semper cōsimilis. His tribus modis alteratus aer, vbi in vnoquoq; horum excessus aderit, consequetur aptitudinem ad febres inducēdum pestilentes, precipuè autem in corporibus ijs, quæ ex prauo victus regimine humores ad corruptelā paratos congesserint. Cum enim aer hisce tribus modis transmutatur, semper consueuit morbos epidimios, vulgaresq; inducere, nam hi omnes ex predictis, vbi nulla subsit pernicies, aeris alterationibus generātur. quod si in his alterationibus sit excessus, cum omnis excessus violentiam naturę inferat nostræ, poterit hic aer alteratus aliquando corruptionem in humores inducere, eosdemq; in putredinem, potissimum vbi patientis aderit dispositio, precipitare. Tales

Aer quot modis immutetur

Aer cū immutatur ī primis qualitatibus, quotupliciter hoc cōtingat.

Aer quando morbos Epidimios inducat.

Aer in primis qualitatib. immutatus quando possit esse causa febris pestilentis.

les autem aëris alterationes possunt quidem aliquas in aliquibus generare pestilentes febres: vnde vidimus aliquando in calidissima æstate, aliquando in pluuioso autumno, aliquando in varia, & in æquali temporum constitutione multas nulla præsente peste febres vulgasse pestilentes, hæ tamen pestem inducere non possunt, vt quæ epidimios simpliciter morbos, non autē pestilentes inuehere valeant, præter calidam, & humidam aeris constitutionem, quę si diu perseueret, pluresq; anni partes eodem modo constituat, apta ad hosce procreandos pestilentes morbos erit, hęc de prima aeris alteratione. Secundo alteratur modo aer, dum exhalationes, & inquinamenta aliqua aliundè suscipit; sicuti cum ex aquis, vel stagnantibus, vel quomodolibet malè affectis, aliterue corruptis, ex barathris, ex specubus, ex cadaueribus vel humanis, vel aliorum animalium insepultis, rebusq; alijs consimilibus vel inquinatis, vel putridis vaporationes malæ attolluntur, quæ ad intra aerē susceptę, eundem coinquinant, in putredinemq; modo leuiorē, modò maiorem ipsum disponendo, & præcipitando, eum ad prauam, perniciosamq; naturam permutant. Vnde hic aer postea humana corpora offendens non ea amplius nuda lędet qualitate, sed totius proprietate essentiæ; cuiuscemodi sunt, & agunt venena, quæ non à temperamento proprio, sed ab innata vi naturali actionem, & violentiā hanc habeant. quę praua & perniciosa natura, quoniam non in puncto consistit, idcirco prout magis, vel minus alteratus, labefactatusq; est aer, diuersimodè in corpora agit humana: vnde euenit, vt modò vulgares, modò pestilentes progignat morbos. hinc videmus vrbes, & loca, quæ ratione vaporationum aquę stagnantis & prauæ inficiuntur, pati etiam in saluberrima aeris constitutione ægritudines plurimas, quæ tamen nō erunt pestilentes, nec admodum lethales, cùm aeris alteratio non ita valida erit, si tamen corporum dispositio ex humorū corruptela, & prauitate parata erit,

Aer in primis qualitatib. immutatus an possit inducere pestem, & quando.

Aer immutatus à prauis exhalationib., quomodo causet vel pestem, vel pestilentē febrem.

Aer quomodo immutatur à prauis exhalationibus.

erit, plurimas eo tempore pestilentes edere potest febres. Si autem contingat aeris alterationem ex tali causa sæuiorem esse, aer hoc modo alteratus, & immutatus nō tantùm pestilentes in aliquibus edere potest febres, sed etiam pestē ipsam quandoq; inuehere consueuit, tandiuq; hæc perdurare solita est, quamdiu materia subiecta consimiles suggerat exhalationes, quamdiuq; eæ, quę ingenitæ sunt, aeriq; permixtæ, vel igne, vel vehementi ventorum agitatione, vel diuersa temporum varietate fuerint consumptæ. cum enim aer eosce morbos ex permistione harū expirationum, non autem quia vel in qualitatibus, vel in substantia sit permutatus, edere consueuerit, iisdem inquinamentis consumptis, cessabunt & morbi illi: & aer, qui ex ea inquinamentorum permistione perniciosam adeptus erat naturam, aptus iterum erit ad pabulum, & conseruationem caloris nostri.

Pestis causata ab aere inquinato ex prauis exhalationibus quandiu duret.

Tertia aeris alteratio, & transmutatio est, cum in propria corrumpitur substantia. corruptio autem non semper est vniformis, aliàs enim huius generis, aliàs alterius reperitur, aliàsq; magis, aliàs minus praua procreatur. ex diuersitate generis corruptelæ euenit, vt aer modò huic animaliū generi, modò illi naturā nanciscatur inimicā, aduersamq;. ex prauitate autē vel maiori, vel minori hoc cōsequitur, quòd aer modò vulgares tantùm, at non pestilentes, modò vulgares, & pestilentes simul iuuehat morbos. hinc habemus aliquādo vagasse aeris constitutiones, quę vel ouibus tantùm, vel bobus, vel alteri quadrupedum speciei, cęteris intactis animantibus, immanem, & trucem peperere noxam. quod non aliunde contingere potuit, quàm ex diuersa aeris corruptione. sicuti enim cętera exteriora non vniformiter corrumpuntur, sed modò hanc, modò illam adipiscuntur corruptionem; ita & aer diuersimodè, cum in propria trāsmutatur substantia, afficitur. quæ substantia, prout gradū hunc corruptionis, vel illum nanciscitur, modò naturam vni animantium generi, modò alteri oppositam, & noxiam acqui-

Aeris immutatio in propria substantia.

Aer quare inuehat pestem modò vni animaliū speciei, modò alteri nocuam.

ret,vnde modò hanc ſpeciẽ,modò illam tangit,alteratq́;. in qua alteratione hoc ſuccedit: quòd ſi corruptio ea, quæ vni animantiũ generi aduerſatur,admodũ praua nõ ſit læſio,tan tũ vulgaris ſubſequitur:ſi autẽ ſit ſęuior, verè peſtẽ inducendo,idẽ animãtium genus in perniciem ducit; cum autẽ talis aeris conſtitutio vnicum animantiũ genus inficit, cætera, licèt ab eiſdẽ morbis intacta permaneãt,ſemper tñ nonnihil lęſionis perſentiunt.Quod de cæteris animantibus loquor, hoc idẽ in ea corruptione,in qua aer homini naturã adeptus eſt inimicã, intelligatur.cum.n. leuem tantùm corruptionẽ paſſus eſt,tunc epidimios, vulgareſq́; ſolũ, non peſtilentes, edere conſueuit,ſicuti anno proximè elapſo milleſimo quingenteſimo octuageſimo factũ eſt,in quo ex corruptione aëris,leui tñ per vniuerſam Europam,& ad exteras vſq; nationes vagarunt morbi illi, qui à vulgaribus diuerſo nomine appellati,vnicam tñ formã tantùm in omnibus regionibus habuere. Hi accedebant cum febre in aliquibus valida, in aliquibus leui,cum capitis grauedine: ſuperueniebat diſtillatio admodum moleſta, quæ in thoracem decumbebat. hinc oriebatur tuſſis vehemens, ex qua in principio excreabant patientes tenuia,& cruda,ſitis vt plurimum pauca, vel nulla erat, inappetẽtia magna,& guſtatus ferè abolitio, vel ſaltem deprauatio cõcomitabatur,quæ,ceſſante etiã febre, talis per multos dies in pluribus perſeuerabat, vt vix nonnulli ad priſtinum ſtatum regrederentur, notabiliſq́; laſſitudo, & corporis imbecillitas quieſcente febre ſubſequebatur. febris vt plurimum in quarta,& ante quartam terminabat, ſed tuſsis in multis per plures, & plures dies ſuperdurabat,& vix tandem hi concocta expuebant. hi morbi vt plurimum erant ſalubres, in ſanitatemq́; omnes terminabantur, præter eos, qui valetudinarios, vel debiles, vel ſenes,vel qui anguſto eſſent thorace, & diſtillationibus obnoxij,vel infirmos,vel eos,qui prauo vtebantur victu, quique in ægritudine ipſa auſi ſunt indiſcriminatim, & ſine ratione viuere,

Aer,cum leuẽ corruptionem patitur, nõ peſtilentes,ſed tñ tũ Epidimios generat morbos.

Exemplũ Epidimiæ à leui aeris corruptione.

Hiſtoria Epidimiæ anni. 1580.

uiuere,aggrediebantur.hi enim ferè omnes in perniciē ęgrotantium desierunt. Huiuscemodi ægritudines non ex alia ortæ sunt causa, quàm ex quadam leui aeris corruptione, qua antipathiam quandam ad cerebrum adeptus erat. Vnde succedebat,& distillatio,& tussis,& affectus thoracis, & gustatus læsio,& virium animalium languor, cæteraq; omnia. Tantaq; fuit huius corruptionis in agendo efficacia, vt vix inuenire queas,qui ab ijs morbis fuerit immunis;omnes enim pariter & ætates,& sexus,& quascunq; hominum conditiones aggressa est.quæ sicuti in actione efficax fuit, si pariter in prauitate fuisset intensa,hincq; non leuis,sed valida,& ingens fuisset corruptio,in interneccionem ferè omniū hominum desijsset; ita vt nulla clades, nulla hominū ruina, nullū etiā humani generis flagellū,quorū meminerint historię, huic æquiparari potuisset. Quoniam autem non praua, nec ingens, sed leuis fuit hęc corruptio,ideo tantùm Epidimios,non pestilentes protulit morbos;hincq; humani generis damnū,nō ruina subsequuta est. Nec alicui dubiū sit, hāc Epidimiam ex sola aeris in propria substantia corruptione contigisse,quoniā non ex inquinamentis,aut exhalationibus prauis aliunde susceptis hoc cōtingere potuit,cū nihil horū præcesserit,per totq; regiones hæc vagauerit, citòq; ab vna ad aliam peragrauerit,semperq; præcedentē ab omni labe syncerā reliquerit. quod,si horū ratione hoc factum foret, euenire non potuisset;quoniam inquinamenta illa, & prauæ illæ exhalationes in loco proprio diutius,& maiori cum clade,& ruina suā protulissent actionē,& per tot regiones peragrādo cōsumptæ fuissent,vel mutatione temporū,vel violentia ventorū,vel alia causa externa dissoluente,& dissipante aeris exhalationes.At hæc Epidimia à partibus Occidētalibus vltima hyeme incipiēs, & motū habēs Orientē versus, cōtinueq; à regione in regionē propinquā transmigrās nec ineūte Vere, nec eo procedēte,nec etiā aduentāte Aestate, immo nec sub cane, nec etiā subsequēte Autumno vnquā à

Epidimiā anni 1580.fuisse causatam à sola aeris in propria substantia corruptione, sed leui.

proprio motu cessauit. quinimo & tẽpore frigidiori, & calidiori,& flante tàm Austro,quàm Borea, & pluuioso, & sereno cęlo peragrauit hasce omnes Europæ regiones,& omnia indiscriminatim loca, siue sint sublimia, & montuosa,siue infima, & paludosa, siue media, & tàm quæ respiciunt Orientem,quàm quæ Occasum,seu alium cæli situm. Quod etiam clarissimum est indicium,hoc non à primis potuisse ortum habere qualitatibus; quoniam si in omni aeris constitutione, si in omni cęli statu,si in omni anni parte, & omni regione suas hæc deprompsit æqualiter vires;igitur hoc nõ à primis potuit oriri qualitatibus; sed tantùm hoc licuit gigni à sola aeris in propria substantia transmutatione: quæ (vt iam dictum est)fuit leuis quædam corruptio. cuius corruptionis ratione aer prauã adeptus qualitatem, antipathiã ad cerebrum, qua humanum genus vniuersè afflixit, habuit. Quam eandem prauam, & perniciosam aeris qualitatem,vltra homines,sensere etiam cętera viuẽtia; hinc aues illæ,quæ exteras terras statis temporibus adire solent, hac aeris prauitate incitatę,has nostras partes fugientes ad alias regiones ante tempus euolarunt,& quæ super arbores nidificant,& dormiũt,super ipsam terram,& in locis infimis,altiora cauentes,nocte degebant. bruta autem animantia,quę ex herbarum,& arborum germinibus,ac folijs victitant, eadem auersabantur,quoniam hæc sub dio posita ab aere circunstanti aliqualiter infecta erant,quæ omnia prauitatis, & corruptionis aeris(quæ tamen leuis fuit)indubitata erant inditia,& argumenta. Si autem contingat aerem in propria substantia transmutari non leui,sed praua, & ingenti corruptione: tunc propriam naturam, ex qua ad tutelam caloris nostri aptus erat, amittit, & alteram nostræ improportionatã,contrariamq; adipiscitur,tuncq; vi sua,venenataq; adepta qualitate,morbos non Epidimios tantùm,sed & pestilẽtes inuehit,tuncq; pestilentes inducere cõsueuit febres, nec has tantùm,sed & pestem etiam ipsam procreare potest. Et hoc,

Aer in propria substãtia immutatus cũ ingenti corruptione causat & febres pestilentes,& pestem,

hoc, quoniam contactu suo, siue per inspirationem, siue per insensibilem arteriarum attractionem hominem petens, in eo curruptionem aliam humorũ inuehit; qui si putrescant, febrem postea, de qua agimus, produnt pestilentem. Animaduertatur autem, dum assero corrumpi graui corruptione aerem, quòd de aere hoc infimo, & qui rationem habet mixti, fit sermo, & quòd intelligatur semper non totali vnquam corruptione aerem corrumpi; quia si totalem pateretur hic corruptionem, duo mala consequerentur; alterum quòd omnes pestes ex aere omni viuentium generi, quod in spirando vitam ducat, essent cõmunes; alterum quòd vllus nec homo, nec animans huic pesti superuiuere posset. quoniam hinc non venenatam tantùm naturam adipisceretur aer, sed etiam venenum ipsum fieret, ex quo omnibus animantibus eundẽ inspirantibus esset quid mortiferum. quod cum nec Deus, nec Natura ad conseruationem orbis permittat, asserendum est, aerem non totaliter corrumpi, nec venenum per corruptionem fieri, sed tantùm venenatam adipisci naturam, per quam aptitudinem ad corrumpendũ, & generandum quasi venenum in corporibus humanis, & præcipuè (hoc semper suppono) dispositis consequatur.

Aerem corrũpi quomodo intelligendũ sit.

Corruptio hæc aeris non est qualitatis alicuius intensio, vel remissio, non admixtio alicuius inquinamenti, non putredo, sed est solius intimę aeris naturæ, eiusque propriæ substantiæ corruptio, qua quid aliud ab eo, quod erat, factus est. sicut enim homo vi gladij peremptus corruptus est, nec eius corruptio est qualitatũ immutatio, nec alienæ substãtiæ permixtio, nec putredo, sed est propriæ substantiæ transmutatio, qua quid aliud ab eo, quod erat, factus est, illud idem de hac aeris corruptione asserendum esse affirmo. licèt autem corruptio hæc nullum eorũ sit: attamen ab omnibus prædictis causis progigni potest. nam & homo, cum æstuat, vel cum vltra modum refrigeratur, sæpe corrumpitur. quod idem & patitur ex assumpto veneno, & inducta

Aeris corruptio quid sit.

exemplum compromis

Aeris corruptiò à quibus causis generetur.

etiam putredine ingenti, vel in humores, vel in partes solidas principales. pariter & aer in excessu primarum qualitatum constitutus aliquando corrumpitur, vt confirmat pestis à Thucydide enarrata, quę ex aeris immodica caliditate ortum habuit. Similiter cum virosas exhalationes aliunde suscipit: si hæ diutius attollantur, longioriq; tempore in aere permista permaneant, possunt hæ in aerem corruptelam aliquam inuehere. per putredinem etiã potest hęc corruptio causari; cuiusmodi .n. omnia mixta per putredinẽ corrumpuntur, cũ putrefactio fit corruptio, ita & per putredinẽ aer potest corruptionẽ admittere, putrefactioq; aeris in corruptionẽ terminabitur. putrescere autẽ aerẽ dico, tum quoniã omnia elemẽta præter ignem possunt putrescere, tũ etiam quoniã hic aer, qui nos ambit, rationem habet mixti, dum nequaquã purus nec re, nec ratione inueniri possit: mixtorum autem propria est passio putrefactio, quare & hic aer putrescere poterit. putrescens autem hic aer tandẽ corrũpetur; quapropter ex aeris putrefactione eiusdẽ generabitur corruptio, quæ corruptio sicuti omnium, tum elementorũ, tũ eorũ, quæ ex elementis compacta sunt, cõmunis est affectio, per eandemq; in alienã omnia trãsmutantur naturã, ita & hæc passio aeri competet, per eandemq; alienam nanciscitur naturam: qua ratione inimicus homini factus, non amplius ad eius est aptus tutelam, sed potius eius perniciẽ affectans pestilentes procreat morbos. Hæc aeris putredo aliàs ex diuturna constitutione oritur calida, & humida, aliàs ob susceptas exhalationes putridas, diuque in eodem retentas, quę putredo non est id, quo semper agit aer, dũ vel pestem, vel pestilentẽ inducit febrem. terminante enim putredine in corruptionem, hacq; ipsa, cum motus sit, habeatq; esse in fieri, non permanente, aer per eam diutius agere non poterit: at pestis & per annum, & vltra perseuerasse experientia, & antiquitas testata est. tandiu autem hic putrefactionis motus non poterit antiquari, quin in corruptionem

Aer per putredinem quo modo possit corrumpi.

Aeris putredo vnde inducatur.

Putredo in aere diu perseuerare nõ potest.

ncm

nem terminentur, immo cum aer substantiæ sit deflabilis, vagę, & tenuis, concepta in eo putredo citissimè terminabitur, citissimaq; corruptio huic succedet: nō enim est imaginabile, nec ratione aliquo modo cōfirmari potest, quòd putrefactio in aere per tot annos, per quos pestes perdurare nouimus, conseruari possit. Nec est, si causæ putredinis diu perseuerent, quòd putredo etiam diu perseueret. cum enim quid putruit, etiam si putredinis causæ continuè eundē affectum foueant in eo, nec diuturnior conseruari, nec noua inuehi potest putredo; immo quò magis validæ, & perseuerantes sunt putredinis causę, eò velocius res putrescit, citiusque (quoniam violentior est putredo) terminatur, adueniente corruptione. cuiusmodi enim si cadauer in loco calido, & humido, constitutione aeris simili existente, reponatur, non diuturnior est eius putredo, sed velociter putrescit, citoq; hæc putredo corruptione terminatur; nec si ibidem diutius permaneat, ideò poterit denuò putrescere; quoniam corruptio adueniens putredinē terminauit; ita & aer si vel ex calida, & humida constitutione, vel ex putridis euaporationibus putrescat, non ideò diuturnior erit eius putredo; quoniam præsentes sint causę, continueq; putredinem eam foueant; sed quò hę causæ erunt validiores, eò citius concepta terminabitur putredo, adueniente corruptione. quare nō ratione materiæ putrescentis, nec ratione causarum diuturna poterit in aere putredo firmari. Vnde pateat, quòd aer, dum ex putredine corrumpitur, non semper per putredinē pestem, vel pestilentē inducit febrem; quoniam putredo necessariò citò terminatur: at morbi isti longiori temporis spatio ab āere infecto progignuntur, ac producuntur. quod cum non sit ratione putredinis, hoc erit (vt iam prę mostratū est) ratione corruptionis, cuius occasione alienam adeptus aer naturam, perniciem humano generi molitur. Corruptio hæc nōn tantùm ab excessu primarum qualitatum, vel à permixtione putridarū, prauarumuè

Aeris corruptio aliquādo à causis supe-

 exhala-

exhalationum, vel ab ipsius aeris putrefactione generatur, sed aliquãdo etiam ab astris, nihil inferioribus causis ad hoc conferentibus, ab eorumq; motu, & lumine in aera malè agentibus. hæc enim, dum hęc inferiora suis fouent operationibus, in eodem diuersos imprimunt effectus, prout q; varia sydera, vel in idem coeunt, vel ad diuersa respiciunt, hos modò effectus, modò illos produnt. non enim eiusdẽ semper sunt actiones, nec semper ab eisdem eædem emanant virtutes, sed varias & diuersas depromunt, prout varij sunt eorum aspectus, ortus, occasus, & ad alia sydera situs diuersus. hinc autem euenit, vt non omnes æstates sint eodem modo calidæ, nec omnes hyemes sint eodem modo frigidę, euenitq; vt non semper serenam ęstatem, nec semper tempestosam afferant hyemem. sed modò hanc illius tẽperiei, & status, modò illam alterius faciant. Quòd si contingat, hæc astra (vnde proculdubio omnis inferiorum virtus regitur, & gubernatur) malè in aera agere, prauosq; eorum esse aspectus, hinc poterit aeris eiusdem subsequi corruptio. sicut enim elongatio, & approximatio tum solis, tum Zodiaci est in causa generationis, & corruptionis omnium horum inferiorũ, nec alicui mirum sit vel hinc, vel ab alijs syderibus quomodolibet se habẽtibus aeris causari corruptionem, à qua præcipuè vniuersales pestes oriuntur, simulq; multæ pestilentes procreantur febres; inducta simul corruptione in humores corporis humani, qua venenis exitialibus consimilem vim, & naturam adipiscuntur. Hæc aeris corruptio, ex qua huiuscemodi pestilentes consequuntur constitutiones, sępe euenit nulla, pręcedente, nec aeris mala intemperie, nec diuersa temporum mutatione, nec vllis præsentibus corruptis, vel putridis exhalationibus, nullamq; habet euidentem causam præter syderum actiones; ideoq; quoniam ad hanc inducendam pestem non concurrunt hæc inferiora, fęuiunt hę pestilentes constitutiones tã hyeme, quàm ęstate, tam sub calido, quàm sub frigido cælo, tàm

rioribus nõ cõcurrẽtibus in ferioribus causatur.

lo, tàm austro, quàm Borea flante. cuiusmodi visum est in præcedenti Epidimia, licèt nullo modo fuerit pestilens, cuiusq; nulla pręcedens manifesta causa innotuit, vnde à solo cęlo ortum eam habuisse, credendum est, vt nonnulli Astronomiæ professores præsagierunt, & testati sunt. Hæ autem sydèrum, cęliq; actiones, & maximè pestilentes sæpius prouеniunt tum ex naturæ prouidentia, tum ex nutu Dei: ex naturæ quidē prouidentia, sicuti in Aegipto, quæ, quoniam hominum feracissima est, tantumq;, vt etiam octauo nati mensе ibi vitales sint, hoc patitur, vt ibidem hic contingit periodus, vt vnoquoque decimo, seu paulò plus, vel minus anno vigeat, & vagetur pestis ad tollendam superabundantē hominum multitudinem. Ex nutu autem Dei maximè contingunt ad profliganda, puniendaq; humani generis scelera, cuiusmodi ex sacris literis nonnullas nouimus pestes à Deo immissas in solam peccati pœnam, & punitionem. hinc etiam apud Homerum ex rapta filia Sacerdotis Apollinis Chryseide, ex eiusdemq; sacerdotis iniuria ab Agamemnone illata legimus Græcum exercitum immanem, trucémq; inuasisse pestem. Corruptio igitur aeris aliàs ab inferioribus, aliàs à superioribus inducitur causis, tuncq; aer ipse in alienam transmutatus naturam perniciosa qualitate in agendo deleteria æquat medicamenta. Cuiusmodi autem hæc venena in omnibus hominibus, nec eodem modo, nec eadē agunt velocitate, & violentia, sed hos citius, & vehemētius, qui prauitatem humorum congesserunt, vel debilia habeāt principalia membra, illos autem tardius, & leuius, qui sano sunt corpore, quique robur naturæ habeāt; ita & corruptio ista aeris, omnesq; alię causæ, quæ vel pestem, vel pestilentē possunt inducere febrem, non semper ęquali in omnes homines agunt efficacia. Sed vbi plura concurrant ad eundem producendum effectum aptiora, ibi plurimum conferunt suæ perniciei, ibique admodum sæuiunt, sicuti si corruptio hæc in constitutione calida, & humida, in loco prauis euaporationi-

Pestes à superioribus causis inductæ quare contingant.

Aeris corruptio quare nō æqualiter in omnes sæuiat homines.

porationibus scatente, vbiq; homines malis abundent humoribus, eueniat, tunc maximè sæuiente pestilenti constitutione, ad internetionem fere omnium habitantium perducitur. at vbi hæc inuicem nõ adiguntur, licèt pernicies ad sit, vageturq; non tanta tñ subsequitur clades. quę enim ad hanc inferendam labem non conueniunt, vicem gerunt tutelæ, qua homines non ita facilè à causis læsionem inferentibus patiantur. Vbi enim erit aer nullis inquinamentis permixtus, cælumq; fuerit benè temperatum, vel saltem aquilonium, nullaq; præcedat mala victus ratio, soliq; abũdent laudabiles succi, hæc omnia ad minuendam pestis sæuitiem conferent. quòd idem & de cæteris causis hoc idem agentibus censendum est. omnes enim quo ad plures simul erunt, maiorem inferent labem, quò autem minores, pauciores q; poterunt & minus sæuire. & hæc de secundo externarum causarum genere sufficiant. Tertia enumerabatur causa, eorũ nẽpè qui consimili laborant morbo, contactus.

De contagio.

hic autem vulgari, & proprio nomine appellatur contagiũ. morbiq; qui hac eueniunt ratione, omnes contagiosi dicti sunt. causa hęc ad hosce morbos generandos potentissima est, vimq; habet ferè insuperabilem. vix enim quis à contagioso, vbi contagium accesserit, potest euadere morbo. Plures autem sunt huiusmodi generis morbi; sicuti scabies, lepra, Elephantiasis, mentagra antiquorũ, lues venerea, rabies, tinea puerorum, pthisis, ophtalmia, nonnulliq; alij, quibus præcipuè adnumeretur pestis, & pestilẽs febris, quorum aliquando præcipua est causa contagium ipsum, hocq; ea ratione huius febris est causa; quoniam hoc mediãte ab vno in alterum tanta humorum curruptio inuehitur, vt venenatam concipiant naturam, cuius meritò postea putrescẽtes ijdem cor perniti osa, & maligna petunt qualitate. Animaduertatur autẽ, quòd dum dicimus morbos istos contagiosos esse, non tales hos esse ideò asserimus, quia semper ex contagio inuehantur. nam & sponte aliquando possunt euenire,

Contagiosi morbi.

Contagiũ quo modo causet febrem pestilẽtem.

Cõtagiosi morbi non semper per contagium inducuntur.

euenire, maximeq; eorum malor portio: sed quoniam his præsentibus, si accedat contagium, facilè ab vno in alterũ consimilis morbi fit transitus, ideò contagiosi dicti sunt; Vñ de scabies, tinea, lepra, & nonnulli alij ex his morbis in alij quibus quidem, nullo accedente contagio, possunt sponte oriri, cum tamen alteri deinceps contagio mediante facile communicari possint. quod idem de peste, & febre pestilenti est asserendum. Hoc tamen pestilentibus morbis est peculiare, quod licèt vt plurimum sint contagiosi, nõ tamen semper, nec necessariò tales sunt. dantur enim quidam pestilentes morbi contagiosi, & quidam etiam non contagiosi, quemadmodum & historię, & experientia ipsa testatur, ex historijs quidem hoc pateat, quoniam & Hippocrates, & Galenus, cæteriq; tunc temporis nobilissimi artis nostræ professores, dum nonnullæ pestes maximò sæuirent, maximeq; popularentur, indiscriminatim, nullaq; habita contagij ratione, ad inuisendos, curandos, & pertractandos ęgros progrediebantur; nec laborantium contactum vitarunt ipsi, nec alios vitare commonuerunt. quod firmum sit argumentum pestilentes tunc vagasse affectus, qui tale contagium (quale in peste patres nostri, ętasq; nostra obseruauit) cõiunctum non haberent; non enim credendum est, si hoc adfuisset, pręclarissimos hosce artis nostræ proceres hoc latuisse, cũ idiotarũ, vulgariumq; virorum, vbi eius vis vagetur, notitiam nequaquã fugiat. adeò enim manifesta est eius pernities, vt sensum nullo pacto latere posit. Hoc idem externæ confirmãt nationes. nam & in Syria, & in Aegipto, & in Asia minori, multisq; alijs Imperio Turcarum subditis prouincijs sæpè vagantur pestilentes morbi, in quibus nulla cõtagij nec suspicio, nec timor adest. alloquutus sum ego homines fide dignos, qui in Aegipto, partimq; in Syria habitarunt, qui ijdem mihi retulerunt, dum ibi sæuissima vagaretur pestis, nullam habitam contagij rationem fuisse, immo ibidem nefandum existimari scelus consuetudinem vitare ægro-

Pestilẽtes morbi an semper sint cõtagiosi.

a protantium. hoc idem quotidiana potest comprobare experientia. plurimi enim medicis singulis curandi occurrunt pestilentes morbi, qui tamen alijs nulla cõmunicantur ratione, sicuti praecipuè sunt pestilentes febres cũ periculis apparentes, licèt apertissimũ, maximũq; accedat contagiũ. Sed si inter febres, ac ęgritudines pestilentes, vti posuimus, nonnullæ sunt contagiosæ, nõnullæ autem nequaquam, qua id ratione eueniat, declarandum est. quod ita explicandum erit. Cum omnium febrium, ac ægritudinum pestilentũ non vna, eademq; sit natura, sed aliæ deteriorem, & intensiorem malignitatem consequutę sint, aliæ autem minus deteriorẽ, & magis remissam habeant, nec etiam earum omnium vna, eademq; erit efficacia. nam licèt hæ omnes ad interitum deducere hominem aptæ sint, non tamen eadem velocitate, & vehementia id agunt. sed aliæ magis acutæ, & magis sęuæ sunt, alię autem minus. hoc inde prouenit, quòd prauitas, & venenosa natura ex corruptione concepta in illis intensior est, in istis remissior. intensio autem hæc, & remissio vel à deteriori, vel à minus praua corruptione causatur. in quibus. n. corruptio non ita praua est, venenositas ex corruptione concepta non ita intensa existit. in illis autem; in quibus deterior est corruptio, venenositas admodum intensa resultat. cum autem hæc admodum intensa est, non tantùm efficacissima est ad perdendum patientes, sed etiã eadem tanquam venenum, quod vel solo tactu, vel efflatu hominem inficere aptum est, cęteris hominibus aliquo mediãte contagio communicari poterit. cum enim corpus nostrum sit totũ conspirabile, & transpirabile, si concepta venenositas gradum summum consequuta sit, à corpore affecto poterunt seminaria, & inquinamenta eiusdem venenositatis ad extra euaporare, & transmitti: quæ si alteri homini communicentur, existente earum natura valde praua, & admodũ venenosa, ac efficacissima, eundem inficere, & simili morbo coinquinare poterunt. quæ tamen inquinamenta, & vaporationes si

non insignem prauitatis, ac venenositatis gradũ consequutæ perindè, ac prædictæ fuerint, nec eandem cũ illis in agendo vehementiã, nec in cõmunicando efficaciã habebunt. hincq; hoc succedit, quòd hæ ægritudines non erunt contagiosæ, illæ autem maximè. Hoc verùm esse anologia quadam nos doceat virulentarum bestiarũ venenositas, quæ cum in omnibus non sit eiusdem prauitatis, sed in alijs intensior, in alijs remissior existat, non eodem modo, nec eadem vehementia, nec eadem velocitate hæ homines perdunt. hinc aliqui per plures dies à fera virus eiaculante percussi superuiuunt, alij breui pereunt. à scorpione ictus potest per plures dies viuere. ab Ammodite vsq; ad septimam perdurare visus est. Chersidrus intra tres dies. Aspis terrestris intra tres horas. Basiliscus subitò hominem perimit. Ex ijsdem autem animalibus virus eiaculantibus, si nonnulla existant, quæ summũ venenositatis gradum consequuta sint, ea non tantùm ictu, vel morsu, sed etiam tactu, & afflatu hominem inficere apta erunt. Dryinus, vbi quis eum calcauerit, illius pedes excoriat, & tumorem ingentem circa crura inducit. & quod magis mirandum videri poterit, manus Medici hunc curantis etiam inde excoriatur. Amphisbęnam si fœmina vterum gerens transgrediatur, fœtum malè perdit, & abortit. Basilisci sibilum, & afflatum nulla reptilia, ne dicam hominem, ferre possunt. Hæc & cætera similia non alia fiunt ratione, quàm ob summum venenositatis gradum, qua hæc animalia dotata sunt. Venena etiam aut in potu hausta, aut vnà cum cibis assumpta, sint vel à natura, vel ab arte parata, similes habent differentias; quoniam omnia eiusdem sunt sæuiciei, & vehementię. alia sunt, quæ nisi repetantur, non occidunt. alia semel exhibita hominem perdunt, alia pluribus mensibus, alia pluribus diebus, alia paucioribus, alia paucis horis, alia subitò & in instãti interimunt. Sed & pręter ea, quæ per os exhibita mortẽ causare apta sunt, alia vehementiora hominũ sceleratorum perfidia inuenit, quæ solo tactu, aut afflatu

tu occidunt. hinc audiuimus Circulatorem ex ſolo odoratu gariofili ab ęmulo venenati ſtatim interijſſe. Legimusq; Io. Galeatium Mediolani Ducem, qui virtutū Comes prius fuerat vocatus, ex appoſito ſuper ſtapedem veneno, dum equitare vellet, peremptum fuiſſe. cuius exemplo ſummorū Principum miniſtri, qui vitæ eorum curam habent, & menſam, & ſedem, & ephippia, & ſtapedes, & omnia ea, in quibus ijdem quieſcere, & morari debeant, detergenda, & emundāda eſſe iubent. Quemadmodum autem ex beſtijs virus eiaculantibus, & ex venenis nonnulla ob eximiam eorum venenoſitatem reperiuntur, quæ ſolo tactu, & afflatu hominē inficere poſſunt: ita etiam ex morbis peſtilentibus (qui peſtilentes ideò ſunt, quia naturam venenatam, ideſt, proportione reſpondentem his, quæ à veneno cauſantur, ſunt conſequuti) deterrimā qualitatē, & malignitatem adepti ſunt, quā poſſunt alijs ſolo tactu, & afflatu cōmunicare; quoniam horum morborum ratione ab ipſis ægrotantibus inquinamenta, & ſeminaria proprię venenoſitatis ad extra euaporant, & tranſmittuntur, quæ alios petentia vel tactu, vel afflatu eoſdem inficere apta ſunt: vnde ſequitur, quòd tales morbi, quò ſæuiores extiterint, eò magis communicabiles, & contagioſi erunt. vbi autē minus ſæui, gradumq; venenoſitatis prædictis magis remiſſum habuerint, non ita cōmunicabiles, nec ita contagioſi exiſtent. quæ venenoſitas nihilominus ſi remiſſa, apta tamē ad interitum deducere hominem fuerit, poterit non eſſe contagioſa. Vnde videmus peſtes valdè ſęuas, valdè etiā eſſe contagioſas. quæ autem nō ita ſęuæ ſunt, nec etiam de facili communicabiles eſſe. quæ tamen cōmunicatio non omnibus peſtilentibus morbis eſt data: quoniam nō oēs cū corruptionis, & venenoſitatis gradum ſunt adepti, vt per ſeminaria, & per vaporationes ad extra tranſmiſſas, propriam prauitatem cęteris communicare queant. quod clarè apparet in febribus peſtilentibus cum periculis apparētibus, ne dicam etiam in quibuſdam peſtilentibus conſti-

tutioni-

rutionibus, quales fiunt apud exteras gentes, ſicuti in Aegipto, Syria, nonnullisq; alijs imperio Turcarũ ſubditis prouincijs, in quibus licèt ſæpè vagentur peſtes, tamen contemperante natura, ac compenſante huiuſce morbi ſæuitiem cũ eiuſdem crebritate, non ita ſæuę, nec ita atroces fiunt, quales in regionibus noſtris, vbi contingant, accedere ſolent; & ideò quæ tales exiſtunt, nec forſitan ſunt, nec forſitan debent eſſe contagioſæ. quoniam in his non adeſt illa ſumma prauitas, quæ in cęteris reperitur. & ideò earundem ratione ab ęgrotantibus nequeunt illa inquinamenta adeò praua euaporare, vt cæteris communicata perniciem con ſimilem in alios inferre poſsint. quæ eadem ratio, cum communis exiſtat cęteris febribus putridis, eſt in cauſa, vt febres putridæ ſimplices, licèt ſæpe lethales exiſtant, nõ ſint tamen alijs ſolo tactu, vel afflatu cõmunicabiles. Hoc idem confirmat experientia, quæ teſtatur penes nos omnes peſtilentes morbos, qui ex ſolo contagio cõmunicantur, eſſe cæteris omnibus deteriores, cum ab his vix vllus, nobiliſsimis etiam administratis medicamentis, ſaluari queat; Qui autem ex aere viciato vulgantur, & ſub peſtilenti cœlo inuadunt, licèt vt plurimum hominès perdãt, non tamen ita rebelles remedijs, perindè ac illi, exiſtunt, vnde videmus ſub cœlo peſtilenti ex peſte infectis plures, quàm eo tempore, quo ex ſolo contagio inficiuntur, ſaluari, licètq; ab aere corrupto quandoq; ſuccedant contagioſi morbi, hoc tamen nondum erit, niſi cũ hi ſummam corruptionem, & venenoſitatem conceperint. quo tempore ex popularibus fiunt etiam contagioſi, qui tamen, ſi non eximiam venenoſitatem, & prauitatem acquiſierint, non poſſunt eſſe contagioſi, licèt adhuc ſint lethales, & pernicioſiſſimi morbi. & hinc liqueat, quare morbi peſtilẽtes, licèt omnes ſint graues, & lethales, nõ tamen ſint omnes æque contagioſi, nec omnes apti, vt per contactũ, aut afflatum cõmunicentur, liqueatq; morbis peſtilentibus ſimpliciter non eſſe proprium, ac inſeparabile, vt nonnulli

ſenſere,

ſenſere, contagioſos exiſtere. Quamuis autem tales dentur peſtilentes morbi, videlicet, qui nullo pacto ex ſui natura contagioſi appareant, attamen vigente peſte, qualiſcunque ea ſit peſtis, tutius eſt (vt notauit Philoſophus) conſuetudinem ęgrotantium uitare, quàm ad eos propè accedere. quod præcipuè ab his, qui deprauato ſunt habitu, obſeruandum eſt. hinc enim facilè omnem hi concipiunt labem, omnemq; cauſam externam morbos excitantem timere debent; vt hi, in quibus vitium internum facilè aliquo ſuccedente fomite exultet, & ſęuiat. at illi, qui ſano ſunt corpore, probiſq; abundant humoribus, non ita in peſtilentib. morbis, qui ex ſui natura contagioſi non ſint, congreſſum ægrotantum timere debēt: licèt ſemper peſtilenti morbo laborantium conuerſatio, ne inde cōtagium contrahatur (vt monuit Galenus) perniciosa ſit.

Probl. ſect. prima probl. 7.

Morbi peſtilētes contagioſi duplices ſunt.

Quemadmodum autem dantur, vt iam dictum eſt, peſtilentes nonnulli morbi, qui ſui natura nequaquã cōtagioſi ſunt; ita & alij dantur, qui ſunt contagioſi. Horum autē duplex eſt diuerſitas; nam alij ſunt & vulgares, & contagioſi ſimul, alij autem tantùm contagioſi, & non vulgares. primi vagante peſte ex indiſpoſitione ad corruptionem ex inſpirato aere facile inuadunt, & cōmunicantur. at ſecundi nulla præſente cōmuni peſte ab vno in alterum transferuntur, hiq; taliter, eaq; ratione ſunt contagioſi, vt nulla alia inuadant ratione, quàm ex contagio. conſimilesq; ſunt hi tum lui Venereę, tùm rabiei. ſicuti enim hi duo morbi nunquam ſponte, quęcũq; morbifica pręcedat cauſa, homini accedere videtur, ſed ſemper ab alijs ex contagio communicari, obſeruatum eſt: ita nonnulli dantur peſtilentes morbi, qui nulla alia poſſunt ratione accedere, quàm ex contagio. conſimiles morbos viderunt patres noſtri, noſque etiam ætate vidimus noſtra, quemadmodum aliquando in nonnullis Italiæ ciuitatibus viſum eſt, in quibus vagarunt ſæuiſſimæ peſtes ad internecionem omnium ferè, qui ea laborarunt. cum tamē nullus,

qui

qui contagium non senserit, aut febrem pestilentem, aut pestem passus sit. Quamuis autem ad generationem horum morborum maxima polleat facultate contagium, non tamen existimet quispiam, quòd contagium sit vel actio, vel impressio, vel affectio, vel corruptio aliqua, qua mediante tales generentur, fiantq; affectus; licèt enim ex his pestilentes inducantur morbi, non tamen quid horum est contagiũ. nam contagium nihil aliud est, quàm aliquorum, vel saltem duorum contactus, quorum vnius in alterum, istius contactus ratione, similis gignatur morbus. qui tamen contactus solus non est sufficiens causa ad inducendum contagiosum morbum, nisi hæ conditiones, de quibus infrà, accesserint: quare cum contagiũ sit contactus, non qualitas aliqua erit, sed in prædicamento situs reponetur, vnde longè a prædictis distinguetur qualitatibus. Ad cuius contagij essentiam, & ad contagiosum morbum inferendum vltra contactum dictum requiritur, vt quæ se contangunt, vtraque in eodem cõmunicent morbo. alias, qui infestatur, at nõ hac ratione, aliquo affectu, non ex contagio, laborare dicitur. Vndè cum à serpente quis veneno inficitur, non ex contagio infectus vocabitur; quoniam licèt serpens venenosus sit, non tamen venenatus, nec veneno laborare asseritur. nec cũ à torpedine piscatoris manus, qui eam hasta mediante tetigerit, in stuporem inducitur, eam ex contagio affectam esse, censendum est: quoniam licèt torpedo stuporem pariat, hõ tamen ipsa stupore affecta est. At ex contagio infectum dicimus, qui morsus à cane rabido rabidus factus est; quoniam & in homine, & in cane idem morbus, videlicet rabies reperitur, hæcq; ab altero in alterum contagio mediante producitur. Contagium hoc, cuius meritò vnius hominis morbus alteri homini cõmunicatur, duplex est; alterum immediatum, alterum mediatum. immediatum est, cum nullũ inter illa duo interponitur corpus, sed immediatè vnum alterum contangit; vt cum quis accubando alteri, vel eundem

Contagiũ quid sit.

Contagiũ quo tuplex.

Contagium immediatum quale.

contrectando eundem tangit, nullo alio mediante corpore; ab hocq; cõtagio facillima supra omnes est morborum, qui ex contagio inuehuntur, communicatio; & in hoc proprius, & verus est contactus; tanguntur.n. ea propriè, quorũ extrema sunt simul. Mediatũ autẽ duplex est; aliàs.n. per fomitẽ quis ex cõtagio patitur, aliàs ex aere per fomitẽ hoc contingere dicimus; vt per vestes, p linteamina, & per alia, quę porosa existentia facilè malã recipiũt patientis qualitatẽ, sicuti præcipuè ea, quæ ex lana, ex gesipio, & simili materia cõficiũtur. quæ autẽ non ita porosa sunt, sed solida, nõ possunt ita facilè fomitis vicẽ gerere, sicuti ferrũ, argentum, aurũ, cæteraq; metalla. cũ enim hæc sint substantiæ cõpactæ, ac densissimæ, nõ ita alienas recipiunt vel qualitates, vel vaporationes. Quòd si vagãte peste visum sit ex solis cõtrectatis pecunijs aliquos in pestẽ incidisse, hoc nõn ratione metalli, nihil sanè huius qualitatis recipiẽtis, sed ratiõe sorditiei ex cõtrectatione adhærentis proculdubiò contigisse potuit. ex aere autẽ, & non per fomitẽ mediatũ est contagiũ, vt si quis aerẽ inspiraret ab infecto ægrotante alteratum: vt cũ quis in loco, vbi phtisicus, vel pestilẽti affectus morbo degit, inhabitet. ex eo.n. inspirato aere simul etiã & alter eodẽ inficitur morbo. & in his duobus cõtagij modis adest etiã verus cõtactus; quoniam tum fomes, tum aer corpora contangens ea inficit; nequaquam tamen est proprius; quoniam hæc duo, cum nõ sint viuentia, contagioso morbo nõ laborant, sed gerũt vicẽ infecti animantis, à quo deciditur qualitas, & morbus per contagiũ cõmunicandus. Quare triplex erit cõtagium, primũ immediatũ, secundũ per fomitem, tertiũ, & vltimum ex aere. hisq; tribus modis dictis, hoc erit aptum mediũ ad producendũ, tum ipsam febrẽ pestilentẽ, tũ cęteros cõtagiosos morbos. Quamuis autẽ contagiũ ad hosce procreandos morbos, tanta polleat facultate, ipsius tamẽ nulla ad horũ morborũ procreationẽ erit vera, & positiua actio: cum.n. cõtagiũ, nec substãtia sit, nec qualitas, quarũ proprium est agere

Contagiũ mediatũ duplex.

Cõtagium per fomitẽ quale.

Cõtagij fomes quæ possint esse, vel nõ esse.

Contagij in inducendis morbis nullã esse actionem.

re,verè ipsi nõ cõpetet actio.quare nec in aliquo genere effi ciétis causæ reponi poterit;sed tãtũ contagiũ ad hęc cõcur ret,tanquã causa,sine qua non.s.n. cõtagiũ tollas,facile erit homines à contagioso (quatenus cõtagiosus est) pręseruare morbo:quo tñ posito,nulla nec actio,nec causa efficiẽs mor bi ponitur, sed tantum id, quo mediáte, & actio imprimi, & causa agere potest. Ad quã imprimẽdã actionẽ tria hęc ne cessariò requirũtur,primò dominiũ agẽtis supra passum,se cundò patientis præparatio, tertiò quòd tãtum tẽporis sint simul, vt agere,& pati adinuicem possint. Ad dominiũ agen tis requiritur nõ tantùm eius efficatia in agẽdo,sed etiã quã titas debita eius, quod agere debet. Vnde habemus delete ria venena,licèt vehementissima sint,à nostroq; calore insu perabilia,si in minimã sumantur quantitate, licèt à corpore humano non euincantur, nullam tñ læsionẽ in idẽ edere pos se:eademq; ratione quamuis omnium agentiũ ignis sit maxi mè actiuus,si eius scintilla corpus tãgat,non tamẽ vrit. Ad patientis præparationẽ requiritur non tãtùm ex humorum præparatióne , sed etiã ex proprietatę naturæ innata, & oc culta dispositio.hinc Marsi,& Psylli à veneno, & à serpenti bus non fuerunt læsi.digitus Pyrrhi ab igne non fuit concre matus. hincq; in cõtagiosa, & sæua peste visę sunt familiæ, quæ etiã manifesto accedẽre contagio, ab omni læsione im munes fuerunt,sicuti anno illo celeberrimo 1528.experien tia testata est in familia,& agnatione mea: quæ licèt familia ribus,amicis,& affinibus peste extinctis cõmunicauerit, nul lum tñ eius vestigiũ persensit.quam admodum in oppositũ aliæ familiæ extiterũt,quæ ex leuissima occasione ꝑ hanc in natã, & occultam dispositionem oẽs ad vnũ extinctæ sunt.

Contagio mediante si inficiendus est morbus tria requiruntur.

Ad tẽporis spatiũ licèt nõ diuturnitas omnino requiratur, tñ necessaria est aliqua tẽporis mora. hinc super ardentissimã flammam immunes ab igne pertransimus, manusq; in eadem apponimus,dum hoc citò,& cũ velocitate agimus. quòd idem de contagioso asserendum est affectu : quoniam

licèt facilis sit in hoc transitus, non tamen, cum hoc sit motus, potest in instanti fieri. Efficatia igitur, & quantitas agẽtis, dispositio patientis, tum ex præparatione humorum, tũ etiam ex innata vi, & mora conueniens pro debito tempore requiruntur ad generandos contagiosos morbos. Quibus tribus positis, necessariò imprimetur actio, hincq; cõtagio mediante vnius morbus alteri facilè cõmunicabitur: dũ autem hæc fit cõmunicatio morbi, alterq; alterum inficit, actio non à contagio, sed à diuersis pendet qualitatibus, quæ in priori ægrotante sedem habent. hoc autem alteri morbum cõmunicabit, vel per primas qualitates; vt si summè calidus alteri accubaret, in illum eandem potest imprimere qualitatem, vel per secundas, vt ratione putrefactionis: cum quis enim, vel membrum, vel humores intensè putridos gerat, contangens alterum consimilem ei communicabit putredinem. nam quod tangitur à putrido putridum fit, vel per qualitates occultas, quæ à proprietate agunt tãtùm; vt si rabidus homo alterum mordeat, rabiem & illi impartietur, quod nõ à primis, vel secundis ortum habet qualitatibus, sed ab occultis: quæ proprietate quadam liquidorum abominationem, cæteraq; symptomata sæua rabido homini propria inducere possunt. Hæ autem qualitates, dũ per contagiũ ab vno in alterum gignuntur, non ita transferuntur, vt primi qualitas in secundum traducatur; quoniam accidens de subiecto in subiectũ migrare non potest, sed per vehiculum quoddã, in quo insidẽt, alteri adhęrere possunt, quo adhæsu mediante ad consimilem hic transmutatur qualitatem, vnde cõsimilis priori alter generatur morbus. Hoc vehiculum aliquando est corpus, aliquando est vapor, & seminarium quoddam insensibile. corpus est, vt in scabie, in lepra, in tinea, & similibus, in quibus sordities quædam, qua vestis, & indumenta inquinantur, aptum est medium ad cõmunicandos eosdem morbos. Vapor autem, & seminarium insensibile, vt in Elephantiasi, in ophtalmia, & in febre pestilenti.

Contagio mediante si introducitur. morbus, à quo sit actio.

Contagio mediãte qualitas agens p quod agat.

In cõtagio vehiculum qualitatis agentis quotuplex, & quod sit.

lenti. hinc enim vaporationes attolluntur, quæ ſenſu nullo pacto iudicari poſſunt, quę ſi alterum petant, ſiue hoc immediatè, ſiue per fomitem, ſiue ex aere eueniat, in eundem cõſimilem poſſunt introducere morbum. Et vapor iſte, qui eſt vehiculum huiuſce prauæ qualitatis in morbis hiſce peſtilentibus, ſubtilis admodum eſt. hinc effugit ſenſum, & facillimè, & citiſsimè penetrat, tenax eſt, vnde facile adhæret, & difficulter à fomite, niſi perfletur, geluq; vel igne purgetur, euellitur. humanoq; generi tota ſui ſubſtantia aduerſatur, vnde non tantùm lædit, ſed etiam hominem necat. Et hæ vaporationes, cum huiuſce ſint naturæ, hoc habent, quòd ſi in ſubſtantia poroſa, aptaq; ad eius conſeruationem inſideãt, per multum & loci, & temporis ſpatium conſeruari poterunt. hinc ex longinquis nationibus peſtilenti morbo infectis aduectę veſtes, & linteamina ad aliam remotam regionem peſtem adduxere. hincq; reſeruatæ in peſte, vel ex lana, vel ex canabi, vel ex lino, vel ex ſimili materia res confectæ poſt multum temporis ſpatium nouam induxere peſtem. quare hinc pateat non ad contagium, ſed ad prædictas qualitates in inducendis contagioſis morbis competere actionem. Cum autem inter peſtilentes febres nonnullæ ſint contagioſæ, actio quidem, qua ab vno in alterum communicatur, non contagij erit, ſed eius tantùm prauę qualitatis, qua vltra calorem putridum cor laceſſunt, & praua hęc qualitas inſidet in materia corrupta, quæ iam ex corruptione naturam conſimilem deleterijs pharmacis adepta eſt. ab hac autem materia putreſcente ſicuti excitantur, & eleuantur intra corpus ipſum vapores mali, qui petentes cor eius omnes vires pernicioſa labefactant qualitate; ita & alij, cum corpus noſtrum ſit totum conſpirabile, & tranſpirabile, ex corpore extramittuntur, qui contagio præſente, ſiue hoc ſit immediatum, ſiue mediatum, conſimilem in altero poſſunt pronam inuehere qualitatem, ſimulq; febrem cauſare peſtilentẽ. Vnde non abſq; ratione enumerandum

Vehiculũ praua qualitatis in febribus peſtilẽtibus qua le ſit.

Praua vaporationes peſtilentium morborũ in quibus rebus diu poſſint ſeruari.

Febris peſtilens ex cõtagio cauſata & quo inducta ſit.

inter cauſas externas venit contagium, non quidem tanquã cauſa aliquid poſitiuè efficiens, ſed ſolum tanquam cauſa, ſine qua non, tertiumq; verè hoc erit externarum cauſarum genus, à quo peſtilentes progignuntur febres. Cum autem contagio mediante alterius in alterum generatur peſtilẽs febris, actio hæc non à primis, nec ſecundis prouenit qualitatibus: ſed ab illis tantùm, quæ in ſubſtantia interna inſidentes, qualitates occultæ, proprietatesq; ignotæ vocantur. hæc enim actio cauſatur, prouenitq; inde noua affectio, nõ quia infectus peſtilenti febre per intemperiẽ calidã, aut frigidã agat, nec quia per putrefactionẽ, vel per aliam ſecundi ordinis qualitatẽ morbũ inuehat, ſed tantùm ratione pernicioſæ qualitatis, quæ in corruptione intimæ rei ſubſtãtiæ conſiſtit: quæ ſicuti nec ſenſu, ita nec ratione, ſed ſolo experimẽto cognoſci poteſt. Quòd verò hæc actio à qualitate occulta, quæ à rei intima ſubſtãtia ortũ habet, pẽdeat, ſatis ex dictis, & ex his, quę pręmõſtrata ſunt, patere poteſt. quòd autẽ non à qualitatibus primis contagio mediante hæ peſtilentes inducantur febres, minima eget probatione, cũ nihil vltra propriũ gradũ agere poſſit. quòd verò nec à ſecũdis, videlicet à putrefactione, inducantur, ex prædictis etiam ſatis liquere poteſt. cũ enim eſſentia peſtilentis febris nõ in putredine conſiſtat, nec in contagio, peſtilentis febris actio erit à putredine. cui hoc addo, quòd ſi p putredinẽ febris induceretur peſtilẽns, actioq; hæc à putredine penderet, dum per fomitem hæc introducitur febris, non poſſet (cum id quod à putrido tãgitur putridũ fiat) nõ putreſcere, & fomes ipſe. quòd à veritate tamẽ, hoc dictãte experiẽtia, lõgè diſſonum eſt. nam ſeminaria peſtis per menſes, & annos in fomite reſeruantur, nulla admiſſa putredine in fomite ipſo. pręterea ab ipſomet ęgrotante aliquando per longum temporis ſpatium contrectantur multa, quales ſint fructus horarij: qui cũ in putredinem maximè, ſicut quid aliud, procliues ſint, nullum tamen putredinis veſtigium hæc nec reſeruant,

In febre peſtilenti genita ex cõtagio à quo ſit actio hanc introducens.

Febris peſtilens ex contagio nõ à putredine cauſatur.

tant, nec recipiunt, nihilominus malam illam, pernicio-ſamq; admittunt qualitatem: qua fit ratione, vt hæc alteri, ſi ad contrectandum, vel ad comedendum exhibeantur, ſtatim peſtilentem in eum inducant febrem; vnde pateat non per putredinem, aliamuè qualitatem manifeſtam, contagio mediante generari peſtilentes febres, ſed ratione tantùm qualitatis occultæ, quæ in ſubſtantia inſidet corrupta, quam ſæpius adnotauimus, declarauimusq; naturam pernicioſorum, ac deleteriorum pharmacorum æquare, contagium igitur erit aptum medium, quo talis fiat impreſsio; eritq; vltra alias duas declaratas cauſas tertia externa, de quibus hæc ſatis ſint. Nunc internas aggredior. cauſæ internæ febris peſtilentis in duplici ſunt diſcrimine, nam aliæ ſunt propinquæ, aliæ remotæ; remotas vocamus pleteram, cacochymiam, obſtructiones; ſub pletora nunc non omnem abũdantiam bonorum ſuccorum intelligimus, ſed eam tantùm, in qua vires grauantur: quæ cum non ita rectè à natura regatur, facilè corruptionem, & putredinem concipit. ſub cacochymia autem, & abundãtia prauorum ſuccorum, eorundemq; vitioſa qualitas reponitur; cum enim hi vel quantitate ſuperfluunt, vel qualitate peccant, facillimè & corrumpuntur, & putreſcunt. huius cacochymiæ, quodcunque peccatum in ſex rebus non naturalibus eueniat, poteſt eſſe cauſa. attamen inter has, vltra prauam alimenti rationem, quæ ſit potentiſſima, adnotaui, hanc eſſe nimiam Venerẽ, hinc enim virtutibus internis labefactatis, praui generantur humores, qui in omnem pernitioſam ſunt procliues corruptionem. hincq; euenit, vt qui nimium, & vltra vires Veneri indulgent, vt plurimũ in haſce febres incidunt, hiq;, vt experientia cognoui, minimè omnium ſaluantur. Obſtructio autem omnium cauſarum febres inducentium euidentiſsima eſt. concluſa enim materia in loco calido, & humido, ſi quid tranſpirationem prohibeat, facillimè putreſcit. ſi quid autem tranſpirationem hanc prohibet, hoc po-

Febris peſtilẽtis cauſæ internæ quot ſint.

Febris peſtilentis cauſæ remotæ internæ.

Pletora.

Cachedymia.

Venus nimia eſt potens cauſa in inducenda febre peſtilenti.

tissimum obstructiones agunt. Vnde omnium febrium putridarum hæc præcipua assignatur causa. An autem ad generationem febris pestilentis necessariò semper concurrat obstructio, non ita apud omnes constat. sed res ita explicanda est. Omnis febris pestilens, quæ inter sporades eueniat morbos, necessariò pro sui generatione obstructionem, tanquam causam præcipuam, requirit; quoniam ab internis tantū causis ortum habet. quæ autem vel in pestilenti aeris statu, vel ex contagio generantur, non necessariò talem habent causam: ex sola enim aeris corrupti inspiratione, vel ex solo contagio concipitur venenata qualitas, qua humores corporis à propria natura desciscentes sponte in putredinem dilabuntur. idemq; contingit, quod in horarijs fructibus, alijsq; rebus, quæ sui natura putrescibiles sunt. hę enim, licèt diutius perflentur, à putredine tamē præseruari nō possunt. consimiliter humores illi, cum qualitatem illam perniciosam conceperint, nec rectè à calore naturali tunc imbecilli ex oppugnatione eiusdem qualitatis facto regantur, procliues in putredinē redduntur. hincq; licèt nulla sit præsens obstructio, tamē necessariò putredo, indeq; febris superuenit. Vnde in contagiosis hisce morbis, ac in constitutione pestilenti multos laborare nouimus, quorum corpora potentia, laxa, & transpirabilia erant, in quibusq; nec copia, nec vitiosa erat humorum qualitas, sed optima fruebantur valetudine: nec in consimilem vnquā hi incidissent, cum causæ hæ internæ abessent, morbum, nisi illæ externæ, validissimęq; concitassent, & præcipitassent eos in eam humorum corruptionem, qua & perniciosi, & putrescibiles (cum à natura amplius rectè non regantur) facti, pestilentem possunt inducere febrem. qua tamen inducta, & genita, cum humores illi corrupti, & putrescentes à natura amplius non regantur, solent ijdem malè dispositi, & cōmoti obstructiones nonnullas causare, indeq; febrem ipsam augere, tuncq; concurrit etiam in his febribus aliquo

An ad generādam febrē pestilentem propter cōcurrāt obstructiones.

pacto

pacto pro causa obstructio ipsa. quæ licèt à principio nec præsens, nec causa morbi fuerit, subsequitur tamen, & ab humoribus labe pestilenti inquinatis fouetur. In pestilenti etiã statu aliquando & obstructiones concurrunt, sed non primariò, ad causandam febrem pestilentem: hoc enim tunc accidit, cum corpora malè affecta præsente obstructione febres non pestilentes patiuntur, quibus si vel contagium, vel inspiratio aeris corrupti accedat, iam conceptæ ex obstructione putredini illa infligitur perniciosa qualitas; cuius meritò ex non pestilenti pestilens euadit febris. tunc tamẽ obstructio non habet rationem causæ, sed occasionis tantùm, videturq; præcedens, & non coniuncta causa ipsius febris pestilentis. non igitur in omni febrium pestilentium genere, licèt in omnibus reperiatur, requiritur, & necessaria est obstructio, sed in his tantùm, quæ inter sporades contingunt morbos. hæc de causis internis remotis. Causæ autẽ internæ proximæ sunt humores corrupti, & putrescentes; corruptio in his humoribus est necessaria; quoniam hinc malam, & perniciosam qualitatem adipiscuntur; putredo autem requiritur, quoniam hinc febris generatur, cum autem hæc duo simul vniuntur, videlicet tum corruptio, tum putredo, tunc necessariò febris subsequitur pestilens, mala enim qualitas ex corruptione ingenita à putredine excitatur, tuncq; cor ipsum non tantùm calore illius humoris putrido, sed ab eiusdem etiam praua læditur qualitate. Qui autem sint hi humores putrescentes, nunc non referam; quoniam in superioribus, quæ hanc partem attingunt, satis clarè præmonstrata sunt; vbi docuimus omne humoris corrupti genus, vbicunque putrescat, posse febrem procreare pestilentem. nec referre, an hoc sit sanguis, vel bilis, siue sit nigra, siue flaua, seu alterius generis, vel pituita, dummodo iam ex corruptione, cum ad putredinem deueniat, malam aliquam conceperit qualitatem. Humores igitur corporis humani in hac positi constitutione, quicunq; fuerint, videlicet

Febris pestilentis causæ internæ proximæ.

licet

licet tum corrupti, tum putrefacti, proxima sunt causa febrium pestilentialium; quoniamq; proxima sunt causa, hinc factum est, vt pro diuersitate humoris peccantis diuersa febrium pestilentum sint genera, diuersaq; simul ad hæc symptomata succedant. ab his enim humoribus corruptis, & putrescentibus, sicuti cæteræ, ita & pestilentes specificantur febres, prout q; diuersi sunt inter se, & essentia, & qualitate; ita & varias produnt affectiones, variaq; inducunt symptomata. & hæc de causis febriū pestilentialium tum externis, tum internis, quæ sufficiant de differentijs à causis.

De differentijs febris pestilentis ab intenso & remisso, & à coniunctis. Cap. XII.

ALiæ sunt differentiæ febris pestilentis enumerandæ, quæ sicuti vltimo loco recensendæ veniunt, ita & minoris sunt, quàm prædictę, discriminis. harum quædam ab intenso, & remisso, sumuntur, quædam autem à coniunctis. quæ ab intenso, & remisso accidunt, differentię sunt satis euidentes; quoniam non omnes febres pestilentes sunt eiusdē naturę, & qualitatis; aliæ n. sunt maiores, alię minores, aliæ deteriores, aliæ minus malignæ. licètq; dictum sit febris pestilentis essentiam, in praua, & perniciosa consistere qualitate, quæ vna cum calore putrido cor affligat, tamen nec praua hæc qualitas, nec calor hic putridus in puncto cōsistunt, sed latitudinem habent non mediocrem. nam praua illa qualitas modò minus, modò magis est perniciosa, calorq; ille putridus modò intensus, modò remissus est. ex quo succedit, quòd non omnes febres pestilentes vniformes sint, sed aliæ sunt sæuiores, aliæ mitiores. sæuiores quidem, vbi venenata superabundat, & supereminet qualitas, mitiores autem, vbi hæc eadem remissa est; aliæ autem maiores, aliæ minores sunt, maiores quidem, vbi plurimum est caloris putridi, minores autem, cum oppositum contingit. Vnde quatuor istarum febrium hæ differentiæ statuantur.

Praua qualitas febris pestilentis latitudinem habet.

Febriū pestilētum differētia

tur. quoniam aliæ sunt vehementes, & plurimũ malignæ. ali quę debiles eandẽ cõsequutæ malignitatẽ. aliæ sunt magnæ, sed quæ minimũ prauitatis habeant, sicuti cę, quædam debiles febres sunt, quę pariter minimũ in se prauitatis retineãt. Consimilẽ huic differentiæ (& hoc vt clarius res pateat) alterã habẽt febres pestilentes: nam cũ duo sint in febre ista, quorũ alterum est qualitas perniciosa, alterũ est putredo. sicut maligna illa qualitas non in puncto consistit, sed modò maior est, modò minor, ita & putredo quandoq; est intensior, quandoq; minus intensa. Vnde si contingat, vt & qualitas illa venenata in summo sit gradu, simulq; multa sit putredo, tunc sæuissima gignitur febris pestilens. in qua ratione quidẽ prauæ qualitatis vitales virtutes admodũ labefactãtur, ratione autem summę putredinis & cęteræ læduntur facultates, lætaq; subsequuntur symptomata. Vnde in hac febre virtus lãguida est, & ratione putredinis (prout vapores putridi, vel materiæ putridæ hãc, aut illã petũt partem) sequuntur dolores vel capitis, vel ventriculi, vel dorsi, vel alterius partis, sequũtur & vigiliæ, & sopores, & inappetentię, & sitis inexausta, & inquietudines, & cætera omnia symptomata, quæ putridã consueuere sequi materiã, a taliq; febre citissimè necãtur ęgrotantes. Aliquando autẽ in hac febre putredo quidẽ est summa, & praua illa qualitas remissa. tuncq; febris est molesta admodum ratione putredinis, sed non adeò sæua, cum non ita in hac, vt in superiori, vitalis facultas ratione prauæ qualitatis remissæ succumbat. Quandoq; verò putredo non est tanta, sed pernitiosa illa qualitas est maior, tuncque fit febris, quæ ratione patredinis non ita mala producit symptomata; sed cum acuta sit venenositas illa, vires concidunt magis, fitq; febris, quæ mitior quidem prædictis apparet, sed non minus periculi, quã superior continet. quandoq; autem in tantum remisa est putredo, vt ferè nulla sit: perniciosa autem, & praua illa qualitas admodum intensa est, & tunc fit febris, quæ nec ęgrotanti videtur molesta

quò ad magnitudinẽ, et quò ad prauã qualitatem.

Febris pestilentiæ differentia quò ad putredinẽ, et prauã qualitatem.

M 2

lesta, immo benè se habere opinantur, nec astantibus timenda, sed mitis in totum primo apparet aspectu, cum tamen exitialis admodum sit: nam ab adaucta illa venenata qualitate vires prosternuntur, corq; omninò obruitur, licèt nullum adhuc sensibile symptoma, quod vel ab ægrotante, vel ab astantibus possit dignosci, quod indè prouenit, quoniam remissa putredo nullum accidens edit molestum. hæque febres sæpè ægrotantibus, astantibusque, & multoties etiam imprudentibus imponunt medicis, qui ex sensibili ægrotantium læsione morbos metiuntur, cum facilè ad interitum nullo nec cruditatis, nec prauitatis humorum signo præsente; immo omnibus supra salutem attestantibus hominem ducant. quod idē sæpe obseruaui in prima huius ordinis contigisse differentia, in qua dum ex opportunis remedijs putredo euicta esset, signaq; futuræ salutis apparuissent, mors tamen ineuitabiliter à non correcta praua qualitate subsequebatur, hæc de differentijs ab intenso & remisso. Quò autem ad differentias à coniunctis, hæ sunt euidentissimæ, ac plurimę. nam nullum est malum symptoma, nec vllum morborū exitialiū genus, quod cum hac febre non coniungatur. quò ad symptomata, & sitis, & vigiliæ, & sopor, & appetitus prostratio, & nauseę, & vomitus, & syncopæ, & virium languor, & singultus, & inquietudines, & alui fluxiones, & sudores vel superflui, vel mali, & capitis dolor, & delirium, pluri- maq; alia consimilia his febribus superueniunt symptomata, quę tn̄ ipsis non sunt propria, nec inseparabilia; nā in alijs febriū generibus hæc etiā euenire solet: cumq; his eueniunt, non semper omnia, nec semper eodē accidūt modo, sed aliquando hoc illi febri, aliquādo alterum, & non hoc alteri superuenit. His tn̄ omnibus symptomatibus vnū additur tantū, quod propriū est febris pestilentis, quodq; in nullo alio febris genere contingere consueuit. Hoc autem est macularum genus diuersum, quod excepta facie solet sępe cætera

Febris pestilētis differentiæ à coniunctis.

Maculæ febribus pestilētib. contingentes.

Maculæ in febre pestilenti

ras corporis partes occupare, & hę colore differũt inter se; quoniam aliæ sunt rubeę, aliæ pallidę, aliæ puniceæ, aliæ virides, aliæ nigræ: quemadmodum autem non eiusdem semper sunt coloris, ita nõ in eadem semper sunt magnitudine. nam aliquando satis amplæ sunt, ita vt æquent mensurã palmę, vel cubiti, vel etiam his maiorem: vnde nonnunquam magnam corporis partem, sicuti dorsum, coxas, crura, brachia inficiunt: aliquando sunt minores, ita vt appareant esse vibices, & liuores ex flagellis inducti: quandoq; autem sunt paruæ, & pulicum morsibus satis similes existunt, & hæ vt plurimum circa spinam, & in dorso, ac in regione thoracis apparere solét. vocanturq; à nostris Peticulæ, seu Pestichię, hæq; inter ea, quæ præter naturam de nouo emergunt, sunt recensendæ: antiquorum enim sæcula nec tale quid videre, nec huius meminere. omnia enim ea his consimilia, quę huiusmodi febribus ipsi accidere adnotarunt, siue papulæ, siue exanthemata dicantur, longè ab his maculis differunt; illa.n. in genere tumorũ referuntur, habentq; eminentiã, & ad suppurationẽ, vel exulceratiõẽ quandoq; deueniunt, quorum nullũ in his maculis reperitur; quare nouũ symptomatũ genus erit, notũ tamen & nobis, & patribus nostris. Et hæ maculę sicuti nec colore, nec quãtitate semper sunt vniformes, ita etiã nec numero. nam aliquãdo plures, aliquãdo pauciores existunt. Quæ omnia de peticulis ipsis potissimũ cõsideranda duco. Noui.n. præstantes viros, qui arbitrati sunt non oẽs febres, in quibus peticulæ appareant, pestilẽtes esse, hac ducti ratione, quòd pestilentes febres cacochimiã, non sanguinis pletoriã sequantur. quare eas febres, in quibus hę maculæ rubrę cõspiciantur, qm̃ his sanguinis multitudo iungitur, nõ esse pestilẽtes affirmant. sed illas tãtùm, in quibus hę nigræ, violaceæ, liuidæ, alterius ve praui coloris existãt; quoniã tales cacochimiã præseferunt, pestilentes appellant. At si cęteri humores à sanguine distincti naturam à nobis extraneam, per quam aduersantem humano generi qualitatem

quas corporis partes occupent.

Macularũ febris pestilẽtis differẽtiæ à colore, & quantitate, & numero.

An omnes febres peticulis apparẽtes sint ex genere pestilentialium.

tem adipiſcuntur, inire poſſunt, quid prohibet ſanguinem ipſum hanc eandem inire poſſe? nihil ſanè, cum & in quantitatibus, & in ſubſtantia perinde ac alij humores ab eo diſcreti, pati earundem paſsionum mutationem queat. quā mutationem cum ſanguis conſequutus fuerit, æquè vt illi, cum ad putredinem deuenerit, peſtilentes procreabit febres. Quam veritatem nec Auicenna, nec Aetius, nec Paulus ex Rufo negarunt, atteſtantes à ſanguine peſtilentes aliquādo generari febres. Vnde Princeps hæc in curatione habebat. Si autē materia vincens fuerit ſanguinea, fiat phlebotomia. Aetius autem cum Paulo ex intentione Rufi hæc referebat. Quibus ſanguis abundat, his vena ſecetur. Si autem à ſanguine poſſunt generari peſtilentes febres, cur negandū erit eas, in quibus peticulæ rubicundo colore infectæ, quia his multitudo ſanguinis iuncta eſt, apparent, eſſe peſtilentes? ſunt (vt mea fert ſententia) à ratione iam explicata, & ab auctoritate prædictorum virorum confirmata, hæ etiā febres peſtilentes, ſed à cæteris in hoc differentes exiſtunt, quòd hę, quoniam in ipſis materia minus praua, & minus, quàm in cæteris maligna peccat, ideò minus, quàm cæterę aliæ, detrimenti, & periculi minantur ipſis ægrotantibus. benigniores enim ſunt maculæ, & peticulę rubicundæ, quàm omnes alię; quia etiam à benigniori humore, videlicet à ſanguine ipſo, procreantur. Quare maculas has omnes, cuiuſcunq; extiterint coloris, inſeparabile eſſe ſignum peſtilentis febris, haſque neceſſariò peſtilentem ſignificare affectum, conſtituo. Aduertatur tamen, quòd licèt hæ maculæ inter propria febrium peſtilentum ſymptomata recenſeantur, nō tamen earum inſeparabile ſymptoma eſt. quoniam licèt hæ, vbiuis eueniant, ſemper neceſſariò certum ſint febris peſtilentis inditium, nō tamen in omni febre peſtilenti neceſſariò eueniunt. plurimę enim ſunt illę, in quibus hæ maculæ non apparent, paucilsimæ autem, quibus ſuperueniunt. Hæc de ſymptomatibus. Quò autem ad morbos, qui cum febre

Morbi diuerſi poſſunt con-

febre pestilenti contingunt, idem, quod de symptomatibus dictum est, affirmatur, sicuti enim omnia praua sympto mata possunt his febribus coniungi, ita plurimi exitiales morbi solent eisdem febribus connecti, sicuti anginæ, pleu ritides, phrenitides, iecoris inflammationes, colicæ passiones, aplitæ, oris praua vlcera, partium putredines, abscessus, inflammationes, erysipilata, consimiliaq; his omnia praua, sed duo præcipuè subsequentur morbi; alter est carbunculus, alter bubo pestilens, vel parotis pestibus. cumq; morbi isti cum febribus his coniunguntur, semper res deteriori se habent statu: proutq; membrum læsum erit nobilius, indè etiam semper maius impendet periculum, ab hisq; morbis, qui febre pestilenti connectuntur, tāta harum diuersitas generatur, vt plures harum species videantur, cum tamen nō ratione morborum additorum, sed propriæ eius essentiæ verę debeant constitui differentiæ; nam nec etiam prauitas morborum febri pestilenti coniunctorum ab eorum vnica pendet essentia, sed à perniciosa, & venenata humorū qualitate, qui in pestilenti febre putredinem concepere. hi enim, vbi putruerint, quocunq; repant, ibi prauam infligunt qualitatem, morbusq; inde genitus non à morbi ipsius essentia, sed ab exitialibus illis succis malignitatem, & perniciem cōsequitur. & hæc de differentiis febriū pestilentū sufficiāt.

tingere in febre pestilenti.

De signis futuram febrem pestilentem indicantibus.
Cap. XIII.

DEclarauimus febris pestilentis essentiam, eiusque differentias enumerauimus. nunc reliquum est, vt ad tertium principale accedamus, signaq, eiusdem recenseamus, vt huius perfectam assequamur notitiam. nisi enim hæc pars duabus prædictis adderetur, omnis profectò labor, omnisq; conatus tum in superioribus adhibitus, tum in inferioribus sumendus inutilis esset. hęc enim morbum patefaciunt, ostēduntq;, quo ignoto omnis medici diligētia frustratur. Sciē-

dum

dum tamen est, quòd pars ista de signis, ferè tota coniecturalis est, rariq; sunt morbi, in quibus demonstratiua habeantur signa; cuius ratione ars nostra coniecturalis dicta est. quapropter difficillimum erit hanc de signis partem demonstratiuis firmare rationibus. in tanta tamen rerum difficultate nos conabimur quàm proximè ad veritatem accedere, remq; ipsam certis adeò fulciemus rationibus, vt in exponendis signis quàm cōmodissimè ad veram, & determinatam rei essentiæ cognitionem perueniamus, certoq; esse, vel non esse febrem pestilentem poterimus affirmare.

Febris pestilētis signa triplicia.

Rem igitur ipsam aggredientes dicimus signa hæc in triplici posita esse discrimine: alia enim futurum morbum indicant, alia præsentem demonstrant, alia præteritum rememorantur. Hæc tria signorum genera necessariò ponenda sunt; quoniam à primis præseruatio, à secundis curatio, ab ultimis præcautio quædam in cæteris, qui febre non laborant, sumitur.

Signa futuræ febris pestilentis à quib. & à quo sumantur.

Prima signa, videlicet ea, quæ futuram febrem pestilentem prænunciant, à tribus capiuntur, scilicet à corporis dispositione, à præsentia causarum, & à quibusdam medijs dispositionibus. Hic autem animaduertatur, quòd dum signa febrium pestilentum recensemus, nō pestis vel futuræ, vel præsentis, vel transactæ, sed febris tātùm pestilētis, de qua nostra est speculatio, signa declarare intendimus. quæ licèt nonnullis cum peste eadem visa sit, longè tamen ab ea differt, quamuis enim & pestis, & pestilens febris aliquando concurrant, tamen & pestis sine febre, & febris pestilens sine peste datur, vnaq; sine altera reperitur. Quare ponentes signa febris pestilentis, non signa pestis, sed febris tantùm, circa quam versamur, recensebimus. Huius igitur signa declarantes dicimus ea, quæ futuram febrem pestilentem denunciant, à tribus sumi, scilicet, à corporum præparatione, à causarum præsentia, & à medijs quibusdam dispositionibus. Adest in corpore ad febrē pestilentem præparatio, cum homines prauos, qui vel iam

Corpora præparata ad febrē pestilentē quæ sint.

corrupti

corrupti sunt, vel in corruptionem procliues congessere succos: sicuti illi, qui praua vtentes victus ratione gulæ indulsere, vel necessitate coacti ex cibariis mali succi se repleuere. vnde quibus & fungi,& horarij fructus, & carnes diu mactatæ, & legumina semiputrida, & frumenta, quæ rubiginem sensere, & vinum immutatum, & aquę vel stagnantes, vel quomodolibet vitiatæ, & omnia herbarum,& radicum in caritate annonæ genera, & consimilia in vsu fuere, omnes ad hunc morbum paratos nouerimus. Vltra hos & illi, qui supra vires bonitate succorum grauati sunt, in hanc febrem sunt procliues, dum vel iterum ingurgitant, vel inordinatè, & intempestiuè se replent. moles enim hæc humorum cum sic à natura regi non possit, facilè concipit corruptelam aliquam, malignamq; adipiscitur qualitatem. plures etiam alij, qui nec prauis abundant humoribus, nec vltra vires grauati sunt, ad hanc capescendam febrem disponuntur, dum vel à molestis animi accidentibus agitantur, vel nimium Veneri operam dant. has duas ego præcipuè occasiones obseruaui, à quibus inuecta in bonos humores corruptela, facilè febres subsequuntur pestilentes. animi enim accidentia spiritus à proprijs distrahunt operationibus. Venus autem nimia omnes virtutes labefactat/ quare ex his duobus, pręcipuè autem ex nimia Venere, corpora ad huius generis febrem maximè disponuntur. nã distractis spiritibus, virtutibusq; labefactatis, facilè humores in alienam transeunt naturam, corruptionẽ aliquam consequuti. *Causæ præcipuæ disponentes corpora ad febrem pestilentem.*
Qui etiam habent corpora imbecilla, debiliaq; ab ortu mẽbra receperint principalia; & qui vel ex hausto veneno, vel ex prauis cibarijs, vel ex potu corrupto, vel ex aere vitiato labem in visceribus, & principalibus membris contraxere, omnes corpora ad febrem pestilentem facilè suscipiendam possident. hi enim ab omni etiam leuissima causa maximè labefactantur, lęsionemq; vltra, quàm credi possit, semper maiorem admittunt, minimoq; negotio in his omnia humo-

rum genera corruptelam, & vitium contrahunt. Qui autē temperamenti sunt humidi, & qui corpora calida, & humida vel ab ortu, vel ex accidenti habent, cū hæc facilè omnē cōcipiant putredinē, facilè etiā ad omnē corruptionē disponuntur, hincq; in febres pestilētes procliues sunt. Corpora etiā rara, & laxos habētia meatus, cū omnibus externis causis facilè cedant, prona ad febrem pestilentem capescendā sunt, vbi externæ causæ vigeant, & vagentur. Corpora verò densa, & angustos habētia poros, facillimè ex internis causis in febrē hanc incidūt. hæcq; licèt opposita sint, pariter tñ pro causarū diuersitatē pestilenti febri sunt opportuna. hæc de corporū præparatione, à qua prima sumebantur indicia futuræ pestilentis febris. Secūda capiebātur à præsentia causarū, quæ vbi præstò sint, facillimè febris potest subsequi pestilens. Causæ autem hæ erunt vel intemperatū cœlū, prçcipuè autem calidum, & humidum, vel aeris pestilēs status, vel contagium vagans, vel aquarum inundatio, vel earundē stagnantium corruptio, vel multorum hominum, seu animalium cadauera insepulta; vel ex antris, specubusq; prauæ expirationes, vel exhalationes ex terra inquinata, vel locorū, vrbium, regionumuè immunditię, excrementaq; non expurgata. Vbi igitur harum causarum aliquæ fuerint prçstò, facilè coniectare poterimus futuram pestilentem febrem. hæc enim omnes, & singulę causæ multa vi pollent ad inducendum hoc morbi genus. Vnde ex harū præsentia facilè morbum hunc futurum esse, coniectare poterimus. Quòd si his omnibus mediç quædam dispositiones, à quibus tertia futurę febris indicia sumi diximus, superaddantur, poterimus certò conijcere pestilentem febrem subsequuturam esse. cū enim viderimus posita corporum prçparatione, præsentiaq; causarum, adesse in homine mestitiam insolitam, timoremq; inexplicabilem, colorem faciei immutatum, ad oblata non benè se habere, insomnijsq; prauis perturbari, lassitudinem adesse spontaneam, siti molestari, nauseam pati, vigilijs

Corpora densa, et rara quomodo disposita sint febri pestilenti.

hjs affligi, non poterimus, stantibus his medijs ad morbum dispositionibus, non coniectare febrem imminere pestilentem, hæc enim indicant iam corruptionem aliquam concipere humores corporis, alienáq; adipisci naturam, paratosq; in putredinem esse, vnde postea putrescentes febrem pestilentem edere possint. Hęc de signis, quę futuram hanc febrem prænunciant.

De signis communibus, & proprijs febris pestilentis.
Cap. XIIII.

Signa, quæ præsentem attestantur pestilentem febrem, veniunt declaranda, quorum diligentissima debet esse inquisitio, quoniam hinc cognitio habetur morbi, qua non habita, nec recta, nec fidelis potest subsequi cura: io. signa autem hæc non omnia eiusdem sunt facultatis, nec eiusdem certitudinis, sed diuersa existunt, aliaq; fidem pleniorem, alia minorem habent. distinguuntur autem in triplici ordine, nam alia sunt omnibus communia, sed non propria, alia autem propria, sed non communia, alia autem indifferentia, quoniam nec semper, nec omnibus, sed aliquando, & aliquibus conueniunt. Primum signorum genus, quod commune omnibus est, licèt non proprium, sumitur à propria febris pestilentis essentia, quæ sicuti vna est, communisq; omnibus febribus pestilentibus, & ipsis propria; ita vnum profert signorum genus, quod omnibus commune est. huius autem febris essentia in maligna, & venenata consistit qualitate, quæ vnà cum calore putrido cor affligit, alteratq;. corde verò ita patiente, necessariò immutantur pulsus. hi enim & ortu, & facultate à corde ipso dependent. Vnde ipso læso, consequitur necessariò & in pulsibus ipsis immutatio. quæ autem sit ista pulsus immutatio, quæ ad febrē subsequitur pestilentem, clarè patebit, consideratis causis lædentibus. Duo sunt in hac febre, quæ cor ipsum lędunt. alterum est calor putridus, alterum est perniciosa, & venenata

Signum cōmune omnib. febrib. pestilentibus.

Signum febris pestilētis sumptum à puls.

qualitas. dum cor à calore putrido tantùm alteratur, inca lescitq́; necessariò primò immutatur pulsus ad magnitudinem modò maiorem, modò minorem, prout maior, vel minor est caliditas: cum enim ratione auctę caliditatis maior requiratur refrigeratio, indè necessariò pulsus primò ad excipiendam maiorem aeris frigidi quantitatem, in magnitudinem attolluntur; quę si non satis sit ad refrigerium recepti caloris, secundò ad celeritatem mutantur. quòd si nec celeritas satisfaciat, necessariò frequentes euadunt. si autē huic calori superaddatur praua, & venenata qualitas, non amplius hoc ordine pulsus immutantur: sed primum, quod accedit, est frequentia: cum enim maligna hęc, & perniciosa qualitas nō per intemperiem aliquam, sed à propria eius substantia cor lędat, eiusq; naturæ, ac substantiæ inimica sit, & veneni vicem gerat: hinc maximè & alteratis spiritibus, imminutisq;, & facultatibus omnibus labefactatis, labor cordis succedit: nam dum alterantur spiritus à venenata qualitate, imminuūtur etiam. quibus imminutis, & pernicio sa qualitate alteratis, cordis facultates labefactantur. dū autem hæc contingunt, quemadmodum in subita trepidatione omnia raptim, & cum festinatione fiunt, pariter in tanta cordis concussione ad frequentiam immutantur pulsus, qua semper actione, cum vehementer cor laborat, arteriæ maximam eius indicant læsionem. hinc in cardiacis, in syncopis, in maximis ęstuationibus pulsus eduntur frequentes; quoniam in his maximè cor laborat. quod idem cum in febre contingat pestilenti, non mirum est, si in his pręcipuè pulsus ad frequentiam immutentur; in his enim cor à venenata lęsum qualitate maximè laborat, affligiturq;. Vnde ad hanc propulsandam noxam cogitur frequentem edére motum: hocq; vtitur, tanquam eo, quo in defectu aliarum mutationum, vbiq; aliæ nō satisfaciant mutationes, vti consueuerit. hacq; in re idem sagax agit natura, quod faciūt Medici rectè artem exercentes; sicuti enim hi extremis mor-

Frequentia cū vehementer cor laborat, sē p additur pulsui.

bis

bis extrema statim adhibent remedia; ita natura in supremis hisce cordis affectibus, non quòd ex cognitione hoc agat, sed necessitate ducta, ad vltimam deuenit pulsus mutationem, videlicet ad frequentiam. Frequentia autem hæc modò has, modò alias sibi adiungit pulsus differentias: dum.n. in principio ipsius febris praua illa, & maligna qualitas petit cor vna cum calore putrido, & dum labefactantur eo tẽpore cordis facultates, nondum tamen concussę sunt, pulsus fiunt statim frequentes quidem, sed etiam & magni, & celeres; dũ enim fit alteratio a venenata illa qualitate, dumq; fit pugna, ac resistit natura, cum vires adhuc constent, pulsus ob auctam necessitatem redduntur & magni, & celeres. quare in principio pestilentis febris, dũ adhuc fit actio, pulsus erunt frequentes, magni, celeres, & non languidi. sola tamen frequentia pulsus ab inuasione febris assumpta erit signum peculiare huiusce febris, hæcq; semper maior erit, quàm ex ratione caloris adaucti; ita vt supra magnitudinẽ, & celeritatem multum excedat frequentiæ proportio. qua rectè considerata, & mente commensurata clarè apparebit, febrem esse pestilentem, dum frequentia supra alias differẽtias vel duplam, vel sesquialteram habebit proportionem. Facta autem, impressaq; in cor ipsum actione à qualitate uenenata (quoniam hinc spiritus, & facultates omnes concussæ remanent) pulsus redduntur frequentes, parui, celeres, & languidi; cum enim amplius non in suo robore constent vires, necessariò & languidi, & parui euadunt, nõ potente natura in magnitudinem attollere arteriam; ob penuriamq; spirituum semper frequentiores euadunt, celeres tamen adhuc perseuerant, nondum ad imbecillitatem maximam redacta natura, vigenteq; adhuc calore, ob cuius necessitatem semper maior & celeritas, & frequentia crescit, dum præcipuè per magnitudinem imminutam pulsus proportionata non subsequatur frigidioris aeris inspiratio. Quod si adhuc inualescente perniciosa, & venenata illa qua-

litate vires prosternantur: tunc pulsus fiunt frequentiores admodum, & parui, & languidi, & tardi, sed qui celeritatis imaginem ob frequentiam, & paruitate admodum auctam præbeant, in summaq; (vt vnico dicam verbo) prostratis à maligna illa qualitate viribus pulsus fiunt formicantes. Quapropter in omni febris pestilentis tempore semper pulsus erunt frequentes, sed modò has, modò illas habebit additas pro ratione & constantiæ virium, & inualescentiæ venenatæ qualitatis differentias. vnumq; hoc erit signum omnibus hisce febribus commune, quod possit febrem certo attestari pestilentem. Secundum signorum genus febris pestilentis præsentiam attestandum, quod diximus proprium esse his, sed non omnibus commune, sunt maculæ illæ, de quibus inter differentias egimus, Videlicet & magnæ illæ, & mediocres, & illæ minimæ, quæ peticulæ, vel pestichiæ à recentioribus appellatæ, à nonnullis alijs impropriè transumpto nomine exanthemata dictæ sunt. Cum hæ apparent maculæ, firmissimum est argumentum, febrem existere pestilentē. non aliunde enim hę generantur, quàm ex venenata, & praua sanguinis, vel aliorum humorum qualitate, cui coniunctę etiam sit putredo: & vt vno dicatur verbo, ex solo pestilenti generantur affectu. Apparent quidem sępe his minimis aliæ, & in colore, & in quantitate, & in omni altera earum differentia consimiles maculæ, quę & cum febre aliquando, & aliquando sine febre eueniunt, quę tamen huiusce nō sunt ordinis, nec peticulæ, seu pestichiæ dici possunt, licèt imprudentes nonnulli medici à colore, & similitudine prędictarū decepti has inter periculas aliquando recenseant, nā hę non à pestilenti aliquo oriuntur affectu, sed à sanguinis tenuitate, qui agitatus vel à calore, vel ab excretrice facultate extra capillares venas in cute efflorescit, extramittiturq;, in quo casu illud idem contingit, quod in echimomate, & in sugillatis euenit, attracto ad cutim à capillaribus venis sanguine, vnde præcipuè hoç symptomatum genus contingit

Signum febris pestilentis proprium, sed non commune.

Maculæ in febrib. pestilentibus apparētis vnde causentur.

Maculæ quandó similis pesticulis apparentes, in quo ab his differāt & à quib. causis oritur.

tingit in his, qui fluxum sanguinis patiuntur ex eius tenuitate, factoq; ipso aquoso patiuntur. hocq; potissimum adnotaui euenire in lienosis, in diuturnis viscerum obstructionibus, in antiquis ictericijs, in omnibus q; ijs, ut in summa dicã, qui ex viscerum debilitate sanguinem generant aquosum, quiq; ex imbecillitate iecoris in cachexiam procliues sunt, in his enim genitus sanguis tenuior, ab expultriceq; virtute excita tus modo per nares plurimum fluit, modo per aliam partē, modo etiam à capillaribus exiens venis in partes cutaneas transmittitur, vbi retentus proprium amittens calorem in alienum permutatur, factusq; vel liuidus, vel niger, vel puniceus varias profert harum macularum differentias, quæ nullo modo nec essentia, nec causis cum his, quæ febrē pestilentē attestantur, coincidunt, conformanturuè, sed diuersæ sunt, nihil aliud præsetorentes, quam sanguinis tenuitatem aquosam, & iecoris imbecillitatem. Hæ autem maculæ, quę febrium pestilentium signa sunt, ab vnica quidem proueniunt causa, scilicet ab humoribus putrescentibus, perniciosaq; inquinatis qualitate, sed diuersimodè, & diuersæ apparent. diuersimodè quidem, quoniam aliquando criticè, aliquando symptomaticè eueniunt: criticè, cum vel in parte, vel in totū superata putredine, prauaq; correcta qualitate. natura corruptum humorem ab internis ad externa transmittit, tuncq; semper sequitur alleuiatio morbi. symptomaticè autem, cum natura stimulata vel à copia, vel à praua qualitate, ante materiei coctionem, & prauæ qualitatis correctionem ad partes cutaneas portionem materiæ peccantis transmittit. Vnde euenit, vt cum nec coctio præcedat, nec perniciosa qualitas sit euicta, nullum hinc subsequatur iuuamen, immo cum facta sit maxima morbi cum natura colluctatio, non separato bono à malo, naturæ euictæ potius, quàm vincentis hoc sit signum: debilitatæ enim malignæ hinc succedit, mollis in hac actione spiritibus resolutis. cum hacq; debilitate adhuc causæ morbificæ vigent: quæ-

Maculæ in feb. pestilēti diuersæ in colore, & his causa.

Macularum diuersitas in

Maculæ ī feb. pestilētibus diuersimodè apparent, et quādo bene, & quādo malè.

Maculæ signū symptomaticū quādo appareant.

 si ante

ſi ante pugnam hanc non potuerunt à natura ſuperari, nunc addita maiori virium imbecillitate, multò minus videntur domari poſſe. ſicq; dum ſymptomaticæ hæ maculæ apparent, non ſolum non bonum, ſed prauum exiſtũt indicium. Diuerſæ autem ſunt maculæ iſtæ ob diuerſitatem colorum eas concomitantium; aliquando enim ſunt rubeæ, aliquando virides, aliquando liuidæ, aliquando puniceæ, aliquando nigræ. hi colores à diuerſitate producunt materiei peccãtis, quæ prout eſt magis ſanguinea, vel magis biliosa, vel magis melancholica, vel magis pituoſa, potius hunc colorem, quàm illum habent. à ſanguine puriori fiunt rubeę, & hę ſunt benigniores. à pituitoſo fiunt liuidæ, & hæ minus benignæ: à biliosſo fiunt puniceæ vel virides, & hæ ſunt deteriores. à melancholico & exuſto fiunt nigræ, & hæ omnium peſsimę. Diuerſę etiã ſunt hę maculæ quantitate, quoniã quandoq; pauciores, quandoq; plures, quandoq; maiores, quandoq; minores exiſtant. cum plures ſunt, & maiores, & coloris benignioris, criticeq; apparuerint, magnum afferunt leuamen, naturæq; victoriam prænunciant. ſin autem pauciores, minores, praui coloris, & ſymptomaticè acceſſerint, naturam ſuccumbere indicant, ipſamq; vel à multa pernicioſi humoris copia grauatam, vel à maligna qualitate nimium ſtimulatam ad hanc edendam actionem demonſtrant. harũ autem differentias omnes ſiue has, ſiue illas pro modo, numero, quantitate, colore, & alijs circunſtantiis conſiderare, & commenſurare oportet. Aliquando etiam hæ maculæ, poſtquam apparuerunt, retrocedunt, obliteranturq;. quod ſemper malum eſt, cum indicent morboſam materiam ab exterioribus ad interiora verti, quod in quocunq; caſu ſemper malum eſt. Quapropter ſtatuatur, maculas has (quomodocunq; appareant) ſemper febrem atteſtari peſtilentem, haſque certiſsimum eſſe huius febris indicium: quę tamen maculę licèt neceſſariò hanc febrem atteſtentur, non tamẽ omnes huius generis, vt iam diximus, febres, nec eas,

Macularũ feb. peſtilẽtis diuerſitas in colore, & huius cauſa.

Macularum diuerſitas in quantitate, & numero.

Maculæ febris peſtilentis quã do appareant.

in quibus apparent, semper concomitantur. quoniam non in principio, sed in progressu morbi euenire solent. nō enim vnà cum febre pestilenti statim coniunguntur, ita vt eorum sit pathognomicum signum, sed post apparent; nam aliquando in quarta, aliquando in septima, aliquando in nona, vel in altera indicatoria die, si ad bonum fuerit excretio, superuenire solent. aliquando autem & in alijs diebus, cum minus fida, & minus fuerit vtilis ista transmissio, etiam apparere solent, nunquam tamen prima visum est die, vel saltem rarissimè, nec in primo febris insultu has apparuisse. & si tunc appareant, pessimum essent indicium, cum tunc nulla possit esse morbi nec concoctio, nec correctio. quare hæ maculę poterunt confirmare quidem febrem esse pestilentem, sed indicare eam à principio non possunt; & ideò, vt iam dictum est, hæ erunt huiusce febris signum quidem proprium, sed non commune, nec inseparabile.

De signis febris pestilentis sumptis à qualitate caloris. Cap. XV.

POsitis signis cõmunibus, & proprijs ad indifferentia signa descendo, quę in multiplici sunt ordine; nā alia à qualitate caloris, alia à lotio, alia à symptomatibus, alia à superuenientibus affectibus, alia à causis sumuntur. primū genus, quod à qualitate caloris desumptum est, maximè est animaduertendum; quoniam licèt non omnibus febribus pestilentibus hoc sit cõmune, plures tamen, & omnes ferè cõsequitur. hoc autem signum huiuscemodi est, quòd calor in his febribus nec acer, nec multus, nec intensus apparet, sed potius ad tactum mitis est, & remissus. vnde nec calidi, nec perurẽtes tangentibus videntur. quod inde prouenit, quoniā ad interna calor, & spiritus retrocedūt, à quibus partes exteriores destitutæ, vel tepidi fiūnt caloris, vel subfrigidę, vel etiam quandoq; frigidę apparent; hoc autẽ licèt ferè perpetuū sit, aliquando tamen non solet esse in prima febris inuasio-

Signū pestilẽtis febris sumptū à calore.

Calor febris pestilẽtis qualis esse solet, et quomodo variet.

inuasione, dum adhuc vires à qualitate illa venenata, & perniciosa non sunt admodum labefactatæ; & præcipuè si humorum in hac febre multa vigeat putredo. nam dum adhuc vires non sunt admodum lasę, nondum ad intra calore, & spiritibus concentratis, seu violentia attractis, partes exteriores caliditatem humori putrescenti proportionatam retinent: Vnde si bilis putrescat, calor est acerrimus: si pituita, caliditas est fumosa, non acris: si melancholicus humor, acris quidem est calor, sed non tantum, quantum est in putredine bilis: si sanguis, calor est minus, quàm in cęteris, mordax, quandamq; præsefert (vt ita dicam) mitescentiam. Hic autem calor in principio febris pestilentis, dum adhuc non in corde impressa esset mala illa qualitas, reseruatus sępe excellentibus imposuit medicis, qui opinantes calorē in omnibus hisce febribus non esse vehementē, pestilentem febrem non pestilentem iudicarunt, indeq; malè, ac sine ratione adhibitis remedijs in mortem ægrotantes ipsos præcipitarunt. Calorem etiam putrescenti humori proportionatum vltra principium conseruari aliquando in nonnullis febribus pestilentibus obseruaui, eumq; ad statum vsque perseuerare: quo tempore, si res malè terminatura erat, tunc calor tepescere primò, postmodum frigescere incipiebat, virtutibusq; cadentibus mors tandē subsequebatur; si autem benè, in statu quidem, dum valida esset morbi, & naturæ pugna, raro aliquam caloris remissionem accipiebat, nunquam tamē in totum mitescebat, vnde constantibus viribus, superata putredine, ac euicta mala illa, & perniciosa qualitate, salus accedebat. hicq; est casus ille, in quo multa vigentes putredine calidi humores minimū quid praue qualitatis adepti sunt. In his tamē duobus casibus, videlicet & in eo, in quo in principio tantùm, & in isto, in quo vsq; ad statū calor humori putrescenti proportionatus reseruatur; hoc vnum solet præcipuè adesse, quòd nariū extremitas, auriculæque, & extremi pedes vel nō sunt

Quò ad calorē quid sit notandum pro cognitione febris pestilentis.

ad tactum calidi, vel saltem cęteris corporis partibus calidi tatem proportionatã non retineñt, & hoc optimè, & diligẽ ter animaduertatur; quoniam vbi alia nonnulla sint febrem pestilentem attestantia signa, licèt caro caliditatem in se habeat intensam, & mordacem, si extremę illæ partes no tatæ, vel non fuerint calidæ, vel caliditatem cæteris corporis partibus non proportionatam habeant, febrem eam pestilentem esse, poterunt indicare. Quare hoc signum à qualitate caloris sumptum maximè à nobis considerandum venit, videlicet, quòd calor in febre pestilenti, paucis exceptis dictis casibus, non est nec intensus, nec mordax, nec acer, sed potius mitis, & remissus ad tactum apparet. Vnde non abs ratione artis nostræ proceres dixerunt, febrem pestilentem exterius quietam esse, cum tamen interius omnia conturbet, videriq; satis mitẽ esse, cum tamẽ hominẽ perdat. dicta est autem exterius quietam, & mitem esse ratione caloris remissi, qui nec ad tactum mordax, nec acris apparet. An autem sicuti calor in externis est remissus in hac febre, identidem sit in internis, non ita liquet. dictum quidem est antiquum, quòd febres hæ non sunt calore vehementes: attamen sententia hæc tota discriminis plena est. si enim de externo calore sit sermo, non est verum omnes pestilentes febres calore non esse vehementes; nam dantur nonnulli casus, sicuti iam notauimus, in quibus calor ad tactum intensus, mordax, & acris reperitur: si autẽ de interno loquamur, in febribus istis aliquando ægri magno interius (hoc idẽ Galeno, & Thucidide, & experientia attestãte) flagrant incẽdio. quare de neutro poterit calore verificari propositio illa, indeq; proposita difficultas indeterminata relinquetur. sed res ita explicãda venit. omne humoris genus, sicuti iam premonstratũ est, febrem edere potest pestilentem. Si autem humores, cum non eiusdem sint temperamẽti, nec naturę, nec etiam vniformem generabunt calorem, sed diuersum, qui vniuscuiusq; naturæ propriæ proportionatus

An in febre pestilẽti sit remissus calor et extra, et ĩtra.

Lib. 9. de simpt. med. facul. cap. de ferris.

sit, vnde putrescente pituita, non tantùm ad extra, sed etiam ad intra erit remissa caliditas. si autem putrescat bilis, ad intra calores maximi vigent, interioraq; vruntur, licètq; in huiusmodi febre exteriora aliquando frigeant, internæ tamen partes magno flagrant incendio, fiuntque febres lyppiriis consimiles. pariter si melancholica, quæ aliorum humorũ est combustio, in hac febre ad putredinẽ deueniat, calorem ad intra acerrimum generat. si verò sanguis, non tantum facit incendium, quod quidem licèt magnum sit, non tamen eam acrimoniam, quæ in bile, & melancholia putrescente reperitur, accendit. quare ratione materiæ putrescentis modò remissa, modò intensa in partibus interioribus erit caliditas. Dictum etiam est, quòd putredo humorum non in puncto consistit, sed sicut perniciosa qualitas in febre hac modò est maior, modò est minor, ita & putredo modò magis intensa, modò magis remissa est. Vnde animaduertatur, si leuis est putredo, calor, etiam quòd in materia calida, & acri fundetur, erit remissus. & tunc eo magis, quò materia minus calida, & minus acris, vt pituita, putrescens erit. si autem putredo intendatur, validaq; sit, calor, licèt in materia frigida, & non acri fundetur, erit intensus, eòque magis, quò materia magis calida, & magis acris, sicuti est ipsa bilis, putrescet. quapropter calor iste gradum consequetur putredinis, & pro ratione ipsius modò internæ partes maiori, modò minori flagrabunt incendio, modòq; calor erit magis, modò minus remissus. quapropter in partibus internis semper varius in febre pestilẽti persentietur calor. & hoc duplici de causa. s. & ratione diuersitatis putrescentis materiæ, & ratione diuersitatis ipsius putredinis. Hanc autem caloris interni diuersitatem quotidiana comprobat experientia. aliqui enim febricitantes adeò internè vruntur, vt nec subtilium vestimentorũ, nec linteorum velamenta, neq; aliud quicquam præter nuditatem ferre possint. aliqui autem licèt ardorem aliquem persen-

persentiant, non tamen admodum calore, vt primi, crucian tur. nonnulli alij, nec calorem, nec ardorem patiuntur, sed sicuti exterius, ita interius quieti sunt. hoc autem vnde fie ri possit, ex declaratis liqueat.

De signis febris pestilentis sumptis à lotio. Cap. XVI.

SEcundum signorum genus à lotio sumptum declarandum sequitur, & nō abs ratione. cū enim febris sit passio cordis, & arteriarum, heq; cum venis cōmunicent, in qui bus humores putrescentes, & pręcipuè in putrida continua continentur, necessariò videtur sequi vrinę immutatio, hę n. sunt potissimum eorum, quæ in venis, & arterijs abundant, & peccant, humorum indicium. quare cum ex suppositis omne humoris genus possit in febre ista putrescere, non vnius generis tantum in febre pestilenti lotium erit, sed diuersum pro diuersitate humoris, & pro diuersitate concoctionis, & affectionis eiusdem, & pro diuersitate putredinis apparebit. Albior apparebit vrina, abundante pituita. flauior, crocea, rubea, ignea, abundante bile. rubicundior, abundante sanguine. remittuntur prædicti omnes colores, abundante melancholia. Tenuis apparebit aliquando, & est indicium summæ cruditatis, summæq; imbecillitatis. turbidæ aliquando apparent ex maxima ebullitio ne, fiuntque similes lotio iumentorum. quandoq; sunt liuidi coloris (hocque sæpè in his febribus contingere solet) plumbiq; colorem referunt, & tunc sunt signum vel extinctionis caloris, vel maximę humorum adustionis. quandoq; sunt nigrę, & hæ vltimam indicant perniciem, habentes eandem cum liuidis, sed deteriorem, causam. nonnunquam sunt fętidæ, & hoc ex maxima corruptione, & putredine. quandoq; oleosæ vel substantia, vel colore oleū referē tes, & hoc ratione colliquationis. quandoq; admodū spumosæ, & hoc ratione crudorum spirituum in materia tenaci ex multa ebullitione genitorum. & vt in summa dicam, omne lotij

Lotium quale possit esse in febre pestilenti.

locij prauum, & detestabile genus potest in hac contingere febre, sed ex diuersis, vt notaui, causis. Quandoque autem vrinæ in hac febre nullam, vel minimam in se prauitatē continent, suntq; quàm simillimę vrinis sanorum, & hoc ex leui euenit putredine, quæ in humoribus peccantibus reperitur; non autem ex timore naturæ non audentis, vel ex eiusdem otio, non agentis supra materiam peccantem, vnde non fiat pugna; quoniam natura nec à consilio, nec ex intentione, sed necessariò semper agit, ex proportioneq; materiæ semper propriam, quam potest, edit actionem. Quapropter à lotio in febre pestilenti nullum erit determinatum signum, nihilq; certi ab hoc habere poterimus, cum omnia bona, malaq; simul lotia febrem hanc cõcomitari posſint, quò febrem aliquam esse pestilentem demõstrare valeamus. Cur autem febres pestilentes à lotio nullũ habeant determinatum signum, curq; omnia vrinæ genera febrē hanc concomitari posſint, ita explicandũ à nobis erit. Febris pestilens, vt sæpius diximus, duo habet præcipua; alterũ est pernitiosa, & venenata qualitas, alterũ est putredo, quà pestilens, à praua illa pendet qualitate. quà autem febris à putredinē, praua illa qualitas in nullo consistit temperamēto, nec ab vlla sensibili qualitate, sed ab intima tantùm rei substantia prouenit. sicutq; venenũ non colore, non sapore, non odore, nec alia manifesta qualitate, sed sola experientia (quoniam non ratione primarum, nec aliarum, quæ sensibus subiacent, qualitatum agit) cognoscimus; pariter praua illa, & pernitiosa, quæ in humore in febribus pestilẽtibus putrescẽte insidet, natura nulla alia potest via, quàm ex lęsione ipsa dignosci, nullumq; aliud profert in corpore humano signum: quoniam nec ratione temperamenti, nec ratione alicuius sensibilis qualitatis suam profert actionem, quæ actio à sola rei ipsius intima pendet substantia hincq; euenit, necessarioq; cõsequitur, quòd lotium supra malam hanc, & prauam qualitatem nullo pa-

Lotium quare in febre pestilenti aliquãdo vel nullam subeat, vel minimam mutationem.

Febris pestilentis cur nullum signum sit à lotio.



cto posſit eſſe neceſſarium,& proprium indicium. quoniam ſicuti hæc nulla ſenſibili agit qualitate, ſed à ſola rei proprietate, & ſubſtantia; ita nullum aliud poſsit ſenſibile edere ſignum præter læſionem ipſam, qua vires, & præcipuè vitales labefactantur. ſicutq; ſupra venenum, quod à propria agat ſubſtantia, aſſumptum, lotium nihil indicare poteſt; quoniam hoc ratione antipathiæ,& non qualitatum ſenſibilium agit; ita in febre iſta à lotio nihil certi affirmari poteſt; quoniam materia in huiuſmodi febre peccans naturam veneni, eiuſque efficaciam, modumq; agendi repræſentans, in vrinam determinatam non poteſt inuehere mutationem, qua ipſa vrina propriè ſit febris peſtilentis certum indicium. quare concludatur nec lotium in febre peſtilenti à praua qualitate vllam mutationem pati, nec ſupra eandem aliquid certò atteſtari poſſe. Alterum, quod in febre peſtilenti adeſſe diximus, eſt putredo. putredo autem cum ſit humorum, humorum verò differentias, & qualitates in corpore noſtro exiſtentium cum vrina ipſa demonſtrare poſsit, quoniam & ab his deciditur, eorumque varietates, & paſsiones repræſentant, ideò lotium ſupra hanc alteram febris peſtilentis qualitatem quid certi atteſtari poterit. quoniam autem humores in hac febre peccantes, non vnius ſunt generis, & quoniam eorundem putredo non eſt vniformis, ideò nec lotium in hac febre vnius tantùm poteſt eſſe ſpeciei, ſed diuerſum, prout & diuerſi peccabunt humores, & prout putredo varia ſuccedet: hincque euenit, vt in hac febre lotia modò ſint tenuia, modò craſſa,& turbida, modò alba, modò crocea, modò flammea, modò rubicunda, modò liuida, modò nigra, modò fætida, & modò etiam laudabilia, vt aliquando ſimilia admodum lotio eorum, qui inculpata degunt ſanitate, videantur: quod non ex alia prouenit cauſa, quàm ex diuerſitate humorum peccantium, & ex diuerſitate putredinis. quapropter lotia in febre peſtilenti apparentia

Lotium in febre peſtilenti quòd indicari poſsit.

parentia non supra malam qualitatem, sed supra humores, & putredinis modum aliquid indicabunt. sicutq; prauã illã qualitatẽ à sola virtutum læsione (quæ ex proprijs, vt iam declarauimus, dignoscitur signis) cognoscimus; ita qui peccent humores, qualisq; sit eorundem putredo, à lotio habebimus. De huius in hac perniciosa febre ad malum permutatione nullus adhuc dubitauit, cum pro cõfesso habeatur, omnia mala hanc febrem concomitari posse. sed vnicum remanet, quod viros excellentissimos in maximos traxit errores, scrupulũ de lotio, Videlicet. cur in hac febre vrina laudabilis quãdoq; appareat, curq; sit admodũ sanorum lotio similis, tendentibus tamen ad mortẽ ęgrotantibus ipsis, nihilq; securitatis portẽdẽtibus coctionis signis. Hoc scrupulum ita tollendum est. cum valida est putredo in humoribus, necessariò immutatur lotium, pro rationeq; putredinis ita diuersum prodit: vnde modò vnam habet, modò alterã speciem. si autem leuis sit putredo, nõ necessariò immutatio in vrina sequitur, sed quandoq; nullam videtur subire, vel saltem minimam mutationem. Vnde in puris tertianis, quæ dubio procul à putrescentibus oriuntur humoribus, vbi leuis est putredo, lotium sanorum lotio simillimũ sæpè videmus, & à prima accessione vsq; ad tertiã, nisi intercedat error, vrina sæpe apparet admodum laudabilis. hoc idem animaduerti in alijs cõtingere putridis, dum vel ratione humorum, vel ratione rectæ curationis non valida, nec intensa subsequeretur putredo. Quod idem dum in febre euenit pestilenti, non necessariò sequitur vrinæ sensibilis immutatio, sed in eodẽ ferè statu permanet; vt parum absit à sanorum lotio, illiq; quàm simillima appareat. & hoc quoniam ratione putredinis non est facta in vrina notabilis conturbatio, nec tãta facta est humorum agitatio, vt ab his ad alienam possit lotium alterari qualitatem. cum hac autem leui putredine potest valida consociati praua, & maligna qualitas, sicuti iam inter differentias huiusce febris asseruimus, ratione

Lotiũ in febre pestilenti quare aliquãdo sit sanorum lotio similis, et tamẽ ægri tendãt ad mortem.



ratione cuius perniciosæ qualitatis obrutæ,& cõcussæ virtutes oẽs,pręcipuò autẽ vitales,concidunt, vnde mors postea facilè subsequitur. hiq; non ratione putredinis, quæ minima est; sed ratione prauæ qualitatis, quæ admodum viget, pereunt. Nec mirum sit in febribus pestilentibus ægrotantes aliquando magis ex maligna periclitari qualitate,quàm ex putredine: tum quoniam magis à natura nostra dissidet praua illa qualitas, quàm putredo: tum etiam quoniam materiæ consimiles, quæ prauam adeptæ sunt qualitatem, sæpè absque vlla putredine homines in mortem pręcipites ducunt, veneni efficaciam æquantes. Quapropter cum in febre pestilenti(vt iam dictũ est)duo sint; alterum putredo, alterum praua qualitas, ab hisque duobus ęgrotanti mortis immineat periculum,non mirum sit, lotio leuem putredinem attestante, coctionemq; præseferente, ægrum à perniciosa necari qualitate. cum enim hæc necessariò non includat putredinem, nec putredo malam qualitatem,non tantùm poterit aliquando vtraq; simul esse pariter intensa,vel remissa, sed quandoq; poterit esse putredo ingens; minima autem illa perniciosa qualitas, & è conuersò poterit illa qualitas maligna validissima esse, leuissima existente putredine, in hocq; casu periculum mortis à praua qualitate, in altero autem à putredine magis imminebit. Hanc sententiam experientia confirmat. Curantur quandoque febres aliquæ pestilentes, quæ (sicuti pluries animaduertimus) à principio inuadentes à diuersis,prauisque symptomatibus concomitantur, cuiuscemodi sunt dolor capitis, ventriculi, dorsi, sitis inexhausta, inquietudo maxima, calor vehemens, vigilię, colliquationes, & cętera huiuscemodi symptomata, simulq; cum his adest lotium turbidum, crassum, & rubicundum, vel alterius praui coloris. quæ febres, dũ ex parte opportunis tractãtur remedijs,solent vel in septima,vel in nona, vel in altera critica die mitescere,quiescẽtibusq; pręditis omnibus prauis symptomati-

In feb. pestilentiali aliquãdo ægrotãtes magis periclitantur ex praua qualitate,quã ex putredine.

ptomatibus, ſuccedunt lotia boni coloris, ſubſtantiæ laudabilis,& quæ coctionē manifeſtam præſeferant, & tamen paucis poſt diebus, dū omnia ſilent mala, dunq; ſecuritatē, & ſalutē portendit lotium, ęgrotantes vitā cum morte commutāt;hoc nō alia euenit ratione, quàm quoniā,licèt euicta ſit putredo,vt lotiū,infallibile coctionis,vel cruditatis ſignū vtque terminatio prauorum ſymptomatum atteſtatur, non tn̄ ſuperata eſt pernicioſa illa qualitas,cuius ratione iam fatigata natura in domanda putredine,vires ex nō correcta malignitate facilè concidunt, vnde mors ægrotantis ſubſequitur.Hique, dū pereunt,nō vi putredinis,quæ iam euicta eſt (aliàs in declinatione vniuerſali ſparſa exiſtente materia mors ſuccedere poſſet)ſed ex pernicioſæ qualitatis violētia adhuc indomita,& vigente extinguuntur. Nā dum à prima huiuſce febris inuaſione ægrotantes tot prauis conflictantur ſymptomatibus,hæc vi putredinis(cuius iſta ſunt ſoboles,& effectus proprij) patiuntur,non autē à praua hęc pendēt qualitate,cuius operationes nō mediāte ſenſibili alteratione,ſed p ſolos effectus patefiunt:ab hac.n.facultates oēs, & pręcipuè vitales,nulla pręſente ſenſibili alteratione, labefactātur, huiusq; eſt opus propriū earū virtutū debilitas,ſicuti putredinis iā enarrata ſymptomata. vnde correcta putredine hæc quieſcunt,lotiumq; coctionem atteſtatur: at pernicioſa,& maligna nō ſuperata qualitate, vires eædem extinguuntur, à quarum concidentia mors poſtea ineuitabiliter ſuccedit. Quapropter cum hæc duo,videlicet, mala qualitas,& putredo febrē conſtituant peſtilentem, cumq; altera intendi cum alterius remiſſione poſſit, non ſit mirum ſi vel domita,vel leui exiſtente putredine,in febre peſtilenti aliquando lotium laudabile adeò appareat,vt parum à ſanorū vrina abeſſe videatur. quod licèt ſalutem ratione præmonſtratæ coctionis portendat, tamen in hac febre inſidū eſt ſignū;quoniam nihil ſupra pernicioſam,& prauam qualitatē, cuius violentia ſæpe necantur ægrotantes, atteſtatur. Hinc

Lotiū in febre peſtilenti quare ſit inſidum ſignum.

autem eorum pateat error, qui dum in febre pestilenti lotiū vident laudabile, simileq; sanorum lotio, iudicant febrem eam pestilentem, non putridam, sed hecticam esse. in solaq; hectica tale apparere posse lotium affirmant; cum in hac, nō in humoribus, super quos attestatur lotium, peccatum sit, sed in ipsa solida cordis substantia febris insideat, in eadem putredinoso fixo existente calore. à qua cordis substātia cum nihil excidatur in febre, nec per excrementa, propriam patefacere posse læsionem, dicunt. Sed hæc sententia nequaquam recipienda venit. si enim tale lotium pestilentem hecticā attestaretur, procul dubio ex huiuscemodi omnes perirent febre. cum enim ex simplici confirmata hectica omnes moriantur, quis recepta in substantia cordis putredine, & praua illa qualitate, posset salutem sperare? at falsum est omnes eas febres pestilentes (in quibus putredinis vestigium nullum vel ex lotio, vel ex alijs apparet) in mortem terminare. immo testor ego inter febres pestilentes eas præcipuè, in quibus sola præualet maligna qualitas, nullumq; vel minimum putredinis adest indicium, (quæ tamen ab his hecticæ necessariò iudicantur) facilè sanari, hasque inter omnes, si recta, non autem mala (vt consueuerunt multi hanc exercentes artem) ratione tractentur, facilem præcipuè recipere curationem. immo paucissimi ex his, qui tali laborant febre, pereunt, & non sine ratione; in hac enim febre sola viget praua qualitas, at in cæteris vltra malignitatem additur & putredo maior, pro cuius ratione maius etiam impendet ægrotanti periculum, & medico in medendo discrimen. longè enim difficilius est cum duobus, quàm cum vnico pugnare inimico. Vnde cū in illis pestilentibus febribus, in quibus vigeat putredo, duo naturæ validè aduersentur; in eis autem, in quibus vel domita, vel leuis est putredo, vnica resistat mala qualitas, hæ multò facilius, quàm illæ, curationem recipient, in hisq; magis, quàm in illis, ægrotantes salutem sperare poterunt.

multò enim facilius, dum à putredine non concomitatur, superari potest illa mala qualitas, quàm si eadem eidem cõiuncta foret putredini. talesq; febres præcipuè mites apparent, & sępè ægrotantes, astantésq;, & medicos nõnunquã eludunt; quoniam non præsente valida humorum putredine, praua non subsequuntur symptomata, indeque ęgrotãtes non anguntur, nec cruciantur; ideoq; & sibiipsis, & cęteris, dum benè se habere existimant, imponunt, cum tamen à praua, & perniciosa illa qualitate vires omnes, & præcipuè vitales, labefactentur; nisiq; hi ab excellenti, expertoq; curentur medico, etiam sensim nulla sensibili, & dolorosa alteratione extinguuntur. Hic autem animaduertatur, dum diximus, inter febres pestilentes eas mites, benignasq; apparere, in quibus, quoniam vel leuis, vel domita est putredo, nulla subsequantur molesta symptomata, quòd non omnis febris pestilens, quæ mitis videatur ratione leuis, vel domitæ putredinis talis apparet. sed alij dantur casus, in quibus ingens viget putredo, multaq; adest humorum prauitas, & tamen ęgrotantes bellè habere videntur, vel cum non febricitent, vel perparum, videturq; morbus in totum benignus, cum tamen in totum sit exitialis. hoc euenit, cum natiuus calor nõ ob timorem, quoniam natura nihil à consilio agit, sed præ imbecillitate à concoctione abstinet. vbi enim à praua, & perniciosa qualitate vires admodum debilitantur, natura imbecillis facta coctionem materiæ non aggreditur, humoremq;, qui morbum excitauit, non attingit. vnde non tẽtata coctione, nec labor sequitur, febrisq; vel nulla, vel minima est. idemq; euenit, quod in exterioribus, in quibus, dum partes à praua tentantur fluxione, natura præ infirmitate humoris morbum excitantis coctionem non attingit. vnde cum dolores, & febres in saniei generatione contingãt, pariterq; in humorum coctione, non tentante coctionem natura, nec labor, nec dolor sequitur, febrisq; vel minima, vel nulla succedit.

Febres pestilẽtes, quæ mites videntur, quare tales sint.

cedit. hoc ſæpe in febre euenit peſtilenti, vbi cuiſcta natura, præ infirmitateq; impotens, coctionem materiæ peccantis non aggreditur. hincque in hac omnia praua. dum enim coctio tentatur, iſta eueniunt, quieſcunt ſymptomata, omniaq; ſilent mala, vt ægri interim ſe bene habere fateantur, & tamen hoc eſt indicium certiſsimum non profligati morbi, in quo ſuffocatur, extinguiturq; calor innatus. hicque eſt ſolus caſus, in quo pulſus ſanorum pulſui ſimilis apparet; quoniam in tali caſu contingit aliquando, ægrotātes (vt in Hermocrate viſum eſt) non febricitare, vel ſaltem minimam pati febrem. Vnde cum vel leuiſsima, vel nulla in hoc caſu poſsit adeſſe febris, minima ſequitur pulſus immutatio, videnturque omninò ſimiles ſanorum pulſui. ſimiles dixi; quoniam ſemper aliqua adeſt differentia præter naturam, nunquamq; in totum ſunt naturales. & qui rem optimè perpēdēt, ſemper aliquā animaduertent in febre peſtilenti pulſus frequentiam. quæ tamen in caſu iſto minima erit; quoniam febris ferè nulla concomitatur. hinc igitur euenit, vt febres peſtilentes aliquando aſpectu mites & ſalubres, cum tamen lethales ſint, appareant, vtque ſimul ſalubria habeant ſigna, quæ tamen nullam ſecuritatem certò promittere poſſunt.

In quibus feb. peſtilentib. pulſus ſit ſimilis ſanorū pulſui.

Lib. 3. Epiſt. ſect. 1. com. 8.

De ſignis febris peſtilentis ſumptis à ſymptomatibus. *Cap. XVII.*

SVccedit tertiū ſignorum genus à ſymptomatibus ſumptum, quod in triplici reperitur diſcrimine; aliud enim ab affectionibus immutatis, aliud ab excretis, vel retētis immodicè, ſeu præter naturam; aliud ab actione læſa capitur. Ab affectionibus immutatis primū ſymptomatum febrem peſtilentem atteſtantium genus ſumitur, dum qualitates ſenſibiles immutantur. Vnde à viſibilibus ſignum huiuſce febris habetur, dum color ęgrotantis, pręcipuè autē in facie eryſipellatoſus apparet, vel herpetibus depaſcentibus

Simptomata ab affectionibus immutatis cōſequētia feb. peſti. enim.

tibus est cõsimilis, qui à valida prouenit putredine, vel est rubicundus ex sanguinis abundantia, vel flauus ex bilis copia, seu ex maxima exustione, vel liuidus à caloris concentratione, seu extinctione, vel niger ex superflua adustione, aut mortificatione, qui ijdẽ colores vltra faciem sunt in lingua inspiciendi; nam vbi hæc nigra est, acutam, & validam indicat febrem, magnumq; intus adesse incendium (nisi melancholicus, à quo nigro tingatur colore lingua, abundet circa viscera humor) attestatur. vbi flaua, multam adesse flammam etiam indicat, sed non tantam, quantam nigra demonstrat. vbi rubea, minus attestatur malum. Ab audibilibus autem potest esse signum vox immutata, tremula, parua, quæ ex spiritalium instrumentorum, quæ in tali febrium genere sæpius labefactantur, prouenit læsione. suspiria etiam crebra, quæ à graui cordis offensa originem habent. Ab olfactilibus maximum est indicium, si fœtidũ expirent, vel si fœtidum sudent, vel si etiam malè totum oleat corpus; quoniam hoc maximæ, vel confirmatæ corruptionis, ac putredinis est signum. A gustabilibus potest indicium sumi, si febricitantes putridum aut cibando, aut non cibando in ore percipiunt saporem: quod ab imbibitis in ventriculi substantia corruptis humoribus causatur, vel ab eisdem circa viscera decumbentibus, à quibus ad superiora halitus euaporet fœtidus, qui palatum, & linguam inficiens imaginem corrupti, & fœtidi alimenti prębet, generatur. A tactibilibus præcipuum sumitur indicium, si percipiatur calor ægrotantis putredinosus, idest, qui rei putrescentis calori assimilatur. qui calor nec verbo, nec scriptura, sed sola experientia dignosci potest. si etiam caro vel frigida, vel subfrigida, vel saltem tepida, febre valida existẽte, percipiatur; firmissimum poterit esse indicium malignæ febris. si etiam lingua aspera, dura, contractaue sentiatur, hoc idem aliquando potest indicare, cum hoc à multa, & mala in internis partibus existente flamma causetur. Secundum

dum signorũ genus à symptomatibus sumptum capitur ab his, quæ vel à corpore excernuntur, vel in eo præter naturam detinẽtur. Hæc autem in triplici sunt differentia; alia enim tota substantia, alia qualitatibus, alia quantitatibus à naturali statu egressa sunt. A primis coniecturam febris pestilentis habere possumus, dum sanguis, cuius excretio tota substãtia est prꝗter naturã, sincerus stillat è naribus. stillatio enim sanguinis è naribus semper malũ portendit, & præcipuè, vbi sincerus appareat sincerus autẽ dicitur ille, qui nec humiditatem ad mixtam habet, & qui niger est. hoc autem contingit, dum maxima existente adustione, natura vel à copia, vel à praua stimulata qualitate sanguinem peccantem tentat excernere. mensium etiam stillatio in mulieribus, & præcipuè, si à principio morbi contingant, sanguisq; sincerus sit, hoc idem attestari potest. quod idem hęmorrohidum similis fluxio potest affirmare, cum ab eadem posit prouenire causa. sanguinis etiam per aluum euacuatio aliquandò febres has perniciosas concomitari solet. talis autem sanguis non tantùm totà substantia, sed etiam qualitate alienus à natura est; nam sanguis iste vel niger est, vel fuscus, vel pallorem quendam, vel virorem etiam habet, aliquandoq; fœtidus est, aliquãdo odorẽ inexplicabilem, & aliquando nullum habet. substantiæ quandoq; est crassioris, quandoq; tenuioris, aliquãdoq; in maxima educitur copia, vt ego viderim nonnunquã ad tres, & quattuor ascendisse, & emanasse libras. hicq; sanguis duplici solet ratione in his febribus excerni, aliàs quidem decretoriè, aliàs autem tabescentiæ, seu liquationis more. hæcque sanguinis euacuatio non ab hęmorrhoidibus internis, vt malè multi indicarunt, sed à superioribus venis, aliquandoq; ab ipso iecore, vt commixtio cum excrementis alui maxima demonstrat, coloresq; diuersi, qui non tantùm à propria sanguinis substantia, sed etiam à longo, per quem fluit, ductu causantur. talis autem sanguinis fluxus generatur, dum natura vel potens

Symptomata ab excretis, vel retẽtis præter naturã consequentia feb. pestilentem.

Sanguinis stillatio qualis.

Sanguinis euacuatio quæ, et qualis in feb. pestilenti.

tens morbum euincit, vel dum stimulata à praua sanguinis qualitate excretionem tentat peccantis materiei, vel dum colliquatione humorum, & partium etiam aliquando solidarum, seu à perniciosa qualitate, seu ab intensa putredine genita humores ipsi acrimonia acquisita sibi ipsis vias ad exitũ recludunt, nihil operante natura ad eorum ornatum ob eorundem prauitatem, & ob eiusdem receptionis ineptitudinem. A secundis indicium febris pestilentis habere possumus, dum excrementa, quæcunq; sint, prauis qualitatibus prædita sunt, vnde colores nigri, liuidi, virides, fusci, cæteriq; consimiles, siue cum lotio, siue cum alui excrementis, siue cum vomitibus possunt febrem hanc aliquando attestari. similiter etiam fœtores, & mali odores in eisdem excrementis aliquam febris huiusce coniecturam facere possunt. præcipue autem si vel lotium, vel ea, quæ euomuntur (& hoc magis prauitatẽ febris confirmat) fœtida sunt. quod idem indicare possunt sudores fœtidi. hæcq; omnia, vt de sanguine dictũ est, vel decretoriè, vel tabescẽtiæ more euenire possunt; ista autẽ, quę vel prauum odorem, vel malũ colorem acceperunt, talia facta sunt, vel ob excessum qualitatum, vel ob putredinem insignem, vel ob prauã qualitatem, propter quam omnem materia naturę fugit ornatum.

Excrementorũ qualitates in feb. pestilentibus contingentes.

Vltra odorẽ, & colorẽ solet in excremẽtis alui altera adesse qualitatũ immutatio, admodum febri pestilẽti familiaris, dũ exigua, glutinosa, leuiaq; excernuntur, quæ modò album, modò pallidum, modò subcroceum, modò subuiridem, modò flauũ referunt colorẽ, talisq; euacuatio à Græcis Syntexis, à nostris colliquatio dicitur: quæ licèt febribus ardentibus, dũ calore intenso humores, & corpus torrent, aliquãdo eueniat, vt plurimũ tñ in febre cõtingit pestilẽti. Talis autẽ deiectio nõ tenuis, & aquosa est, sed corpulenta, ob consumptos ichores. exigua, quoniã hic minimè adest alui fluxus superfluus. glutinosa, propter caliditatem materiei prædominantem, vnde fit lenta, leuis, non aspera, nec inæqualis

Colliquatio in feb. pestilenti vnde causetur & eius differẽtia.

propter

propter vehementem consumptionem, vnde tota materia æqualem passa est alteratione, nec eius pars vlla imperpes sa superest. alba est, dum pinguedo tantùm ab igneo calore, non tamen admodum maligno, absumitur. subcrocea existit, dum pinguedo vel à caliditate vehemẽtiore patitur, vel ipsa semiputris est. subuiridis autem apparet propter bilis rubiginosæ consumptionem. flaua autem est, dum colliquatio à vehementiori fit calore, vnde colliquatur caro mollis, vel materia aliqua, quæ iam prauam adepta est qualitatem, qualis est pinguedo vetusta, & semiputris. Hæ autem deiectiones in hisce febribus vt plurimum solent esse fœtidæ, & graueolentes ob putredinem ingentem; aliquando tamen parum quid redolent, & sæpe ego animaduerti in nõnullis febribus pestilentibus, admodũq; malignis, tales deiectiones non tantũ non fœtidi, sed nec etiã vllius ferè esse odoris, & hoc precipuè, dum essent albidiores. Tales deiectiões colliquefactiuę nõ in omni febriũ pestilẽtũ eueniunt genere, sed in his tãtùm, in quibus calor putridus, putredoq; ipsa admodum viget, & dominatur. In quibus etiam febribus euenire solent sudores admodũ copiosi, qui non ab excretione ichorosę partis, sed à colliquatione, vel humorum, vel pinguedinis, vel carnis, & partium solidarum causantur, dum colliquatio illa non per aluum transmittitur, sed in halitus resoluitur, ad cutimq; transfertur, & tunc multi, & copiosi contingunt sudores, talesq; sudores sæpe graueolentes esse consueuerunt, vbi maligna adsit colliquatio. ab eadẽ autem causa solet aliquando (colliquatis nõ pinguedine, & carne, vel alijs solidis partibus, sed tantũ humoribus ipsis in venis existentibus, dum colliquata materia nec ad uentrem, nec ad cutim trãsfertur) lotij multitudo maxima apparere, vbi renes valida vi polleant attractrice. cuius si oppositum contingat, videlicet, quòd renes nec sint sani, nec serosam possint attrahere materiam, subitaneos hydropum status inducunt. retenta enim hæc materia, ad abdomẽq;

Sudoris in feb. pestilenti contingentis differentiæ, et causæ.

mēq; decumbens, affectum Asciti consimilem generat: si au tem validè attrahant renes, tanta multitudo lotij emergit, vt viderim ego semel in nobili ęgrotante per spatium quinque horarum lotium colore venetum, odore fœtidum, ad libras plusquam viginti excretum, indeq; ægrū sæpius in syncopem incidisse, subitoq; adeo emaciatū, vt videretur, non per quatuor dies, sed per quatuor menses, ægrotasse: qui cū inde similis ferè in totum sceleto factus fuerit, nocte sequente conuulsus expirauit. A tertiis coniecturam febris pestilentis habere possumus, si lotium, quale sępius notaui, in nimia exeat quantitate: quod non aliunde euenit, quàm ex humorum in venis existentium colliquatione. similiter intempestiui, & superflui sudores, frigidi præcipuè, possunt malignam attestari febrem. hi enim sæpe diaphoritice euacuantur, indicantque colliquari substantias solidas, quæ cum in habitum resoluuntur, dum ad cutim transferūtur, in sudores superfluos immutātur. sudores autē hi aliquādo sunt vniuersales in toto corpore, & tales viriū omnimodam prostrationem portendunt, aliquando autem tantum circa frontem, quandoq; verò & circa frontem, & collum, nonnunquam etiam & vltra frontem, & collum in thorace solum apparent, hique siuè calidi, siuè frigidi sint, deteriores tamen sunt frigidi, extinctionem enim caloris indicant, semper malum prognosticantur. fiunt enim hi, dū natura maximè laborat, à prauaq; affligitur qualitate. vnde vt plurimum in pestilentibus febribus tales consueuerunt sudores apparere. omnis etiam humoris superflua per aluū potest hanc febrem concomitari euacuatio, vt bilis vtriusq;, vel pituitę, vel sanguinis; & hoc cōtingit, vel dum natura imbecilli facta, à retentrice nōn continētur humores facultate, vel dum à copia, aut praua stimulata qualitate excretrix facultas præualet, vnde supra modū educuntur, & hinc sæpè febribus istis coniunguntur lienterię, diarrheæ, dysenteriæ, & tenasmi. Fiunt etiam in hac febre vomitus, cuiuscunque

Excretionum quantitate peccātium in feb. pestilenti differentia, & causa.

sint

fint humoris, & materiei, superflui, & hoc, dū à praua qualitate, & copia stimulatus ventriculus alleuiationem humorum eò decumbentium per vomitum tentat. Mensium etiā perfluuiū aliquando vidi concomitari febrem pestilentem, cum natura non potest regere sanguinem prauū, pessimaq; infectum qualitate. sicut autem omnis superflua euacuatio potest huic febri annecti; ita omnis (cuiuscunq; sit excrementi) suppressio potest consimiliter huic adiungi febri, vnde sæpe vltra alui, mensium, sudoris suppressionem, solet lotij retentio apparere, quæ inter omnes suppressiones omniū est pessima. nam hæc à deteriori, quam illæ, prouenit causa, & minus artificij, quàm illæ, ad eius prouocationem admittit. Tertium signorum genus à symptomatibus, quæ febrem pestilentem aliquando concomitari solent, sumitur ab actione læsa. actiones autem triplices sunt, aliæ animales, aliæ vitales, aliæ naturales. Animales in triplici sunt discrimine, quædam enim sunt sensitiuæ, quædam motiuæ, quædam rectrices. Vnde inter læsiones actionum sensitiuarum, prima, quę solet consequi, est gustatus infectio, aliàs enim debilitatur, vt vix quid gustare queant, aliàs deprauatur, vt omnia assumpta praui saporis, corruptaq; ipsis videantur; aliàs autem abolentur, vt nihil saporis persentiant, & hoc vel à praua illa qualitate inficiente gustus instrumenta, vel à vaporibus putridis eadem petentibus prouenit.

Symptomata febris pestilentis sumpta ab actione læsa.

Symptomata sūpta ab actione gustus læsa.

In actione autem tactus in febre pestilenti sæpè consequi consueuit maxima eius deprauatio, dum extremæ partes, extimæq; vel subfrigidæ sunt, vel omnino frigidæ, ipsi tamen in eisdem magnum persentiunt calorem, aliquandoq; tantùm, vt nec valde subtilium vestimentorum, nec linteolorum velamenta, nihilque aliud, præter nuditatem, ferre possint. Ad tactum referuntur etiam omnia dolorum genera, cuiuscunq; sint partis, vnde inter læsiones tactus recēsebimus dolores, qui præcipuè concomitari solent hoc genus febris, hi autem sunt præcipuè cordis dolores; quoniam

Sympt. sūpta ab actione. tactus læsa.

in hoc

in hoc principalis fit à praua qualitate læsio ventriculi, qui vel à praua qualitate, vel à malis vaporibus, vel à materia putrida eò decumbente generantur. aliquando etiã capitis, eò transmissis prauis vaporibus, ceteræ autẽ partes dolere possunt, sed nõ ea ratione, qua fiat dolor ratione febris malignæ, nisi fuerit febris symptomatica à loco affecto: in vniuerso tamen corpore, præcipuè autem in mẽbris exterioribus, sicuti circa brachia, humeros, coxas, crura solet adesse dolor quidam admodum molestus, similis ei, qui lassitudine vl cerosa causatur, tuncq; sibi videntur ægri habere membra, ac si praua contusione affecta essent, quod à materia acri, & mala putrescente, partesq; illas sensitiuas petente, & non in halitum dispersa causatur. sæpeque affectio ista in principio febris pestilentis apparere solet. In auditu autem solent cõtingere tinnitus, obauditiones, & surditates, quæ solent esse inter principalia, & præcipua febris pestilentis signa. rari enim sunt, qui hac laborent febre, qui non patiantur ista, & hoc à vaporibus spirituosis, & flatuosis à materia putrescente ad caput eleuatis. In odoratu aliquando euenit, vt vel ex toto odoratum amittant, vel fœtidum semper odorare videantur, quod vel ab ingenti corruptione, vel a praua qualitate, vel à virtutum extinctione euenire solet. In visu rarò offenduntur, tamen cum malè habent, hoc solet ferè perpetuum esse, vt à lumine lædantur, lucemq; aufugiant, & hoc, cũ vires admodum labefactatæ sunt: spiritibus enim exinanitis oculi lucem non tolerant. & hæc de læsionibus sensibilium actionũ. Ad quas vltra prædicta symptomata duo alia, quæ circa primum sensorium, quod est omnium commune, consistunt, reducuntur; quorum alterum est vigilia, alterum sopor, quæ sæpe febrem pestilentem concomitari solent: vigilia quidem, dum à praua eleuantur materia vapores acres, qui petentes cerebrum, vellicant membranas, eiusque humiditates consumunt. sopor autem, dum frigidi vapores, & praui madefaciunt cerebrum, simulque spiritus resoluunt

Symptomata sumpta ab actione auditus læsa.

Sympt. sũpta ab actione odoratus læsa.

Symp. sumpta ab actione visus læsa.

Sympt. feb. pestilentis circa primum sensorium.

resoluũt animales.cui simile solet euenire symptoma admodum periculosum, dum extinctis,vel imminutis à praua qualitate spiritibus, & viribus labefactatis in somnum profundum videntur febricitantes admodum propensi, quæ affectio non somnus est, sed vigilandi impotentia. & hæc de symptomatibus contingentibus in facultate sensitiua. In motiua autem pauca eueniunt febrem pestilentem consequentia, inter quæ potissimum habet locum (& hoc maximè in principio morbi) inquietudo ingens, stimulata virtute à praua qualitate, & a materia putrescente. solet etiam frequens oscitatio, & pandiculatio aliquando coniungi cum hac febre, vbi transmissis spiritibus flatuosis vel ad maxillas, vel ad cætera membra, tentat natura eorum discussionem. rarò his additur vel tremor, vel rigor, nisi febris sit ex interpollatis. tussis solet aliquando adesse, vbi additur aliqua distillatio. generalis autē ferè omnibus est prauus affectus in virtute motiua thoracis, scilicet, anhelitus diminutio. omnes enim hac febre laborantes ob vires imminutas, & necessitatem præsentem vt plurimum habere consueuerunt anhelitum frequentem,& paruum; paruum ob imbecillitatem, frequentem autem ob necessitatem; vbi enim est febris, ibi semper aucta est necessitas. Inter rectricium autem facultatum symptomata hæc quandoq; solent concomitari febrem pestilentem, videlicet, deliria varia vel læsa imaginatione, vel cogitatione, & hæc vel à praua qualitate, vel à vaporibus putridis, vel à materia maligna illuc transmissa: hæc autē deliria aliquando leuia sunt, aliquando sæua, aliquando mediocria. quod tum ex diuersitate, & potentia causarum prouenit, tum etiam ab humorum peccantium differētia. prout enim hic magis, vel minus calidus, & minus, vel magis acris; ita etiam diuersa prodeunt delirij genera. In hac febre etiam memoria aliquando torpet, aliquando aboletur: vnde visi sunt aliqui, qui ex hac febre sanati præteritorũ nihil meminere. aliquando

Sympt. sũpta ab actione læsa virtutis motiuæ.

Sympt. sũta p ab actione læsa virtutum rectricium.

do etiam deprauatur, & hinc aliud delirij genus. quæ omnia a prædictis, vel consimilibus proueniunt causis. Et hæc de symptomatibus consequentibus à læsione actionum facultatis animalis. symptomata autem, quæ hanc febrem concomitantia sumuntur ab actione læsa virtutis vitalis, sunt cordis debilitas, tremor, palpitatio, & eiusdem dolor, ac suspiria crebra, & his consimilia, quæ cor vel à mala lædi qualitate, vel à prauis affligi humoribus attestantur. ad quæ consequitur necessariò pulsus immutatio, de qua satis abundè iam dictum est. Quæ autem ab actione læsa virtutis naturalis sumuntur, vnde febrem pestilentem coniectare posśimus, sunt nausea inanis sæpe causata à praua qualitate, & non à materia ventriculū lædente. vomitus cibi, & quandoque etiam malorum humorum, & præcipuè corruptorum, & fœtidorum eò decumbentium, frequens singultus, qui sępius in huiuscemodi febre non a materia, sed à sola generatur maligna qualitate. oris ventriculi, prauæ indispositiones, & aliquando tanta appetitus prostratio, vt malint ægrotantes mori, quā comedere. additur aliquandò sit inexhausta, vbi putrescant humores calidi, qui obsederint ventriculi vel cauitatem, vel substantiam, vel circunstantes partes. quòd si in his locis nō sit materia peccans, sitis non adeò erit molęsta, & solo potu leniri poterit aliquando. at prior non ex potu, sed ex euacuatione, vel contemperamento tollitur. quādoq; autē nulla est sitis, lingua tamen arida, & siccata existēte, & hoc cū vis naturalis à perniciosa extinguitur facultate.

Sympt. sūpta à læsa actione virtutis vitalis.

Sympt. sūpta ab actione læsa virtutis naturalis.

De Signis febris Pestilentis sumptis à superuenientibus affectibus. Cap. XVIII.

QVartum signorū genus a superuenientibus affectibus sumptum declarandum succedit, quod licèt plurima comprehendat mala, tamen nō omnia recensenda veniunt, sed affectus illi præter naturam tantùm, qui vel sæpisśimè

cum febre pestilenti apparent, vel qui rarissimè sine hac febre videntur, sunt enumerandi. inter quos primum habent locum exanthemata ipsa, à nostris papulę dicta, quę dū apparent, rarò sine febre pestilēti inuenies. hęc autem tū colore, tum magnitudine, tum modo, tum fine, tum numero inter se differunt. Colore quidem; quoniā alba alia sunt à sanguine pituoso, alia rubra à puriori sanguine, alia flaua à bile, alia punicea ab exusta bile, alia liuida vel à maxima exustione, vel mortificatione, alia nigra à consimili, sed deteriori causa. Magnitudine; quoniam alia pusilla sunt, vt milij magnitudinem non attingant, vel saltem æquent: alia paulò maiora quantitatē milij parum excedentia: alia autē paulò maiorem magnitudinem habentia, quæ tamen rarò vitiæ maioris magnitudinem superent: alia autem magnā, & notabilis quantitatis. Modo autem differunt; quoniam alia criticè, alia symptomaticè, alia medio extramittuntur modo. criticè illa apparent, quæ concocta materia, & superante natura eueniunt. symptomaticè, quæ cruda existente materia, ea demq; à natura non superata, nec exornata fiunt. medio modo, quæ generantur, dum materia ex parte cōcocta a natura potēti extramittitur. Fine autem differunt; quoniam alia, postquàm apparuere, retrocedunt, quod pessimum est signum: alia resoluuntur, & sæpè ad bonum terminantur: alia autem suppurant, quod etiam, si alia addantur bóna, desiderandum est. alia autem vlcerantur, quod non aliundè, quàm à prauitate materiæ, prouenit. Numero autem; quoniam aliquando pauca, & rara, & hoc vel à paucitate peccantis materiei, vel à debilitate agentis; aliquando plura à contraria causa; aliquando autem adeò numerosa sunt, vt locus in cute ab hac materia immunis vix reperiatur. & hęc nisi vires sint validissimę, rarò salutem afferūt; potius enim ab his suffocatur, quàm releuetur, natura. & hic animaduertatur, quòd hęc exanthemata, vt iam superius notauimus, non coincidunt cum pestichijs iam inter propria signa

Exāthematū, quæ accidunt in feb. pestilenti, differentiæ, & causæ.

Exanthemata antiquorū nō sunt pestichia nostrorum tēporum.

gna enarratis. quoniam hæc exanthemata in genere tumorum reponuntur, illæ autẽ cutis tantùm maculæ sunt. & hæc de exanthematibus. Alius consimilis affectus sępè febrem concomitatur pestilentem, & sunt pustulæ in ore apparentes, quę omnes prędictas exanthematũ differentias recipiũt. hæque aliquando adeò sæuæ sunt, vt cibum, & potum ęgrotantes vix tolerent, in teneraq; ætate sæpè mortem afferũt, cum sibi ipsis vim ad percipiendum cibum non inferant. Ad has pustulas sæpe subsequuntur vlcera, quę maximam ęgrotantibus afferunt molestiam, ciboq; sumendo sunt impedimento, motũ linguę, & pręcipuè deglutionem impedientia. aliquando autem non præcedentibus his pustulis generantur vlcera, à Gręcis aphtæ appellatę, in ore, quarum plures sunt differentiæ; aliæ enim sunt superficiarię, aliæ profundæ, aliæ mundæ, aliæ sordidæ, aliæ benignæ, aliæ malignæ, alię sine crusta, alię cum crusta; & crusta aliquando est alba, aliquando est flaua, aliquando liuida, aliquando nigra. quæ sunt profundę, sordidæ, malignę, & cum crusta præcipuè nigra, sunt deteriores; fiũt enim vel à vaporibus, vel à materia valde praua, & perniciosa: quę opposito modo se habent, sunt leuiores. in febre autem pestilenti hæc vlcera occupare solent & labia, & linguam, & palatum, & fauces. tamen hoc præcipuum animaduerti, quòd in faucibus specialiter generantur, rariq; sunt illi ægrotantes, qui in hac febre summam, & sordidam vnà cum praua qualitate habeant putredinem, qui in faucibus vlcera hęc non patiantur: quæ aliquando adeò sęua sunt, vt depascentia fiant, simulq; cum faucibus etiam asperam attingant arteriam. Vnde post recuperatam ex febre pestilenti sanitatem visi sunt ægrotantes, qui vel in phtisim terminarunt, vel à phtisi maximò cum labore præseruati fuere. Non tantùm autem in ore, sed etiam in alijs corporis partibus solent cum huiuscemodi febre praua generari vlcera, & pręcipuè in his, qui cutaneas patiuntur affectiones; in his enim febre accedente

Oris pustulæ.

Oris vlcera.

Aphtæ in feb. pestilenti contingẽtes, quæ, & quot eorũ differentiæ, et causa.

Lib. 5. Meth. cap. 12.

Vlcera praua.

dente pestilenti, omnis cutis leuis affectus solet in prauum commutari vlcus. solent etiam sæpe subsequi ad has febres apostemata mala, quæ varia inter se sunt, tamen præcipuè carbunculi apparere solent. hique tumores modò in hac parte, modò in illa generari consueuere, potissimum tamen circa corpora glandosa eueniunt. & hoc quoniam expultrix facultas à praua qualitate stimulata à partibus nobilioribus, & internis ad exteriora perniciosam extramittit materiam: vnde à cerebro ad glandulas post aures, à corde ad axillas, à iecore ad inguina materia hæc transmittitur. vnde & parotides, & bubones, & phygetla, & cæteri huiuscemodi tumores sæpè in febre apparent pestilenti, hique omnes tumores maligni sunt, raroque ad bonum terminantur; immo sæpè retrocedunt, quod in causa velocis mortis esse solet. cum enim causentur à materia corrupta, praua, & perniciosa, retrocedentes solent calorem innatum extinguere, vitamq; vnà abolere. si autem non retrocedant, & criticè geniti fuerint, rectaque ratione ab artifice prudenti æger tractetur, aliquando possunt salutem impertire. hæc de superuenientibus affectibus. Vltimum relinquitur signorum genus declarandum, à causis desumptum, quod maximè à diligenti erit Medico considerandum; vbi enim nouerimus in febricitante causas eas, quæ febrem possunt accendere pestilentem, præcessisse, maximum habebimus febris pestilentis argumentum. Quæ autem sint causæ istæ iam diffusè satis in differentijs à causis enarrauimus, vbi duplices posuimus, externas scilicet, & internas, omnesque has distinctè considerauimus, vim omnium, & efficatiam exprimentes. quare pro perfecta horum signorum cognitione ad caput illud de differentijs à causis recurrendum erit. quibus cognitis ex præsentia, vel absentia earundem causarum supra febrem poterimus coniectare pestilentem.

Carbunculi.

Parotides.

Bubones.

De signis præteritam febrem fuisse pestilentē attestātibus. Cap. XIX.

TErtia signorum genera, quæ rememoratiua (quoniam eorum est officium præteritam febrem fuisse pestilētem declarare) appellauimus, nunc recensenda veniunt. quorum breuissima erit enarratio, tum quoniam speculatio de causis, & de signis iam habita hoc munere satis, superq; fungi potest, tum quoniam signa hæc ponenda pauca admodū sunt, & sensui satis patere possunt. Inter quæ primū habeāt locum maculæ illæ, de quibus inter causas, & signa egimus. vbi enim nouerimus ægrotantem in febre maculis infectum fuisse, seu fuerint illæ maiores, seu mediocres, seu minimę, semper coniectare supra pestilentem poterimus febrem. quę eędem maculæ aliquando non viuo, sed mortuo superueniunt ægrotanti. quamprimum enim extincti sunt nonnulli, statim eorum cōmaculantur corpora perindeq; ea apparēt, ac si flagellis asperrimis percussa fuissent. alijs autem apparent liuores maximi, alijs autem minimæ superueniunt maculæ, morsibus pulicū simillimæ. Et hæ maculæ omnes sunt varię, & diuersæ colore inter se, vt dictum iam est. & nō tantum aliquæ corporis partes cōmaculantur, sed etiam aliquādo vniuersum corpus vno eodemq; colore inficitur, vt ego semel in quodam vidi ægrotante, qui cum violentia febris pestiferæ extinctus fuisset, post mortem adeò in toto corpore virore infectus est, vt in succo porri infusus totus videretur. Cū igitur contigerit hoc, videlicet, quòd post mortem febricitantis succedant huiuscemodi maculæ in eius corpore, erit quodammodo indicium febrem eam pestilentem fuisse. dixi quodammodo; quoniam hoc non est demōstratiuū signum, cū ijs, qui ex assumpto veneno necati sunt, eadem consueuerint superuenire signa. quæ paritas signorum potest esse validum paritatis prauę qualitatis, & corūdem efficaciæ indicium. Vnde in hac paritate diligēs Medicus

Maculæ in febricitantib. attestātur febrē esse pestilentē.

Maculæ cadaueribus superuenientes attestātur febrē fuisse pestilentem.

Macularū cadaueribus contingētiū differentia, & causa.

cus discernere debet, si quid tale contingat, an à veneno, an à pestilenti affectu hoc sit factum, quod facilè consequetur, ac conijciet, si præcedentia omnia considerauerit, causasq; & signa pestilentis febris rememorauerit. Solet etiam in strangulatis, & suffocatis cõmaculari corpus. sed hos ab illis erit facile discernere, tum ex præcedentibus, tũ etiam quoniam in his maculæ superuenientes semper nigri sunt coloris. at in his pestilentibus affectibus cuiuscunq; possunt qualitatis esse. Hę autẽ maculæ in cadauere humano, vbi ægrotantes vi pestilentis affectus perierint, solent superuenire; quoniam extincto calore innato (à quo oẽs virtutes, & naturales, & animales, & vitales, si non in esse, saltem in cõseruari dependent) omnis internus calor, quicunque fuerit, seu naturalis, seu pręter naturam, à partibus intimis ad extimas, & externas euaporat: vnde sępenumerò videmus eos, qui ad tactum frigidi ante obitum erant (cum non per resolutionem, sed per extinctionem pereunt, vbi in eis plurimus in internis partibus abundat calor) post mortem calefieri. In tali autem caloris euaporatione à partibus interioribus ad exteriores hoc euenit, vt à partibus internis humores omnes, & præcipuè ichores, tum sanguinis, tum cęterorum humorum, quorum hi partes subtiliores sunt, cum nulla vi retentrice amplius regantur, vnà cum calore ducantur ad partes externas. vnde cum in cuti propter eius densitatem necessariò firmentur, ab omniq; calore destituantur, cumq; hic in totum euaporet, ille non, propter cutis densitatem, & eorundem crassitiem, pro ratione humoris peccantis diuersimodè ipsam cutim inficiant. Hoc autem tantùm fit ratione euaporationis caloris, & ratione, qua humores ad partes exteriores vnà cum eodem calore omnes transfundantur, non autem virtutis expulsiuæ merito eosdem ichores ad cutim expellente, vt nonnulli celebres viri sensere. cum enim ad extinctionem caloris innati omnes virtutes corporis humani viuentis aboleantur, quid potest retinere, ac retardare

virtutem expulsiuam in cadauere? præterea si expulsiua virtus in viuente animali, dum adhuc omnes virtutes vigerent, non potuit hanc prauam materiam ab internis ad exteriora transmittere, quo pacto iudicari potest hoc eius fieri ratione potest mortem? quod affirmare nil aliud est, quàm asserere virtutem hanc naturalem in viuente, quàm in mortuo, debiliorem esse. quæ tamen sententia nequaquam admittenda est: cum vigente, non autem extincto calore virtutes naturales operentur, quæ omnes pariter in morte ipsa extinguũtur. Immo motus materierũ ad partes cutaneas indicat nõ amplius tunc regi hos humores à natura. hincq; fit, vt cũ amplius à retẽtrice vi nõ retineantur, vagẽtur hoc motu. & hoc nõ modò, sed etiam vt omnis materia in vijs ductuũ existẽs per se spõte dilabatur: vnde per sedẽ materię, quę in viis communibus reperiebantur, sponte descendunt, per nares autem, & per aures, & per os, quæ in cauitatibus capitis, thoracis, & ventriculi residebant. quòd, si quid aliud, virtuti expulsiuę attribui poterat, quòd tamen cum longè à veritate dissonum sit, sed hoc tãtùm contingat ratione abolitæ virtutis naturalis, & præcipuè retentricis, vnde excrementa à nulla vi amplius reguntur, nec ei etiam istorũ ichorum ad inficiẽda corpora motus attribuatur. sicuti nec etiã, (quod ad cõfirmandam eam sententiã, quòd in cadauere humano aliqua vis expulsiua reseruetur, facere videbatur) ei attribui debet augmentatio pilorũ, & vnguium in cadauere; cum in hoc nulla sit, nec possit esse auctio vera, sed apparens tantùm, quę contingit; quoniam absumptis, & depressis carnibus ob exclusionẽ spirituum, & vaporum (quorum proprium est dilatare, diffundere, & ampliare) ijdem pili, & eędem vngues ad sensum longiores esse videntur.

An in cadaueribus vis aliqua expulsiua reseruetur.

Macularũ, quę in extinctis à veneno apparent, causæ,

Maculæ autem illæ, quæ in hominibus à veneno extinctis apparent, easdem cũ pręcedentibus habent causas, in hocq; tantùm differunt, quòd in his ichores praui geniti sunt ratione veneni assumpti, at in illis ratione causarum, de quibus

bus in præcedentibus diffusè egimus. cui hoc addatur, quòd non omne venenum poteſt has maculas generare, ſed illud tantùm, quod paucis horis, vel diebus ſuam prodit actionē: quoniam hoc, vt ſuperius etiam notaui debere fieri, non per reſolutionem, ſed per extinctionem, & violentiam hominem iugulat. non eſt tamen, quòd venenum illud, quod pedetentim, & diuturno agit tempore, aliquando non inficiat corpus etiam vel viuens, vel mortuum, ſed ſententia mea, tunc non erunt maculæ in corpore iſto, ſed ſicuti notaui in peſtilenti nonnunquam euenire febre, ita in hoc propter æqualem factam in vniuerſo corpore ob temporis diuturnitatem transmutationem validam, vniuerſum corpus vno, & eodem inficietur colore, ſicuti vel viridi, vel flauo, vel liuido, vel nigro, ita vt nonnulli hos effectus, dum in viuente homine apparent, ad aliquam iſteritiæ ſpeciem referant: quod tamen à veneno hoc factum eſſe, expertus Medicus, diligensq́; in perſcrutandis rerum cauſis dignoſcere poterit. ſicutiq́, in viuente corpore venenum agere hoc poteſt, conſimiliter & poſt mortem aliquando vniuerſa cutis his eiſdē coloribus ratione aſſumpti veneni inficietur. In ſuffocatis autem, & ſtrangulatis maculæ illę nigrę, & liuores illi non his rationibus fiunt, ſed quoniam in anguſtia illa ſpiritus introcluſi, & humores, quãtum fieri poteſt, agitantur, & diffunduntur, vt neceſſariò vaſa aliqua interna diſtrahantur, & lacerentur ex violentia illa. cuiuſcemodi autem in conflictu illo maximo vaſa interna patiuntur, ita & externa adeò pati ſolent, vt eorundem aliqua aperiantur, à quibus tenuior pars ſanguinis, ſicuti in echymomate euenit, reſudans extra capillares venas ad cutim, ibi extrauenatus, & refrigeratus liuores, & maculas illas nigras generat, hæcque dicta ſint, vt harum macularum cauſæ pateant. ex quibus etiam hoc liqueat verum eſſe in cadaueribus, cuius contrarium quidam ſenſere, iudicantes ratione, qua cadauera frigida fiant, ab eis nihil euaporare mali, cauendum eſſe; quo-

Venenũ, quòd maculas in cadaueribus inducit, quale exiſtat.

Macularum, quæ in ſtrangulatis, & ſuffocatis apparẽt, cauſæ.

E cadaueribus prauas exhalationes euaporare, ſi peſte ſint exiſtincta.

 niam

niam ab his prauæ euaporant exhalationes, quibus mediantibus alteri communicari idem poteſt affectus. quod clarè apparet ex motu illo prauarum materiarum ab internis ad externa vnà cum calore euaporante. & hæc de maculis, prout febrem fuiſſe peſtilentem declarare poſſunt, ſufficiant. Hanc eandem atteſtari valent & exanthemata illa, de quibus inter ſigna egimus, præcipuéq; ſi praui fuerint coloris, pariter & bubones, & parotides prauæ, & carbunculi dicti, & quiſcunq; alius tumor, qui tetri ſit coloris, vel odoris. Qui odor non tantùm ratione tumorum, ſed etiam totius corporis optimè eſt aduertendus, & non ſolum in cadaueribus, ſed etiam in ægrotantibus, dum vitam degunt febricitantes huiuſcemodi febre; ſolet enim in hiſce ægrotantibus, dum malè habent, teter quidam odor exhalare, qui nonnunquam accidit etiam in his febribus, quæ inter ſporades, ac ſine peſte eueniunt. & hic odor, quando apparet, exitialiſsimum inter omnia mala eſt ſignum, vt ego ſæpius notaui, qui nullum vidi eorum, à quo talis tranſpiret odor, ſaluari, & non abs ratione, cum hic odor ſignum ſit confirmatę & intentiſsimæ corruptionis, & putredinis. quis autem, aut qualis ſit odor iſte, ſola experientia docere poteſt. Vnde in ambiguitate, & diſcrimine cognoſcendi hoſce morbos, dū de peſtilentibus dubitaretur affectibus, viſi ſunt nonnulli idiotæ, & vulgares, qui hac docti experientia ex ſolo iſto odore veritatem ipſam perfectius attigerunt, quàm experti ſsimi Medici. Aliquando autem verè iugulati ſunt ægrotantes à peſtilenti hac febre, & tamen nec maculæ, nec exanthemata, nec tumores vlli, nec prauus aliquis odor in eis apparet, & tunc pro vera eius cognitione, cum ſuperuenientia ob eorum abſentiam hoc atteſtari nō poſsint, ſufficiant ea, quę dicta ſunt, dum cauſas, & præcedentia, & conſequentia ſigna eiuſdem pertractauimus.

Odor febrē peſtilentem indicans.

De

De præseruatione à febre pestilenti. Cap. XX.

NVnc superest, declarata febris pestilentis essentia, eiusdemq; differentijs, ac signis explicatis, vt curationẽ ipsius aggrediamur: quæ curatio licèt propriè dicatur ea, quæ tantùm præsenti morbo debetur, tamen cum præseruare ab imminẽti morbo, ab eodemq; in futurum hominem præcauere, sit quidã curandi modus; ideò nos sub hoc eodẽ curationis capite, & præseruationem ab imminenti febre pestifera, & præcustodiam ab eadem, illam indicãtibus nobis signis futurę febris, hanc autem rememoratiuis, ponemus, incipientesq; à præseruatione rem ita explicabimus. Cum morbus quislibet sic imminet, & ab eodem quispiam est pręseruandus, omnis Medici intentio ad remotionem causarum verti debet. in hoc enim à curatione præseruatio differt, quòd curatio morbum factum, præseruatio autẽ eiusdem causas, eumque imminentem respicit. Vndè cum voluerimus hominem ab imminenti febre pestifera præseruare, eiusdem causas remouere debemus. causæ autem istę, quarum remotioni in præseruatione ab huiuscemodi febre intendere debemus, in duplici sunt discrimine; alię internæ sunt, aliæ externę. internæ sunt, pletora, cacochymia, & obstructiones. externę autem sunt, aer quomodolibet vitiatus, & contagium vagans. à primis habemus corporum præparationem, à secundis causarum externarum præsentiã. quibus duobus existentibus, facillimus est in febrem hanc lapsus; eòque magis, si corpora alterã prædictis præcedentẽ dispositionem habuerint, per quam omnem externam impressionem facilè suscipiunt; vt si corpora sint, vel à natura, ex accidenti ve humida, vel excremẽtosa, vel debilia, vel laxa & rara, vigentibus causis externis: vel angusta, & densa, internis. Quapropter præseruationi intendentes, hęc tria animaduertere, & considerare debemus, scilicet corporũ dispositionem, quæ si procliuis sit ad labem istam, contra-

In præseruatione quid indicatur.

rijs agendo illam remouere, sin autem opposita, conseruare debemus. secundò pręsentiam causarum externarũ, quibus, quantum fieri poterit, arte resistendum erit. tertiò causas internas, quas Medicus propria virtute abolere, & amouere debet, si potest. Incipientes autem à corporum dispositione, dicimus corpora humida, seu à natura, seu ex accidenti talia fuerint, omni via, rationali tamẽ, exsiccãda esse. quæ autem sicciora sunt, in eodem statu conseruanda esse. Vndè humidis corporibus præscribemus vitandam esse omnem satietatem, & ingluuiem, victum pleniorem, largioremq; potum, præcipuè autẽ fugienda esse omnia ea, quæ in victu corpus humectare possunt, sicuti pepones, melopepones, cucurbitæ, citruli, nuces virides, lactucæ, maluæ, fabę virides, horarij omnes fructus, agninæ carnes, & eorũ animantium, quę in aquis degunt; pisces, & præcipuè molles, & nõ friabiles, aquę potus, & reliqua huiuscemodi. caueãt etiã ab otio, à locis aquosis, humidis, ab aere cõsimili, & pręcipuè nocturno, à ventis austrinis, à longo & profundo somno, potissimũ meridiano, à balneis, & cęteris externis causis humectare potentibus; fugiant etiã omnẽ cibi præparationẽ humectantem. & (vt vnico verbo rem concludam) vitentur omnia ea, quæ tum actu, tum potentia humidum corpus reddere valeant. Parcè autem viuant, potusq; sit multò, quàm consueuerit, minor. & vinum sit antiquum, tenue, nõ aquosum, non tamen valde generosum, nè indè humores accendantur. carnes sint laudabiles, & boni succi, præcipuè autem syluestres, vel sint ex quadrupedibus, vel ex auibus, sintq; pręparatę, vt exsiccare, nõ humectare possint. pisces aliqui saliti, vt sardæ, alicæ, aphię, & consimiles in hunc vsum venire possunt. exercitium sit non violentum, sed quid parum supra moderatum, tempestiuaq; fiat hora. somni sint nocturni, & breues, & non statim à cibo, nec super molle stratum decumbant. habitent loca sicca, sublimia, & ab austro auersa, in constitutione cęli humida ad ignem temperatum

Corpora humida quomodo p̃seruanda à febre pestilenti.

ratum accedant, negotijs, & curis se dedant, at non molestis. Si autem fuerint corpora excrementosa, leni via ab excrementis expurganda erunt. per excrementa nunc intelligo non humores, sed cibi, & potus excrementa tantum crassiora, siue sicca, siue aquosa fuerint, cuiusmodi sunt reliquię cibi in ventriculo crudiores relictę, alui excrementa retenta, & lotium non ita profluens. Ventriculus à reliquiis illis expurgabitur, vel vomitu, si facilis sit, vel ex assumptione mellis rosacei, & oximellitis simplicis, in futurum cauendo, ne super crudum crudus superingeratur cibus, vitando omnia difficilia concoctu, & excremētosa. Aluus autē lubrica paretur, assumendo ante cibum caricas, passulas, pruna damascena cocta, sebesten, iura pullorum, addito saccaro, & consimilia, quæ sint lenia, & suauia, abstineantq; ab astringentibus, & austeris, pręterquam in vltima mensa. panis autem in tali genere victus sit recens, nō calidus tamen, nec ab vtriculis illis in pręparatione expurgatus; ita enim facilè aluum lenit. Quòd si hæc non satis sint, veniant aliquando in vsum clysteria mollia ex iuribus pullorum, ex decoctionibus herbarum mollientium, cum oleis eiusdem naturæ, calefacientibus hyeme, æstate refrigerantibus, addendo vel saccari, vel mellis rosacei portionem. Quòd si etiam nonnihil hyeræ simplicis nonnunquam accipiant, & ventriculum expurgabunt, & ventris simul crassiora excrementa deijcient. Lotium prouocabitur ex vsu seminum communium frigidorum æstate, hyeme autem, & temporibus non æstuantibus radicibus petroselini, appij, smirnij, & similibus, vinoq; tenui, antiquo, minimeq; adstringenti, nec dulci. Si autem corpora debilia erunt, eorundem imbecillitatis caussas attendere oportet, quibus pro diuersitate vniuscuiusq; resistendum erit. Vnde his, qui ex nimia Venere imbecillitatem hanc contraxere, optima victus ratio erit præscribenda, ita vt in eorundem vsum veniant cibaria optimi nutrimenti, concoctu facilia, quæq; minimè sint excrementosa, &

Corpora excrementosa quomodo præseruanda à febre pestilenti.

Corpora debilia quō præseruanda à febre pestilenti.

la,& hæc in quantitate moderata ſemper adminiſtrentur, nè ventriculus vltra vires grauetur, neq; vnquam ante pręcedentis cibi coctionem nouus ſuperaſſumatur, hique in quiete,& hilari vita viuant,à Venereq; non tantùm,ſed etiã ab omni mulierum congreſſu caueant, ſiq; ex vſu Veneris alicuius membri imbecillitatem contraxerint,ea ſummouenda erit,& eiuſdem intemperiem tollendo, & idem proprijs medicamentis roborando. Qui autẽ ob moleſta animi accidentia nonnihil paſsi ſunt, vitent curas, negotia, contemplationes, ſtudia, ſolitudinem, & ſimilia, quæ animum anxium reddere poſsint. hilares viuant, ſocietates lætas quærant, ſonos,& cantus audiant. & ſi cordis paſsiones adeſſent(vt ſuſpiria, tremores, & dolores, vel conſimiles cordis affectus) cordi per propria proſpiciatur medicamenta. eisq; ratio viuendi præſcribatur,quæ humores melancholicos non ita generare poſsit: vnde vitent omnia craſſa,& terrena alimenta, cuiuſmodi ſunt bubulæ carnes, ceruinæ, leporinæ, cochleę, & piſces craſsiores, & maximè ex omnibus his,quæ ſale condita ſunt. vitent braſsicas, lentes,& omnia,quæ huiuſce ſunt temperamenti. abſtineãt à vinis nigris, craſsis, & etiam generoſis, & potentibus; & quantũ fieri poteſt in actionibus, in conuerſationibus, in ſermonibus,& in omni vitæ parte laxatum animum habeant. Corpora autem,quæ ex hauſto veneno labem aliquam in viſceribus contraxere(vnde facilè tàm externis, quàm internis iniurijs cedũt) alexipharmacis pręſeruãda ſunt,quæ particulariter membrum læſum reſpiciant. hoc enim ſolet contingere,quòd non ſemper à veneno aſſumpto necentur homines.& hoc tunc euenit, quando vel vomitu reiectum, vel cũ excrementis, priuſquam iniuria corpus affecerit, deiectum, vel vi medicamentorum ſuperatum, vel in minima quantitate aſſumptum ſuam nõ potuit pernicioſam prodere actionem.in quibus caſibus licèt optima fauente fortuna ſaluentur homines, hoc tamen ſolet conſequi, quòd aliqua veneni

Venena licèt ſemper mortẽ non inferant, tamen læſionẽ notabilẽ inducere ſolent.

ni vis in aliquod principalium membrorum permeans, licèt non mortem, tamen læsionem euidentem inferat. qua concepta euenit, vt sæpissimè qui venenum deleterium hauserunt, quamuis incolumes euaserint, persentiant tamen offensam aliquam per interualla. rarique sunt illi, qui hausti veneni nonnulla signa, & vestigia non retineant. quod non aliundè efficitur, quàm ex impressa labe in aliquo viscere; quæ labes solis alexipharmacis, quæ membrũ, in quo ea insederit, respiciant, tollenda erit. alioquin erit facile, vt illi à causis externis, cum hæ præsentes erunt, ob præsentem dispositionem in febrem pestilẽtem traducantur. Si quis autem nõ ex hausto veneno, sed ex prauis cibarijs, vel ex corrupto potu, vel ex aere vitiato (sicuti contingit his, qui propè stagnantes aquas degunt) similẽ labem, & indispositionem in visceribus contraxerit, remota causa erit succurrendum membro patienti: & prout praua illa dispositio indicabit, ita diuersa erunt adhibenda remedia, cum hac semper consideratione, vt in promptu sumantur ea, quæ à proprietate possunt læsum membrum iuuare. Quod idem agẽdum est in his, qui ab ortu debilia receperint membra principalia. quoniam semper in curatione horum membrorum non solum, quę præsentem intemperiem, affectumq; amouere possunt, veniunt accipienda, sed ea præsertim, quæ illud idem membrum respiciant, & à proprietate roborare possint, quorum sylua expertis Medicæ artis professoribus nota est. Corpora autem laxa, & rara, cum facilè externis iniuriis pateant, erunt præseruanda, dum eis præscribatur eadem victus ratio, quam diximus in humidis temperaturis, & habitibus seruandam esse. Corpora verò densa, & angustos habentia meatus, quoniam hæc facilè in pestilentem febrem incidere possunt, dum causæ internę in promptu sunt; ideò quid in his Medicus moliri debeat, ex inferioribus patebit, dum plenitudinis, cacochymię, & obstructionum, quæ omnia in tali habitu sunt discriminis plena, curatio-

Corpora laxa et rara quomodo præseruanda à feb. pestilenti.

Corp. densa, et angustos habẽtia meatus quo præseruãda à feb. pestilenti.

curationem enarrabimus. Remota hac in huiuſcemodi corporibus præuia diſpoſitione ad remotionem cauſarum deſcendamus; has duplices eſſe diximus, nam aliæ externæ ſunt,aliæ internæ. Ab externis exordientes, cum has poſuerimus duas eſſe,alteram aerem quomodolibet vitiatum, alteram contagium vagans, primò aer veniat conſiderandus. hic triplici via poteſt corpora in peſtilentem febrẽ præcipitare, ſcilicet,vel cum patitur in proprio temperamento exceſſum, vel coinquinatus fuerit à ſuſceptis ad intra,ſi prauis exhalationibus, vel cum in propria ſubſtantia ſit immutatus. quibus omnibus pro poſſe arte Medica reſiſtendum erit, vt ſi eius violentiam in totum ſuperare non valeamus, ſaltem pro parte minuamus. licèt enim Deus Opt. Max. Deus miſericordiæ, & conſolationis, ad quem ſemper in omni calamitate primò eſt confugiendum, ſolus poſsit aeri dominari, ſtatimq; eius vitia auertere. Medicus tamen implorato prius diuino auxilio, multa mala,quæ ab aere pendent, arte Medica, cui ſolum annuente Deo prodeſſe licet, inhibere poteſt. & hic, ſi non omninò hoc valeat,pollet tamen multa mala,quæ hinc deriuant,& grauiora fierent, ex arte leuiora reddere. Quapropter cũ nouerit Medicus primò aerem in qualitatibus primis exceſſum pati,tentabit corpora humana ab eiſdem rationabili via tueri:vnde cum aer in caliditate exceſſerit,ſummeq; calidus exiſtens corpora facilè accendat,omni ingenio aerem quidem primò refrigerare, ſecundò autem corpora ab eadem caliditate defendere conabitur. Refrigerabitur aer,ſi flabellis agitetur,ſi aſperſionibus aquæ frigidæ madefiat, ſi irrorentur pauimenta aqua roſacea, & aceto,ſi parietes ornentur pannis lineis infuſis in eiſdem, vel conſimilibus liquoribus, ſi in thalamis ponantur diluculò herbarum folia,quæ tũ refrigerandi vim habeant, tum quæ ante ſolis ortum collecta fuerint. ſicuti ſi in ſternatur ſolium foliis roſarum, capreolis, & folijs vitium, lactucis, nymphea, papaueris folijs, & capitibus, intybis,

Corpora quõ ſint præſeruanda à febre peſtilenti imminente ratione aeris vitiati.

Corpora quõ præſeruãda in aere calidiori.

Aeris caliditas quomodo corrigenda.

bis, & consimilibus. si etiam componantur in cubiculo rami è salicibus, & harundines, vel consimiles plantæ dicto modo collectæ: quæ omnia subindè commutanda sunt, quoniam siccata lædunt, maleq; olent. quod idem de aqua frigida agendum est; cum enim calefacta est, immutetur, de vaseq; in vas alterũ frigida transfundatur leui via perinde, ac si ex fonticulo emanaret; ita enim facilè aer ad frigidum alterabitur. Dum autem hoc modo alteratur aer, corpora humana ab intensa tuebimur caliditate, si cæterę quinq; res non naturales ad frigidum declinabunt. Aer enim adeò potens est in alterandis corporibus nostris, vt cum sint sex res nobis necessariò occurrentes, si aer peccet in vno excessu, omnes reliquæ huic opponi, & in contrarium declinare debent. quare victus in tali statu tàm quò ad potũ, quàm quò ad cibum refrigerans præscribatur. excrementa omnia educãtur, pręcipuè autem calidorum sit opportuna & lenis euacuatio. quies imperetur, motus enim calefacit. somnus sit longus, vigilię autem nimiæ fugiantur. animi accidentia, quæ sanguinem accendere possunt, omnia vitentur, sicuti ira, & excandescentia. sit istorum habitatio propè fontes, flumina, & aquas fluentes. non in tabulatis hi degant, sed in inferiori domus parte, potiusq; in montibus, quàm in conuallibus, & cãpestribus locis; quæ tamen loca Austro auersa, Aquilonem tantùm respiciant. quo flante ex ea parte fenestrę, & alię domus partes apertę pateant, hominumq; multitudo ingredi prohibeatur. Si autem aer in excessu qualitatis humidę peccauerit, exsiccãdus erit, corporaq; ab eius humiditate tuenda erũt. exsiccabitur aer igne accenso tum per vias publicas, tum etiam intra priuatas domos, cum hac tamen distinctione, quòd æstatis tempore parcior sit ignis, nec propè loca habitata accendatur ille, qui in locis publicis fieri debet. qui autem in proprijs domicilijs accẽdendus est, parcior similiter, & non præsente, sed absente habitatore [illegible] qui cubiculum non ingrediatur, nisi igne extincto. Si autem

Corpora quõ præseruãda in aere humidiori.

Aeris humiditas quomodo corrigenda.

in hyeme,vel temporibus frigidioribus hoc fieri contingat, contraria omnia parentur, videlicet, vt ignis propiùs, & abundantior fiat. ligna autem concremanda erunt ſicca,vt non ſit fumoſus ignis,apparenturq; eo in loco, ex quo ratio ne vnetorũ magis poſsit euentari, & exſiccari aer loci illius. licèt autẽ in vijs publicis omnia lignorũ genera,quæ prauũ non edant odorem, poſsint in vſum venire, ea tamen ſunt magis laudabilia,quę odorata ſunt,cuiuſcemodi eſt laurus, cupreſſus,abies, pinus,iuniperus, roſmarinus coronarius,ſa uina, mirtus, erica, & ſimilia, quorum materia etiam apta eſt pro cubiculis alterandis, ſi tempora erunt frigidiora. ſi autem erunt calidiora, eligenda veniunt nonnulla alia leuiora, quæ non ita calefacere aerem poſsint, ſed eorum facultas ſit potius refrigerandi,ſicuti ſunt ſandali, cuiuſcunq; ſint generis, flores roſarum, venuſaris, cortices citriorum, arantiorum,cidoniorum,quæ vel accendantur ſuper ignem ex uite, ſeu ſalice factum,vel ex eiſdem in thalamis ſuffumigia quomodolibet parentur. Homines autem temporibus frigidioribus ad ignes hoſce accedant ſæpius, cauentes tamen ab omni exceſſu,eòque genere victus vtantur, quẽ diximus præſcribendum eſſe humidis temperaturis; ita enim facilè aeris humiditatem oppugnantes eiuſdem perniciem euitabunt. De exceſſu aeris frigido ſermonem non habeo; tum quoniam vnicuiq; notum eſt, quomodo quiſq; à frigore tueri ſe debeat; tum quoniam hæc cauſa ad producendã hanc febrem inepta eſt, indeque rarò temporibus frigidioribus tales febres vagare videmus. quod idem de exceſſu ſiccitatis ferè dicẽdum eſt.immo talis aer videtur eſſe tutela corporum etiam maximè in hanc febrem procliuiũ. quòd ſi quandoq; contingat hinc lædi corpora, hoc non ex ſola aeris ſiccitate, ſed cum ei additus fuerit exceſsiuus calor, euenire poteſt. quod cum fuerit, petantur remedia ex ſupe rioribus,vbi docuimus,quomodo in aeris immoderata cali ditate ſint homines cuſtodiẽdi.& hæc de aere in primis qua

litatibus

ſtratibus peccante. Si autem aer vitiatus fuerit à ſuſceptis ad intra ſe prauis exhalationibus, duo erunt peragenda; alterum ſubiectam materiam, à qua eæ expirationes attolluntur, remouere, alterum eas exhalationes iam genitas diſperdere. pro primo faciet, ſi occaſione aquarum ſtagnantium hæ genitæ ſint, vel eis ſuperinducere aquas fluētes, vel eaſdem exſiccare, cuiuſmodi conſultum fuit in patria mea, circa cuius mænia ſtagnabant aquæ in foſsis publicis; vnde hæ æſtate putreſcentes erant in cauſa, vt in fine æſtatis, & in autumno plurimæ ſingulis annis vigerent peſtilentes febres. his exſiccatis, experientia, & rei euentus comprobauit rectè conſultum fuiſſe, cum non amplius ita vigeant, nec vagentur. ſi autem aquę corruptæ fuerint in cauſa harum expirationum, ſicuti eę, in quibus linum, buxus, canabis, nerion, iſatis, braſſicæ, & nucum, conſimiliumq; plātarum folia macerata fuerint, vel in quibus iſatis ſuccus concretus, & elaboratus infuſus fuerit, vel quid ſimile, quod prauam in ſe qualitatem, vel viroſam naturam habeat, iniectum fuerit; ſi aquę erunt fluentes, extrahantur ea, quæ malè impoſita ſunt, ſināturq; aquæ proprio curſu expurgari. ſi autem ſint ſtagnantes, ſuperinducatur aqua pura. quod ſi non poterit fieri, omni ingenio, & cum maiori, quàm fieri poſsit, celeritate exſiccētur. Si verò ex barathris, vel ſpecubus adapertis hæc inquinamenta attolluntur, quamprimùm claudantur, ſi fieri poterit, expirationibusq; via præcludatur; ſin minus, maxima, & ingens lignorum ſtrues congeſta ſuper hęc accendatur, ad intraq; loca illa immittatur. Si verò cadauera ſeu humana, ſeu aliorum animalium inſepulta, à quibus deterrimæ inter omnes expirationes attolluntur, harum fuerint in cauſa, vel igne, longè tamen ab habitatis locis, & ratione fumi pernicioſi, & ratione tētri odoris concrementur, vel in profundis foſsis ſepeliantur, quibus ſuperimponatur vel argiloſa terra, vel calx copioſa. quoniā etiam ſuperimpoſita terra vulgaris non omnimodam prohibet tranſpiratio-

Aer vitiatus à ſuſceptis ad intra ſe prauis exhalationibus quomodo corrigēdus.

nem,

nem,vnde fit,vt circa sepulchra, & cimiteria ædium sacrarum prauæ semper exhalationes expirent,maleq; semper ibi habitetur. Quòd si in causa harum expirationum sint aliæ res putridę & corruptæ,eodē modo remoueantur, animaduertendo semper, quòd omnia ea, quæ praui sunt odoris, & malè olent,aerē comquinare prauis exhalationibus possunt, & maximè si multa sint. malus enim odor indicat in materia putrida malam vigere qualitatē. Quapropter semper optimum erit in Ciuitatibus expurgare vias publicas à cæno, & à stercoribus animantium, à cloacis, & ab omni immunditia. quod idem & intra priuatas domos peragendum est, curando,ne quid sordidum, putridum, vel malè olens, vel aptum prauam spirare exhalationem in cubiculis,& thalamis, & alijs domesticis locis retineatur. Remota autem his modis materia, à qua prauæ expirant exhalationes,reliquum est,vt inquinamenta ad intra aerem suscepta disperdantur,consumanturq;: hoc fiet vel à natura,quādo ingenti ventorum agitatione aerem commouendo ea dissipabit,seu cum diuersa temporum successione, eadem ad nihilum rediget,vel ab arte,si ignis modo, & forma prædicta accendatur, dum aeris humiditatem superfluam temperare doceremus. ignis enim,sicuti aeris humiditatem, ita & prauas intra eum existentes exhalationes disperdere potest. Et sicuti ars potest aerem ab his inquinamentis igne expurgare, similiter poterit etiam fortasse ad imitationem naturæ aliquo vehementi motu eundem purificare. Vnde credo ego, quòd maximè in tali casu possit proficere, si tormenta illa bellica maiora sæpius excussa vi ignis fuerint. nam cum hæc validissimè aerē, & ad distans commoueant, vt indicio est, & sonitus maximus ab eis concitatus, & terræ etiam circunstantis tremor, apta erunt,si sæpius iterentur, ad aeris validam purificationem, poteruntq; aerem ab illis inquinamentis ea disperdendo emundare. & hæc de correctione aeris ratione prauarum exhalationum

Inquinamenta ad intra aerem suscepta quomodo disperdēda sint.

latiorum inquinati. si autem aer in propria substantia fuerit immutatus, cum hæc corruptio aliàs ab inferioribus causis, aliàs à superioribus generetur, pro vtriusq; ratione diuersimodè agendum erit; si enim ab inferioribus causis pendeat talis corruptio, primò erunt hæ causæ amouendæ, demum in bonum aer alterandus erit. quare si ratione primarum qualitatum excedentium hoc contigerit, fiant ea, quæ dicta sunt pro temperando aere in primis qualitatibus peccante. si autem hoc eueniat à permixtione putridarum, prauarumq; exhalationum, eadem, quę in harum curatione diximus, seruentur. si verò ratione putredinis eiusdem aeris hoc fiat, putredinis causę, quantum arte fieri poterit, temperentur, & amoueantur; prædictaq; omnia prodesse in consimili casu possunt, si rationabili methodo in vsum veniant. Remota autem corruptionis causa, aer alteretur. hæc autem alteratio nō in contemperamento primarū, secundarumuè consistit qualitatum, sed in oppugnanda praua, & maligna natura ex prædictis causis in aere genita; quæ sicuti virosam in se qualitatem habet; ita & remedia nobilia, & à qualitate interna agentia administranda erunt. Vnde ignis, qui omnium agentium naturalium validissimus est, potētissimusq; in alterando aere, fiat non ex quacunq; materia, sed tantùm ex rebus odoratis, quę suauitate odoris prauam illam qualitatē retundere, ac remouere possint. Quapropter in hunc vsum veniant tantùm ligna illa, quę suauissimè redolere queant, & accenso igne pro maiori odoris suauitate serta, flores, ramusculi, virgulta, aromata, vnguenta, olea odorata ipsis superinfundantur, & in priuatis habitationibus parentur suffomigia vel sicca, vel humida, & calida, seu frigida pro ratione temporis, & constitutionis anni. quæ formentur vel ex materia solida, vel ex aquis odoratis cum aromatibus, lignis, gummis, & aliis rebus suauè olentibus. horum sylua magna est, plurimiq; sunt auctores, qui harum cōpositionis diuersas doceant, Vnde vnicuique, qui recta me-

Aer ī propria substantia vitiatus qūo corrigendus sit.

thodo hanc nostrã profiteatur artẽ, plurima sibi opportuno tempore opportuna facile erit parare remedia, quia de re ad particularia nõ descẽdo. sed hoc vnũ tantùm addã, quòd ẽt fortasse violẽtia motus aeris, eiusq; agitatio valida prodesse posset; quõ seminaria illa, & inquinamẽta ea, quæ in aere deteriora sunt, possunt à tali causa dissolui. vnde nec in casu ẽt isto nõ laudo vsum tormentorũ bellicorũ, si sæpius & sępius excutiãtur, & maximè eã partẽ versus, à qua malũ magis instare videtur. Si verò aer corruptionẽ à superioribus causis patiatur, cęlitusq; demissa sit hæc lues, omnia tentanda sunt, quę superius enarrata sũt proficere in superãda aeris praua qualitate, & omnia pro posse viriũ humanarum experienda sunt, nihil tñ prodesse poterit, nisi annuẽte Deo, qui in peccati pœnã, & ad hominis emẽdationẽ talia flagella parare cõsueuit. Vnde hic præcipuè Diuinũ (vt oĩs eius à nobis auertatur ira) implorandũ est auxiliũ, sancti eius inuocãdi, vota faciẽda, supplicatiões indicẽdæ, sed præ omnibus anteacta est emendãda vita, Sacrosanctisq; Ecclesiæ sacramentis in remediũ animę tùm pro emundatione, tũ pro præseruatiõe à peccato adhibitis, ad Deũ summa cũ humilitate & deuotione preces effundendæ sunt; ità.n. Diuina placabitur ira, eiusq; flagella à nobis auertẽtur, & aeris salubritas, per quã diu conseruari valeamus, cõcedetur: vnde in tranquilla, & incolumi vita eius seruitio læti vacare poterimus. Cũ autẽ contagiũ vagans præsens erit, caueant homines frequentiã multitudinis, societates, negotia, habitationes locorum, vbi vigeat morbus, nihil contrectent eorum, quæ ab ægrotãtibus tacta sint, vel in eorũ venerint vsum, & nõ tantùm ęgrotantiũ, sed etiã astantiũ ministrorũ, & omnium rerum eisdẽ inseruientium contactum, & consuetudinem fugiant, ita.n. à febre pestilenti, si per contagium solum inuadat, præseruari poterũt. Quoniam autem aliquando necessitate coacti, vel mala fortuna ducti homines consuetudinem in locis illis, vbi contagium viget, habent, vel in aere vitiato habitãt, licetq;

Aere corrupto à superioribus causis existẽte, quid agẽdum sit.

Contagio vagante, quomodo præparandi homines.

ficetq; omnia, quæ pro propulsanda aeris praua qualitate agenda sunt, facta sint, nec tamen ea potuerit superari, ideò quid his faciendum sit, enarrare debemus. Hilares hi viuant, domi omnia munda habeant, & præcipuè vestimenta, quæ admistis sertis, floribus, corticibus, & ramusculis rerum refrigerantium, & siccantium, ac suauè olentium, admista tamen portiuncula, quæ ad penetrationem prædictorum faciat, alicuius aromatis reposita fuerint, sæpiusq; in vestiendo permutentur, & ablata, vel reposita sæpius euententur, & baculis concutiantur. linea autem indumenta cū lota fuerint, & medio modo exsiccata, irrorentur aqua rosacea, & postea ad vsum siccata reponantur. Vitentur potissimum pellicea, gossipina, & lanea; quoniam hæc facilius omne inquinamentum admittunt, & conseruant; diluant nares, & aures aliquo grato odoramento; gestent chyrothecas ab vnguentario suaui liquore delibutas, in quorum præparatione vitentur ea, quę summum & grauem odorem habeant, qualem præcipuè zibettum dictum habet; sæpius manus abluant aceto rosaceo, & aqua rosacea simul mixtis; componantur pillę odoratæ, quæ ex diuersa sint materia, prout diuersus est animi status, & diuersa aeris constitutio, manibusq; ad odorandum gestentur, in quem vsum etiam venire possunt Citria, poma aurantea, cidonia mala, & alia consimilia odorata manibus gestata; sordida omnia, & malè olentia reijciantur è thalamis, excrementa statim exportentur; nec in victu vllum eduliorū genus veniat, quod prauí sit odoris, sicuti allium, cepa, porrum, radices acriores, & consimilia; quoniam hęc tetro illo odore & interius, & exterius hominem conturbant. Temperatè hi viuant, cibarijs optimi succi vtantur, abstineant à generosis, & potentibus vinis, nihilq; eorum, quę prauum succum generare possunt, in hunc vsum admittant, sicuti sunt horarij fructus, radices, & herbę acriores, olera malè olentia, vitiata alimēta, malè pręparata, potissimum autem omnia pinguia, &

In pestilēti aeris statu, vel contagio quomodo homines regere se debeant.

 oleosa.

oleosa, exercitiũ sit leue, & temperatũ, & hora conuenienti factũ, fiatq; in aere, qui arte sit expurgatus. somni mediocres sint, pro cuius cõsideratiõe maxima habeatur lecti ratio, cũ in eo diutius morari homo debeat. hic.n. præparetur odoramentis, & mundus sit ab omni sorditie, linteaminaq; nitida sint, & sæpius permutẽtur, nec ad intra cubiculũ aer nocturnus ingredi permittat. Veneris vsus fugiat; balnea vitẽtur, mundum tñ sit corpus ab omni sorditie, & immunditia. Pręscripta autẽ tali victus ratione, veniãt ad præseruationẽ in vsum medicamẽta; quæ duorũ sunt generũ, alia.n. exterius applicãtur, alia interius sumuntur. Exterius erunt epithemata, inunctiões, linimẽta, emplastra, sacculi ex floribus, ex aromatibus, ex radicibus, ex gũmis, pulueribusq; diuersis formati, supraq; regionẽ cordis appositi. An autẽ ad præcauendã aeris pestilentẽ qualitatẽ faciãt & res venenatæ exterius appositæ, sicuti arsenicũ cristallinũ, auri pigmẽtũ, & sublimatũ cordi appositum, satis dubiũ esse potest, cũ alexipharmaca venena esse nõ debeant, ac esse possint, tñ experiẽtia hoc attestatur proficuũ esse. alloquutus sũ ego homines, qui huic solo præcipuè remedio attribuũt, se fuisse in pestilenti aeris statu, dũ alios curarẽt, & pertractarẽt, saluatos, & præseruatos. quod etiã forsan rationẽ aliquam habere potest, cũ n. aer prauus in pestilẽti statu semper inspiretur, indeq; ad cor transmeet, appositum hoc remedium ratione consimilis venenatæ qualitatis potest internam similiter venenatam extrahere, eandemq; ratione caliditatis, cum sit causticæ facultatis, ad extra euocare. Deleteria enim venena (dicebat diuinissimus Galenus) euacuantur à foris impositis medicamentis duplici via, nempè aut caliditate attractionem molientibus, aut totius substantiæ similitudine: cuius ratione experientia testatur percussos à scorpione ab eodem apposito sanari. Cur autem in pestilenti aeris statu prædicta, & non alterius generis venena possint hominem præseruare, forsan hoc ea erit ratione; quia vltra venenatam qualitatẽ; quam

Medicamenta exterius administranda in pseruatione à feb. pestilenti.

Venenata medicamenta exterius applicata an faciãt ad præseruationẽ à feb. pestilẽti.

Lib. 5. de simpl. med. facul. cas. 18.

quam possident, sunt etiam summè sicca. vnde vehementia exsiccationis possunt quamq; humiditatem, & corruptionem noxiam, discutiendo omnia inquinamenta pestis, disperdere, indeq; cor tum discutiendo exterius, tùm ab internis caliditate, & similitudine attrahendo immune à pestilenti affectu reddere. A cuius analogia permotus, & arguens etiam in tali casu laudarem omnia ab interioribus ad exteriora prauos humores attrahentia, sicuti rubificantia, vesicatoria, exulcerantia, & consimilia rationabili via apposita, & præparata, quorum merito Ichores praui in corpore existentes, cum omnium humorum ad corruptionē sint paratissimi, extra ducantur, continuoq; ductu euacuentur. Quapropter non sit mirum, cur in pestilenti constitutione homines, qui vlcerationes, & cauteria habeant, aliis facilius præseruentur. Interius autem sumantur ea medicamenta, quæ resistere prauæ qualitati, & venenatæ, eandemq; superare valeant, quæ in duplici sunt differentia, alia enim sunt simplicia, alia composita. Simplicia erunt bolus armena, terra Melitensis, Anatolia, sigillata, lapis bezearticus, dictamus albus, ruta capraria, ruta communis, heptaphyllon, pentaphyllon, tormentilla, citri semina, eiusdemq; cortex, & aciditas, Valeriana, calendula, scordeum, acetosa, Eleniū, Gentiana, Zedoaria, Angelica, imperatoria, aristolochia, dictamus Creticus, asclepias, Vincentoficum dictum, agrimonia, stabiosa, melissa, rosæ, iuniperi, & lauri baccæ, lapilli preciosi, inter quos præcipuè primū habeat locū smaragdus, margaritæ, corralli, os de corde cerui, cornu ceruinū, cornu Vnicornis, & plura alia consimilia, ex quibus vel pulueres parari possunt, qui vel cum vino, vel cum aqua, vel cū vino aqua temperato, vel cum iure (prout cęli constitutio, anni tempus, regio, & assumentis temperamentum, & status indicabunt) sumantur, vel ex herbis succi exprimantur, qui depurati in potum accipiantur. Composita autem diuersa sunt; alia enim simpliciora, alia magis composita sunt,

Medicamenta interius sumenda in præseruatione à feb. pestilenti.

 Simpli-

Simpliciora erunt, vt conserua citri; conserua acetosæ, cōserua scordei, conserua scabiosæ, saccarum rosatum, syrupi parati ex succis prædictarum plantarum, dianthos, pulueres ex terris, lapidibus, radicibus, herbarum folijs, seminibus, margaritis quomodolibet facti, Diatassaron, Mithridati, pluraq; alia, quæ ex simplicibus facilè parabilia sint. Composita autem maiora, erunt confectiones magnæ, sicuti Theriaca, Mithridatum, Antidotus è sanguinibus, Electuarium de gemmis, Diamargariton. plurimę aliæ antidoti tum ab antiquis, tum à recentioribus inuentæ, & in vsum expositæ; quarum descriptiones ab eis petantur, rectaque ratione in vsum veniant, semper respiciēdo cœli statum, anni tempus, regionē, & assumentis temperamentū, eiusdemq; facilitatem, vel difficultatem in assumendis medicamentis. hinc enim habebitur præparationis qualitas, & an suauia, vel insuauia sint propinanda. Qui vrinam humanam propriam, & quorundam brutorum animantium (inter quas omnibus præferendam ducunt hircinam) pro antidoto ad præseruandū laudauerunt, & si vtile sit medicamētum, adeò tamen immundum, & sordidum, ac inciuile proposuerunt, vt censeam in tanta salutarium remediorum copia ciuiles, ac modestos homines ab his meritò abstinere posse. His ita pro præseruatione respectu causarum externarum explicatis, ad internas sermo transferatur. Internæ sunt plethora, cacochymia, & obstructiones, plethoram intelligo plenitudinem quò ad vires, quoniam hæc est ea, à qua periculum corruptionis ratione, qua à grauatis viribus humores facilè non reguntur, impendet. Hanc ferè omnes scribentes docent venæ sectione tollendam esse: quæ sententia indiscriminatim non est recipienda; quoniam hæc semper, & in omni casu non conuenit. hac autem distinctione vel veniat, vel non veniat in vsum, sectio hæc sub cęlo salubri vere, & autumno admittatur, at in media æstate, vel hyeme, & in regionibus, ac constitutionibus, vel calidioribus, vel frigidioribus

Plenitudo quibus tollēda sit in præseruatione à feb. pestilenti.

Venæ sectio an conueniat in p̄seruatione à feb. pestilenti.

dioribus non est admittenda: hinc enim corpus nimis refrigeratur, illinc autem nimium absumitur, nec tutum est corpora sana his impendentibus euacuare. Si autem pestilens aeris status fuerit, nunquam pro tollenda plenitudine, quò ad vires venæ sectio mea sententia in vsum veniat. cũ enim euacuatio hæc plurimum exhauriat spiritus, plurimumq; corporis humores commoueat, facilius inspiratus aer pestilentem imprimet actionem, difficiliusq; si morbus superueniat, ab eodem patiens ob vires ex sectione venæ labefactatas euadet; cuiusmodi enim in his, qui post sectam venã venenum hauserunt, facilius hoc penetrat, difficiliusq; hi ab eodem liberantur: quod maximè animaduertant hi, qui veneni suspicionem habent, pariter sub cęlo pęstilẽti hi, qui sano corpore venæ sectionem admittunt, aeris prauam, & venenatam qualitatem facilius concipiunt, ab eaque deterius habent, maioriq; cum discrimine saluari possunt: quare non sit mirum, si Galenus nusquam in præseruatione a febre pestilenti venæ sectionis meminit. quod attestari potest, illam in tali casu eum abhorruisse, & ideò nec conuenire, & maxime cum docuerit plenitudinem hanc non semper venę sectione tolli debere. sicuti quando vel ratione humorũ in corpore existentium, vel ratione constitutionis aeris, vel ratione temporis anni, vel ratione habitus mollis, & temperaturæ humidæ, vel ratione alicuius alterius affectus timetur superuentura virium labefactatio. quæ cum maximè timenda sit, maximeq; immineat sub pestilenti cęlo, à consimili doceat à venæ sectione in tali aeris statu à nobis abstinendum esse, eoque magis, quòd facilè inedia parciori, ac tenuiori victu, lubricantibus aluum, ac mundificantibus sanguinem grauatam naturam exonerare possumus. hinc enim tenues humorum partes halitu dissipare, crassiores attenuare, corpus peruium reddere, & excrementa facilè excludere poterimus, quibus plenitudinẽ imminuere primò, postmodum etiam in totum de medio tollere, alleuiata natura,

Lib. p. de diffe. feb. cap. 4.

Lib. de sang. mittendi ratione. cap. 6.

Plenitudo quò ad vires non sẽper tollitur sectione venæ.

valebimus; nec hinc virium labefactatio timenda est, nec per hoc in interna trãsitus pestilentis affectus tradetur. immo hinc vires exonerata natura, nec admissa aliqua spirituum resolutione, validiores factæ corpus exuberanti materia leuius redditum, superfluitatibusq́; inedia exsiccatum facilè regent, ab omniq; iniuria externa idẽ tuebuntur; quod est id forsan, quod dicebat Galenus, docens corpora humida exsiccanda esse, taliq́; via à pestilenti posse præseruari febre. nam talis plethora potius habet rationem excrementosæ abundantiæ, quàm plenitudinis optimi sanguinis. Qui autem docuere secandam esse venam, abundante sanguine, vel errarunt, si loquuti sunt de hac plenitudine: vel superflui fuere, si de simplici abundantia boni sanguinis sermonẽ habuerunt; tum quoniam ab hac febris pestilens non impendet, tum quoniam bonum est in hominibus sanguine abundare, cum ab hoc præcipuè vita, & eius dependeat conseruatio. Qui si redundet adeò, vt vasa destendat, factaq; fit ab eo plenitudo quò ad vasa, licèt hæc soluenda sit venæ sectione, tamen non est casus noster; quia hinc non febris pestilens, sed vasorũ diruptio, caloris natiui extinctio, & inopinata, ac repentina mors subsequi solet. Quamuis autem sub cęlo pestilenti plethora quò ad vires venæ sectione tollenda non sit, tamen considerantes ipsius causas aliquando aliquas admittimus sanguinis minutiones; si enim non ratione victus tantùm, sed etiam ratione, qua aliqua cousueta sanguinis euacuatio cohibita fuerit, incidat hæc plenitudo, vltra præscriptam viuendi rationem adhibitam, quæcunq; sit illa solita euacuatio, prouocetur. Vnde si mulieribus hoc ratione suppresionis mensium eueniat, laudo inferiorum venarum sectionem, quæ cum non ita spiritus, vt in cubito, exhauriat, potest absque impendente discrimine simul leuare naturam, mensesq́; proritare. quod idem assero in his, quibus hæmorroidum consueta excretio retenta fuerit. nam his prouocãdæ sunt; cuiuscemodi etiã in his, qui per

A plenitudine boni sanguinis nõn impendet feb. pestilens.

Plenitudo quò ad vires sub pestilenti cælo quando sit tollẽda sanguinis missione.

interualla,

interualla, & maximè florenti ætate sanguinis per nares fluxum patiuntur, idem agendum esse confirmo. ad quas tamen euacuationes non præexistente cōsuetudine nunquam absque noua, & instante indicatione descenderem. Cacochymia succedit tollenda, quæ duplicem habet differentiā; nam aliquando quantitate, aliquando qualitate humores peccant. quantitate, cum supra alios, vel supra consuetam naturæ portionem redundant. qualitate cum in proprio tēperamento excedunt, vel in propria substantia peccant. Vtrisque debetur purgatio, & cum hoc discrimine, quòd in illa sat est primò peruium, & fluidum reddere corpus; sed in hac vltra hoc, & contemperandi sunt humores, eorumq; substantia moderanda, postea purgandum est; concocta enim euacuare, fluidaq; ante expurgationem corpora facere oportet. Quę autem debeant esse ista, quæ in vsum tum pro concoctione, tum pro eductione veniunt, indicabunt humores peccantes, quorum singuli habent propria medicamenta. hæc autem cum hac consideratione exhibenda erunt, vt præcipuè ea concoquentia in vsum veniant, quę putredini, & corruptioni resistere queant, vt in bile acetosa, citri succus. in pituita scordeum, dictamus albus. in melancholia fumaria, borago, & consimilia alia, quæ simul cum his, quę bezearticam habeāt facultatem, permiscenda erunt. Pharmacum autē exhibendum indicabit & humoris species, & qualitas, & locus, vbi insederit. ab humoris specie habebimus, quod medicamentū assumendū sit, videlicet, an quod bilem, an quod pituitā, an quod melancholiam educat. à qualitate habebimus, an debeat esse id, quod humores tenues, vel id, quod crassos euacuet. à loco autē, an id quod à remotis, an id, qđ à proximis ducat locis, & an validius, vel imbecillius esse debeat. in qua tamē exhibitione hoc animaduerto, quòd leuia potius, quàm grauia, & ea, quę nullam habent deleteriam, & prauam, malignamuè qualitatem semper eligātur pharmaca; immo cū his aliqua bezeartica, & quæ vim pro-

Cacochimia, ex qua immineat febris pestilens quomodo tollenda sit.

propulsandi prauam qualitatem habeant, nunquam non sunt permiscenda, ne ex euacuatione vlla subsequatur iactura. facta autem humoris peccantis eductione, aliquæ exhibeantur antidoti ad muniendam corporis molem cum hac consideratione, vt pro ratione habitus, complexionis, aeris, regionis, & loci conueniant; nam non omnia omni tempore, & loco congruunt. calidiores enim antidoti nec in media æstate, nec in regione calidiori, nec loco soli exposito, nec temperaturæ, & habitui eiusdem qualitatis sunt cōmodæ, quare summa cum animaduersione hæc pertractentur, & exhibeantur, vnde modò simplicia, modò temperata, modò diuersimodè præparata, & composita, non autem vnico semper, eodemq; pacto admittantur. Obstructiones, quę inter causas internas tertio loco enumeratæ sunt, veniunt considerandę non tanquam præsentes, sed tanquam futuræ. vbi enim presentes sunt, obstructiones, si non pestilēs, saltem vulgaris subsequitur febris, pro rationeq; obstructionis, & materiæ contentę modò huius generis, modò illius gignitur, si enim obstructiones prauæ, & materia contenta fuerit suauis, excitatur vel diaria, vel synocha sine putredine. quod si oppositum contingat, videlicet, quòd obstructiones sint validiores, & materia contenta ignea, & acris, fumosa, vel fuliginosa, putrida succedit febris. Vnum tamen casum excipio, scilicet cum sanguis optimus abundat nullo inquinatus humore superfluo, corpusq; leuiter sit obstructum, inquieteq; degat. nam in talibus non febris, sed plethorica superuenit dispositio, remanentibus his, quæ exercitati excerni oportebat: hoc.n. excepto casu obstructionibus pręsentibus semper febris subsequitur. quare cū intēdamus corpora sana, & non morbida, præseruare, iure dictū est has obstructiones à nobis non tanquam præsentes, sed tanquam futuras considerandas esse. Si autem vt futurę cōsiderari debeant, ab earum causis indicationes remouendi eas desumendę sunt. Causæ autē obstructionum tres sunt,

Obstructiones quomodo tollē dæ sunt sub pestilenti cœlo.

Lib. de caus. morb. cap. 3.

scilicet multitudo, crassities, & lentor humorum peccantium. quare si futuras obstructiones impedire voluerimus, causas has submouere conabimur. multitudo, quibus tolli debeat, ex præcedentibus habeatur. crassities incidentibus, & aperientibus; lentor autē obstergentibus remoueatur. quæ autem ista sint, non recenseo; quoniā hæc, & similia artem hanc cū ratione exercenti patere debent, plurimaq; horum est sylua, à quibus selecta accipere debemus, cauentes semper, ne ea, quæ praui odoris, malęue qualitatis sint, in hūc vsum veniant; sed ea, quæ magis suauia, magis domestica, & magis familiaria, & quorum natura benignior est, & nostræ accōmoda, accipienda sunt; quoniā præseruationem tentātes nec hominē conturbare, nec ei vllam noxā inferre debemus, sed victu, & medicamentis facilioribus hoc agentes peruium, & patens reddere corpus totum debemus, vt inde omnis excrementorum moles facilè excludi, & exterminari queat. & hæc de præseruatione à pestilenti febre sufficiant. De præcustodia autē, quam alijs debemus, vbi nouerimus quempiā tali febre extinctum fuisse, pauca erunt dicenda; cum ea, quæ dicta sunt pro præseruatione, in vtilitatem huiuspartis assumi possint. quibus hoc vnum tantū addatur, quòd si contagij non fuerit suspicio, nec cęlum sit vllo pestilenti affectu inquinatū, sat erit omnia mūda reddere. at si contagii, vel aeris pestilētis suspicio vlla aderit, vestes, linteamina, cęteraq; suppellectilia, quę in vsum ęgrotātis venerunt, euitentur, ventis Aquiloniis exponantur, fluenti aqua depurētur, liquoribus odoratis irrorentur, sub dio locētur, baculis agitētur, igne odorato suffumigentur. & si valida fuerit suspicio, vel sint res, quæ supradictas pręparationes, & expurgationes nō admittant, comburantur. astātes, & ministri in locis separatis secludantur, & à pestilenti febre antidotis muniātur, domus expurgētur, cubiculi emundētur, tandēq; omnia pestis inquinamēta discutiātur, ac dissipentur; ita n. incolumes, & intacti cęteri homines ab hac lue cōseruabuntur.

Præcustodia, quæ alijs debetur, vbi quis feb. pestilenti sit mortuus.

De

De Curatione febris pestilentis, & an in ea sit secanda vena. Cap. XXI.

HIs de præseruatione, & de præcustodia explicatis, tādem ad ipsam curationem, in cuius gratiam ferè omnia prædicta enarrata sunt, descendamus. Febris hæc dupliciter euenire consueuit, aliàs sub cœlo pestilenti, & hæc habet causam præcedentem connexam, aliàs sub cœlo salubri, & hæc habet tantùm causam internam. communicant hæ in eodem; quoniam in vtrisq; vltra putredinem adest venenata, & perniciosa qualitas, quæ earum proprius est characterismus, per quam ab alijs hę differunt putridis febribus; sed ab inuicem in hoc distant, quòd praua hæc qualitas, quæ à corruptis humoribus pendet, in primis à causa externa, in secundis ab interna procedit; corruptio enim humorum, à qua ista pernicies emanat, sub pestilenti cœlo ab infecto aere solum in ipsos humores introducitur. at in his, quæ sub cœlo salubri contingunt, labes ipsa non ab aere, nec à causa externa, vbi hoc contagij ratione nō contingat, sed ab intima humorum ipsorum prauitate dependet. quare vnica erit, eademq; ambarum essentia, & per consequens vnica, eademq; curatio, cum hac tamen distinctione, quòd in pestilenti aeris statu, quantum poterimus, aeris prauitati, & ſęuiciei erit resistendū, vt prauæ qualitatis tum efficientem, tam conseruantem tollamus causam: quoniam autem de hoc satis, superq; abundè actum est, dum de præseruatione ageremus, illuc recurratur, vt huic indicationi satisfaciamus, descendamusq; ad ponendam, declarandamq; curationem. In hac febre vltra intemperiem calidam, & siccam, omnibus febribus communem, sunt duo præcipua; alterum est perniciosa, & praua qualitas, alterum est putredo, quibus positis hæ indicationes erunt desumendæ, quà febris, est refrigerandum, & humectandum, quà venenata adest qualitas, remittenda proprijs antidotis, & superāda est, quà putredo

Febris pestilē tis intentiones curatiuæ.

putredo inest, & putredo hęc in materia corrupta fundatur: quod in totum putruit, est euacuandum, quod nundum cō firmatum est putridum, est exsiccandum, & alterandum, & contemperandum: quoniam autem putredo hæc ab obstructione vel causatur, vel fouetur, ideò hæc tollenda. Et quoniam obstructionis causa est, vel plenitudo, vel crassities, vel lentor humorum; ideò materia minoranda est quà multa, attenuanda quà crassa, abstergenda quà lenta. His habitis indicationibus, quo ordine omnia exequi debeamus, rectè consideranti patere potest. cū enim via resolutiua omnes inuentæ sint, à quibus ordiēdum, & progrediendum sit, innotescet: sed vt rem ipsam clarè, & breuiter exponamus; rectè agemus, si ita ordinatè in explicandis indicationibus procedemus, videlicet, vt primò minoranda sit materia, secundò exobstruendum, tertiò alterandum, exsiccandum, contemperandum, & euacuandum, vltimò erit refrigerandum, & humectandum. His indicationibus an arte possimus satisfacere, vel non, & an ęgrotantes saluari, vel nō saluari debeant, licèt auctorum morborū, (inter quos connumeretur & febris pestilens, quæ licèt ex longis, vt experientia multoties, vtque Hippocrates testati sunt, esse possit, tamen vt plurimū est acuta, & aliquādo acutissima existit) nō ita certæ sint prænunciationes aut salutis, aut mortis, poterit tamen in his Medicus facilè futurum euentum præsagire; cum enim hi morbi huiusce sint naturę, vt plurimi ex his malè terminentur, plurimosq; perdant, tametsi rectissimè à prudēti artifice tractentur, ideò mortem potius, quàm salutem prognosticando ex hisce febribus semper malum prænunciare debet, potissimū vbi nouerit perniciosam qualitatem præualere, corruptionemq;, ac putredinem esse insignem. rarò enim in consimili casu salus consequi consueuit, cum vires hinc succumbere, non resistere queant. Si tamen venenata illa qualitas non ita valida, nec putredo ei connexa intensa sit, profectò si prudens, exercitatusq;, & nō dormi-

Prognosticum

Lib. 2. aph. 19

Lib. 3. Epid. post. 3. 64. & 65.

Indicatiōes curatiuæ in feb. pestilenti qua via exequendæ.

dormitans sit Medicus, salutem quoquo pacto præsagire debet, cum hinc non obruantur vires, sed adhuc possint resistere, morbumq; forsan facile, cum ab arte opportunum subsequetur auxilium, superare. Vbi autem remissa erit venenata qualitas, at putredo insignis: vel ex aduerso vbi intensa erit qualitas perniciosa, at putredo remissa, erunt quidē omnes hi casus lethales, non tamen in periculo pares; semper enim à qualitate venenata maius, quàm à putredine, impendet discrimen. In his tamen omnibus & vires omnes, potissimum vitales, & ægrotantis habitus, & victus præcedens, & anni tempus, & aeris constitutio, & regio, & an vagentur tales morbi, & quo pacto vt plurimū terminari consueuerit, & similia omnia considerāda sunt: vt omnibus his ante oculos positis, facilius possit Medicus vel certam salutem, vel certam mortem, quantum fieri poterit, prognosticari. dixi, quātum fieri potest; quoniam in hisce morbis aliquādo fiunt subitæ mutationes, vel propter subitam permutationem in iudicatione factam, vel quia noxius humor à loco nobili ad ignobilem, vel ab ignobili ad nobilem subitò transfertur. Qui duo casus solent Medicum prognosticantem mendacem reddere, statumq; morbi in contrariam dispositionem permutare. ex quo apparet in talibus morbis certas non esse prænunciationes, & maximè quæ sunt salutis, cum hic sit incertus motus, & hi morbi vt plurimum in perniciem ęgrotantium terminare soleánt. & hæc de prognostico. quo posito superest, vt quibus remediis indicationibus prædictis satisfaciendum sit, enarremus. Prima erat indicatio minoratio materiæ, hanc duplici via possumus tentare; altera est sectio venæ, altera est pharmacia, de vtraq; sermonem habeamus; quoniam de vtraq; maximæ instant difficultates. Incipiens à sectione venę inuenio duas sententias ex toto oppositas. Communiter medicinam facientes docent omnes secandam esse venam, his rationibus innixi, videlicet, quoniam huiuscemodi febris est ex genere putridarum

Minorationi materiæ qua via sati. faciēdum in feb. pestilenti.

Venæ sectio an cōueniat in febre pestilenti.

rum

fum; quoniam hęc morbus eſt magnus; quoniam cum hac obſtructiones adduntur, quoniam cum hac febre ſæpe concitantur phlegmones, & tumores tum interni, tum externi; quoniam ex his plurimæ ſunt ardentes, ſi non exterius, interius ſaltem, in quibus omnibus caſibus ex Galeni ſententia ſemper ſecanda eſt vena. quibus rationibus addunt Auicennę non ſpernendam auctoritatem, qui ſequutus Aetiū, Paulum, & Ruffum Epheſium monuit in hiſce febribus ſectionem venæ conuenire, & plurimum prodeſſe poſſe. In oppoſita ſententia ſunt celeberrimi viri, qui artis noſtræ ſtudia tum docendo, tum ſcribendo illuſtrarunt, hi confidentes formam ſpecificam huius febris, eiuſdemq; vltimam differentiam, per quam in eſſe peſtilentiali conſtituitur, nil aliud eſſe, quàm venenatam qualitatem, qua vitales facultates ſummoperè labefactantur, & malè ſimul alteratis, & diſſipatis ab ea ſpiritibus, cordeq; in omnibus malè affecto, arbitrantur febrem hanc ſolis antidotis debere tolli, nō autem venæ ſectione, vt pote remedio, quod vires deijcere, non autem perniciosam illā qualitatem vllo pacto domare poſſit; immo ſicuti veneno aſſumpto, dicunt, ſi venam ſecueris, non ſolum nec ſecundum rationem, nec rectè feceris; quinimò omnes ſic agendo perimes, cum in ebibitis venenis ſectio venæ præſentaneam afferat mortem (quod animaduertant hi, qui hauſti veneni ſuſpicionē habent) ita in febre iſta, cùm eius eſſentia in venenata qualitate conſiſtat, nihil deterius ſectione venæ adminiſtrari poterit, quæ (addatur & hæc ratio) cum ſanguinem omnium humorum benigniorē partem educat, nec venenatam qualitatem vllo modo temperet, eſt in cauſa, vt perniciosa hæc labes commoto, & imminuto ſanguine magis concitetur, ferociaq; maiori inualeſcat; cui ſententiæ adſtipulatur & teſtimonium eorū, qui artem Medicam annis illis celeberrimis milleſimo quingenteſimo octauo, & vigeſimo nono profitebantur. hi enim aſſeruerunt omnes eos, quibus ſecta erat vena, interiiſſe, in-

Veneno assumpto secta vena patientes tollit.

deq;

deq; adeò infamatum fuisse hoc auxilium, vt etiam ægrè ad mitteretur in his, qui pestilenti morbo non laborarent. Ad dunt hi supremam rationem, dicentes, vltra magnitudinem morbi requiritur & viriũ fortitudo ad indicandam venę sectionem; at in febre pestilenti vix virtus valida esse potest, vt quæ ratione venenatæ qualitatis si non succubuerit, saltẽ labatur; nam solent pestilentes morbi virtutẽ celerrimè euer tere. in qua virium labefactione iure venę sectio excludenda venit, solęq; antidoti admittendæ erunt. Neutra horum sen tentia, meo iudicio, tuta est. Vltimi, qui solis alexipharmacis in curatione huius febris procedendum esse iudicarunt, solã perniciosam qualitatem attendunt, putredinem autem nihili pendent: cuius tamen in talibus casibus maxima est haben da ratio; nisi enim hanc tollas, nec curari febris, quæ est putrida, poterit. hanc autem vix curare queas, nisi multitudinẽ, quæ & obstructiones causat, vel fouet, & quę naturæ grauis est, minuas. quare antidotos quidem exhibebimus ad remit tendam prauam illam, & perniciosam labem, tamen tollen dę etiam putredini incumbemus. cuius causam remouere conabimur, dum euentationem exonerata natura, & immi nuta materia tentabimus. Eorum autem sententia, qui in pe stilenti febre venę sectionem admiserunt, & laudauerunt, ve reor, ne in perniciem humani generis inuecta fuerit. Vltra enim testimonia celeberrimorum virorum, qui sectionem venę nocuã in hisce morbis se expertos esse monuerunt, etiã ratio ipsa dictat, ab ea in hisce febribus abstinendum esse. li cèt. n. febris hęc sit putrida, morbusq; sit magnus, cui con nectuntur obstructiones, & phlegmones vel interni, vel ex terni, & consueuerit sæpius esse ex ardentibus, quæ omnia venæ sectione iuuantur, & ideò hac ratione videatur indica tionem haberi mittendi sanguinis: tamen cum ex venenata, & praua qualitate vires in hac febre succumbant, nullo mo do est admittenda. quid enim prodesse potest venę sectio, quæ spiritus subitò, & affatim exhaurit, indeq; vires deiicit,

vbi vires ipſæ vel ſunt, vel futuræ ſunt debiles: hoc ſemper docuit Galenus nunquam labantibus viribus ſecandam eſſe venam, & miror ego de eccellentiſsimis viris, qui ſupponunt in febribus peſtiferis quàm primum vires deijci; quoniam venenum huius materiæ totum cordis temperamentum deſtruat, & tamen hi poſtea doceant in iiſdem ſecandam eſſe venam. Quod idem dum hi adſtruere nituntur ex Hippocrate, qui in omni vehementi morbo detrahendũ ſanguinem docuit, indicatione à magnitudine morbi ſumpta, monent, cũ hic ſit morbus cacoæthe, & ideo magnus, in huiuſce generis febribus mittendum ſanguinem eſſe. Nec tamen hi animaduertunt ſub ſententia ab Hippocrate in curatione acutorum morborum poſita, per quam habet, ſecandam eſſe venam, vbi morbus vehemens fuerit, florueritq; ægrotantis ætas, & virium adfuerit robur, non includi peſtilentes affectus, quos in principio ſuæ tractationis ab acutis morbis, quorum victus rationem, & curationem ipſe ducturus erat, excluſerat, & diſtinxerat, tãquam eos, quos ſub eodem examine, & docendi forma non erat comprehẽſurus. Quos etiam ita à propria conſideratione, & contemplatione, dum normam ſectionis venæ traderet, excluſit Galenus, vt nuſquam de eis minimum fuerit verbum. Vnde licèt hæc febris ſit morbus cacoæthe, & ideò magnus, nõ tamen venæ ſectionem admittit ſecundum Hippocratis, & Galeni principia; qui ambo, licèt in cæteris morbis, qui ſunt cacoæthe, venam ſecandam eſſe moneant, nunquam tamẽ ſub norma ſecandæ venæ affectus peſtilentes admiſerunt; nec eorum in tali contemplatione meminerunt, & hoc non ex negligentia, aut ex obliuione, ſed ex propoſito, & maxima cum ratione fecerunt. cum enim huiuſcemodi febris ex ſui natura vitalem virtutem labefactet, cordiſq; temperamentum facilè euertat, ad indicendam autem venæ ſectionem viriũ robur adeſſe requiratur, certa ratione tale morborum genus ſilentio (dum morbos, in quibus venæ ſectio conueniat, docerent) prætereundum duxerunt; licèt

Lib. 4. de ratione vict. i acut. 19.

Peſtilẽtes affectus nõ veniũt ſub regulis ſecãdæ venæ traditis ab Hipp. & Gal.

Lib. p. de rõe vict. i acut. 9.

enim hic sit cacoæthe, & ideò magnus, tamen ratione viriū, quæ ab eo labefactari, & dispperdi aptę sunt, nullatenus venę sectionem admittit. Quare cum sub hac vniuersali positione hi affectus non comprehendantur, & vires in hac febre labare debeant, nec in eadem secanda erit vena. At, dicent hi, in principijs harum ægritudinum, dum morbus non dum acutus est, nec praua illa qualitas in totum suas deprompsit facultates, vires cōstant, tuncq; his constantibus, nundumq; deiectis, secanda erit vena, iuxta dogma illud antiquum Hippocratis. Cum morbi inchoant, si quid mouendum, moue. quare cum à morbo, cùm magnus sit, indicationem sectionis venę habeamus, nec vires contra indicent, cum nec deiectæ, nec labefactatæ in principio febris sint, hanc iure admittere debemus. Sed dictum istud fallax est, & erroris plenum; quoniam præterquam quòd regula hæc vniuersalis de indicatione venę sumpta à magnitudine morbi non includat pestilentes affectus, vt explicatum est. etiam ad indicandam sectionem venæ non tantùm præsentes, sed etiam futurę validæ vires concurrere debent. nam sicut in secanda vena non tantùm magnitudinem præsentis morbi, sed & futuri, ac imminentis considerabat Galenus, eorumq; scilicet præsentis, & imminentis eandem habens rationem ab vtrisq; indicationem sectionis venę sumebat; similiter in sectione venę non solum quales sint pręsentes, sed & quales sint futuræ vires, perpendendum est; ita vt cum ad hanc actionem vires requirantur validę, non tantùm quòd præsentes sint tales, sed & quòd futuræ similes esse debeant, præuidendum est. Vnde in hydrope, in diabete, in lienteria, in atrophia, & alijs etiam similibus affectibus licèt hi sint morbi magni; viresq; constent; quoniam tamen dubitatur de futura debilitate; ideò nullus author in curatione horū de hac meminit. hoc autem cum nō sit dubium in pestilenti febre, sed certum, quòd vires labefactabuntur, debilesq; reddentur, ad quid tentare venæ sectionem, quam vires debiles certò subsequuturæ sunt?

Lib. 2. aph. 29

In indicatione sectionis venæ non tantū viriū præsentiū habenda est ratio, sed etiā futurarum.

Lib. ij. Meth. cap. 14.

Et si Galenus sub calidissimo celo, & in regione ęstuosa, & corpore laxo, & molli, & pingui, & albo, & gracilium venarum, morbo existente magno, & viribus constantibus prohibet, & abhominatur sectionem venæ; quoniam dubitat de futura virium debilitate. & si idem, hanc virium imbecillitatem reformidās in magnis æstibus à sectione venę abstinet, abstinendumq; esse docet, etiam si morbus sit magnus, florensq; ętate sit ęger, & vires simul constent, cur eundem in pestilenti febre audebimus nos procurare, in qua certi sumus de futuro virium lāguore? quare non est mirū, si Galenus in libro de cibis boni, & mali succi audaces eos vocat medicos, qui audebant in pestiferis illis febribus venam secare. nec mirum etiam sit, si idem Galenus, qui sæpius (obiter tamen, & non ex proposito) de pestilenti febre loquutus est; de eadem sermonem habens nunquam meminerit sectionis venę; quoniam placitis Hippocratis addictus, proprijsq; fundamentis innitens, cum nollet huic febrium generi virium imbecillitatem copulari, nec sectionē venæ in harum curatione proponere, nec eam admittentes laudare poterat. cuius sectionis venæ in hac febre si vsquam meminisse debuisset, hoc fuerat, dum quasi ex professo pręseruationem huiusce morbi doceret; cum ipse explicans in proprio libro rationem curādi per sanguinis missionem, monuisset ex Hippocrate eandem haberi rationem præsentis, & imminentis magni morbi, ac tradidisset quæcunq; morbis pręsentibus rectè peraguntur, aut incipientibus, aut imminentibus præuertenda, ac exequenda esse; quod cum non egerit, eiusq; nec verbum in præseruatione pestilentis febris fecerit, firmum sit argumētum, ipsum hō eandem esse in curatione admittendam censuisse. At instabunt hi ex sententia Galeni in historia Critonis in Thaso habitātis exposita, per quā innuere clarissimè videtur Galenus in pestilentibus morbis à principio secandā esse venā, dicens non mirandū esse, si in Critone Hippocrates nō secuit venam; scias enim (inquit) ad plurimos, eum, quos descri-

Lib. 4. de ratione vict. in com. 19.

Lib. p. de diff. feb. cap. 4.

Lib. de cur. ratione per seng miss. cap. 9.

Lib. p. Epid. sect. 3. com. 25.

psit ægrotantes, morbo iam progresso, accersitum esse. per quæ verba clarò docet, quòd si ipse, vel Hippocrates in principio morbi adfuisset, venam illi secuisset: cuius ratione monent hi, nunquam à Medico cogitandum esse de sanguinis missione; quoniam timent virium languorem, nisi in principio morbi vocentur, tuncq; hanc administrandã esse, quamquam magna adsit in ęgrotante prauitas humorum, à qua coniiciunt morbum pestilentẽ esse. Credo ego (parcant mihi hi celeberrimi Viri, quibus omnibus tàm mortuis, quàm viuentibus in hanc sententiam consentientibus lubentissimè, & iure cedo) hos in hac Galeni sententia hallucinatos fuisse, hocq; duplici de causa. primò quia arbitrati sunt Critonem, & omnes ægrotantes, qui cum ipso in eodem cathalogo descripti sunt, sub pestilenti ægrotasse constitutione. Secundò quia iudicarunt Critonem ipsum à pestilenti morbo detentum fuisse. quorum vtrunq; mea sententia falsum est, vt nunc clarissimè demonstrare conabor. Omnes ægri, quorum historię cum Critonis morbo enumeratæ sunt, in Thaso sub tempestate tertia ab Hippocrate descripta, laborauerunt, quod ex pluribus clarè apparet. primò quidem, cum in communi tempestatis enarratione explicaret, quæ febribus ardentibus accidebant, dicebat, quòd quibus ritè, & largiter sanguis per nares erupisset, hi maximè omnium seruabantur. quod exemplo patuit Metonis. quibus autẽ stillauerit quarto, & quinto die, mortuos esse, in cuius testimonio præcipuè affert Philisci exemplum, cuius historia prima in ordine est enarrata, in qua hoc potissimum habetur, quòd quinto die ei stillauit sanguis è naribus, sexto autem mortuus est. dicebat etiam, quòd quibus sanguis non profluxerat, sed tubercula post aures apparuerunt, & non suppurauerunt, his in coxam grauitas decubuerat. cui simile in Clazomenio videri potest, in quo non fluente sanguine, & apparentibus tuberculis post aures, & non supporantibus, coxæ dolòr vehemẽs subsequutus est. subi ungebat mulieres non ita, vt viros ea constitu-

Crito, de quo Epid. an sub pestilenti constitutioni laborauerit.

ib. p. Epid sect. 2. com. 63.

Lib. p. sect. 3. tex. 23.

Lib. p. Epid. sect. 3. tex. 17

Lib. p. Epid. sect. 2. tex. 67

Lib. p. Epid. sect. 3 tex. 26

Lib. p. Epid. sect. 2. tex. 68

Lib. p. Epid. sect. 3. tex. 30

constitutione periclitari, vt Melidæ contigit, tamen vtero gerentes à partu in ægritudinem incidisse, quæ potissimum moriebantur: quod clarè patuit ex historia tũ vxoris Philini, tum vxoris Dromedæ, in quibus licèt purgationes ritè processissent, & reliqua, quæ a puerperio requirũtur, rectè habuissent, tamen ardentiũ febrium, quę tunc vagabantur, violentia extinctæ fuerunt. Explicans etiam signa, quibus pręcipuè ęgrotantes seruabantur, vltra sanguinis narium fluxum, de quo iam dictum est, addebat eos, qui per ventrẽ turbida, & biliosa excreuissent, vel qui in dysenteriam incidissent, seruari. quod Clazonenio, qui iuxta Phrinichidæ puteum decumbebat, contigit; hic enim saluatus est ex alui fluxione, qualis dysentericis euenire solet; pluraq; alia sunt, quorum particularis historia communi correspondet enarrationi, quę, nè longior sim in re clara, prudens prætereo. liquet igitur ęgrotantes hos vnà cum Critone descriptos ea tempestate ægrotasse, quæ tertia in Thaso ab Hippocrate describitur: hoc autem habito, clarè apparet hos ægros sub pestilenti cœlo non laborasse. cum enim tẽpestas illa statum habuerit frigidum, & siccum, & ex parte inæqualem, indicium est certum nec potuisse esse pestilentẽ. hęc enim aeris constitutio licèt morbos vulgares, non tamẽ pestilentes edere potest. Quòd etiam tempestas illa nõ fuerit pestilens, Hippocratis verba euidenter commonstrant. cum enim dixerit ea tempestate vulgasse ardentes febres, dicebat vere, & æstate plurimos hac febre laborantes superstites fuisse, quòd non conuenit Epidemiis pestilentibus. solo autem autumno plurimos periisse, ab æquinoctio verò vsque ad Vergilias, & sub hiemem multos obiisse testatur: cum tamen nec multos, nec plurimos solum in pestilenti aeris statu, sed ęgrotantium maiorem partem mortem oppetere conueniat. præterea his febribus ardentibus, & phrenitide laborare, & periclitari non omnes asseuerabat, sed eos tantùm, qui ætatis calidioris essent, ac naturæ, quæ dif-

Lib. p. sect. 3. tex. 20. et 27

Lib. p. Epid. sect. 2. tex. 79

Lib. p. Epid. sect. 3. tex. 16

Lib. p. Epid. sect. 2. tex. 6 r

Tex. 61.

Tex. 73.

Tex. 78.

ficilem haberet habitus digestionem, & pestilens constitutio non vnicã ætatem, nec vnicam naturam, licèt hanc facilius, quàm illam, omnes tamen aggreditur. Quare hinc pateat tempestatem hanc pestilentem non fuisse, & ideò nec ægrotantes illos ratione constitutionis aeris pestilentibus laborasse affectibus. Hoc explicato, perscrutemur, an Crito pestifero morbo detentus fuerit. quòd non ex aere ambiente tali morbo potuerit laborare, ex præcedentibus satis liqueat, quare cum ratione causæ externæ hoc non potuerit fieri, videamus, an ratione causæ internæ, vide licet ratione humorum propriorum, hoc factum fuerit. Affirmāt hi morbum Critonis pestilentem fuisse, si non aeris merito, saltē humorum ratione ad intra corpus existentium; ducti verbis Galeni asserentis magnam in eis prauitatem fuisse, ratione cuius furiosa insania excitata est; prauitatis autem indicium extitisse, quòd pustulæ nigræ statim in eo apparuissent. à qua prauitate arguunt, & concludunt morbum hunc fuisse pestilentem. At non hæc, sed opposita sententia à me probatur; quoniam si perpendamus Hippocratis historiam, & Galeni expositionem, duo tantùm in Critone inueniemus, alterum materiæ copiam, alterum prauitatem. quòd à copia materiæ affectus pestilens non causetur, liquet; quoniã si hoc esset, omnis morbus à multitudine, & copia pestilens esset, quod rationi, & sensui contradicit. Hoc idem de prauitate materiæ affirmo; si enim prauitas materiæ sufficiens causa esset ad constituendum pestilentem affectum, omnes morbi à bile atra, ab æruginosa, ab Isatóde, à pituita salsa, & similibus prauis succis pendentes pestilentes essent: quod tamen sicuti falsum est, ita nulla ratione, nullaq; antiquorũ authoritate comprobari potest. prauitas quidem succorũ vnum est ex his, per quæ disponuntur corpora ad pestilētem morbum, nisi tamen his addatur corruptio, quam superius satis, superq; abundè demonstrauimus necessariò concurrere in constituendo pestilenti affectu, nō potest illa ma-

la, &

Crito an pestilenti morbo laborauerit.

Lib. 3. Epid. sect. 3. com. 25

Prauitas materiæ an sit indiciũ sufficiēs pestilētis morbi.

là,& perniciosa qualitas, per quã ab alijs specificantur pesti lentes morbi, ex illo succo emanare. Vnde cum in Critone corruptioné prauorũ humorũ nullo pacto conijcere valeamus,nõ possumus nõ negare, quòd pestilẽti morbo affectus non fuerit. fateor tñ in hoc ægrotãte prauitaté insigné fuisse, copiamq; humorũ maximã. humores hi erant duplices,alter bilis acris,& mordax;mera.n.erat,& copiosè per aluũ excreta fuit; alter erat bilis atra, quã natura cũ ad crus deriuare molita esset,idq; membrũ omnẽ humoris molem capere nõ potuisset,residuũ recurrens ad caput ascendit; vnde duo cõsequuta sunt,scilicet pustulæ nigræ,& insania furiosa,& hoc iure, vt monebat Galenus,explicans Hippocratis locum docentis, quæ in medicationibus educere oporteat, vbi declarabat ab atra bile fieri pustulas nigras, & deliria; cui ira, temeritas, atque immanitas coniunguntur. Cum autem hi duo humores in Critone quãtitate superabũdantes, & qualitatis prauitate insignes in principio morbi ita violenter cõmoti fuerint, vt deiectiones plures meræ, & biliosæ descenderent; factusq; fuerit in crure vsque ad talum abscessus à materia,cuius portio ad partes superiores recurrẽs cerebrũ occupauit, ita vt simul & ad superiora,& ad inferiora materia cõmoueretur, nõ mirũ,si celeri morte præuentus fuerit. in Critone.n. decretoria,nõ decernẽtia,cũ symptomata,& signa lethalia (vt pustulæ nigræ,& insania furiosa)his annexa essent,lethalia existẽtia,iuxta Hippocratis dogmata,mortem instare portendebant. qui etiam docebat, cruda, & incocta, atque in malos abscessus conuersa,mortem aliquando indicare, vt factum est in casu isto, qui consimilis est, & conformatur alteri eiusdẽ sententiæ asserentis; Morbis quibuslibet incipientibus atra bilis siue supra exierit, siue infra lethale esse; licèt enim in hoc nõ exierit atra bilis,vel supra vel infra, supra tamen, & infra commota est, & partes superiores, & inferiores occupauit. qua ratione casus hic summoperè lethalis fuit.Mortuus est igitur Crito non vi pesti-

Lib. 4. Aph. com. 2.

Lib. 2. Epid. sect. prima.

Lib. p. Epid. sect. 2. tex. 46.

Lib. 4 aph. 22

lentis morbi. Sed ex violentia prauorum succorum quantitate superabundantium cum natura à copia grauata, & à qualitate stimulata eorum tentaret excretionem, dum adhuc crudi,& nullo pacto ab eadē natura domiti essent,quare pateat,Galeni sententiam de sectione venæ in eius historia exponēda positam nullo pacto ad pestilentes posse protrahi febres. Sed quoniam sunt & duo alia Galeni loca, quę possent hi ad confirmandam eorum sententiam in medium proferre; ne vllus in hac re supersit scrupulus; ideo & de his duo verba habeamus, veritatemq; rei patefaciamus. In historia mulieris, quæ apud Tisamenum decumbebat, dicebat in fine Hippocrates. nec erat remedio locus. per remedium admonet Galenus interpretandam esse venæ sectionem. igitur vbi locus sit, commonefacit Galenus sanguinem mittendum esse. Similiter dum Hippocrates in historia Calui Larissei dicebat, nihil remediis est profectum, dubitabat Galenus, an per hæc verba posset coniicere, detractus ne ei sit sanguis, vel non, cum sub nomine remedii possit dici, Hippocratem missionem sanguinis appellasse. igitur & in hoc, & in illo ægro venæ sectionem admittit Galenus, qui tamen pestilenti morbo laborauerunt, præcipuè autem hic secundus, qui constitutioni verè pestilenti adscriptus est. At si rectè hæc loca perpēdamus, videbimus etiam ad rem nostram hæc eadem nihil pertinere. primò de muliere apud Tisamenum decumbente, quis affirmare potest eam pestilenti morbo detentam fuisse? cum nec appareat ex ipso Hippocrate, sub quo cœlo ægrotauerit, affectusq;, quo detenta fuit, extiterit Ileos, ex inflāmatione intestinorū genitus, morbus ex sui natura perniciosissimus, ac lethalissimus, tametsi nullus addatur ei pestilens affectus; qui idem morbus etiam est acutissimus, ita vt sæpè eadem die, vel postridie mortem, vel saltèm virium omnimodam prostrationem afferat, cuius ratione sępissimè in eo nec sectioni venæ, nec alteri remedio locus esse potest. De Cal-

Lib. 3. Epid. sect. 2. tex. 7.

Lib. 3. Epid. sect. 3. tex. 78

Caluus Lariseus; de quo 3 Epid. an laborauerit pestilenti morbo, & sub pestilenti constitutione.

tio autem illo, sicut & de cæteris post pestilentem constitutionem in eodem catalogo descriptis, qui verba, & ordinem Hippocratis, Galeniq; expositionem rectè considerauerit, non poterit non affirmare eos sub pestilenti cœlo nō ægrotasse; nec ex eorum esse numero, qui pestilentiæ tempore languerunt, postquam enim Hippocrates communi enarratione & anni constitutionem, & cæli statum, & morbos subsequentes, pestemq; ipsam summo ordine explicasset, ante historias particulariū morborū subiungit hæc verba. De ęgris post tempestatē. ex quibus clarè liquet nō sub pestilenti cœlo, sed post pestilentiā ipsam hos omnes, quorū deinde particulares historias explicauit, ęgrotasse; quod idem innuens clarè Galenus dicebat, sed cum hos ęgros aliud morborum genus tenere, ac commemoratos ab eo in pestilenti constitutione. quod idem confirmare potissimum Anaxionis potest historia inter eas descripta, in quā nullum omnino pestilentis morbi adest, non dicam indicium, sed nec coniectura. Quapropter miror, cum tam clarè loquuti sint & Hippocrates, & Galenus, quomodo inuenti sint, qui asserant hos ægros pestiferis morbis ęgrotasse. sed magis mirandum est de eo, qui Philisci, Sileni, & Herophontis historias, tanquam exemplaria pestilētis morbi proposuit, cum toto cœlo errauerit, indicans hos sub pestilenti cœlo; & pestilenti affectu laborasse, cum neutrum horum veritati consonet, vt supra abundè monstratum est. Caluus autem iste, de quo vltimo loco dictum est, non ex pestifero morbo, sed ex affectu consimili ei, vi cuius & Crito extinctus fuit, necatus est; & ideò, vt vnde digressus sum, regrediar, licèt in casibus prædictis ex Galeni mente venæ sectio probetur, non tamen hinc concludi potest in pestilēti febre, & in reliquis huiuscemodi morbis sanguinis missionem conuenire, quæ nō tantùm in expressis prædictis ægrotantibus à Galeno innuitur prodesse potuisse, sed etiā in multis alijs particularibus ægrotantibus, quorū historias enarrauit

Lib. 3. Epid. sect. 3. tex. 73

Lib. 3. Epid. sect. 3. tex. 81

Lib. 3. Epid. sect. p. com. 3. rauit in Epidemijs Hippocrates, ab eo in expositione ægritudinis Pythionis supponitur patratam fuisse, licèt ne verbũ quidem de ea vnquam fecerit, præterquam in Anaxionis historia, in qua ob nouitatem tarditatis sectionis venæ vsq; ad octauam diem de eadem semel tantum sermonem habuit. Hinc igitur pateat Galenum nunquam venæ sectionis meminisse pro curatione pestilentis febris, sicuti nec in præseruatione, quam ferè ex professo docens ne verbum quidem de ea habuit. Si autem Auicennas alterius fuit opinionis .s. vt sanguinis missionem pro cura pestilentis febris celebrauerit, non est, quod eius authoritati tantum tribuamus, vt rationem ipsam, & veritatem deseramus, & maximè cũ à Paulo, Aetio, & Ruffo hanc sententiam ipse non benè eorum mentem assecutus, desumpserit. qui cum non de curatione, sicut ipse Auicennas intellexit, sed de præseruatione loquerentur, hanc proposuerunt; vnde id, quod ipsi in præseruando laudauerunt, ille in curando admisit. quæ tamen venæ sectio quantum in præseruatione etiam conueniat, superius explicaui, multò magis addictus Galeno, & rationi, quàm Paulo, & Aetio, qui solum antiquorum dicta recitantes plus authoritatis antiquitati, quàm rationi, cuius non multum erant soliciti, tribuerunt. Sunt tamen, qui Auicennæ, prædictorumquè authorum sententiam exponentes, hancq; de vena in pestilenti febre secanda difficultatem enodare tentantes, rem ita explicant. Febres pestilentes duplici inuadere solent ratione, aliæ ab initio pestilentes inuadunt, aliæ verò neque pestilentes inuadunt, neque vllas initio pestilentiæ notas secum ferunt, quæ tamẽ pestilentes futuræ sunt. In prioribus omninò propter virium languorem à venæ sectione abstinendum est. at in posterioribus, quas non pestilentes noueris, pestilentes tamen futuras esse suspicaris, vbi & sanguinis sit multitudo, & cætera consentiant, constantibus adhuc (quantum febris putridæ, sub cuius forma nunc tantum veniunt considerandæ huius-

Lib. p. de diff. feb. cap. 4.

Auicenna de sectione venæ expositio, & examen.

huiuscemodi febris ratio postulat) viribus secanda erit vena, cum in harum curatione nullum commodius, vtiliusuè præsidium esse videatur sectione venæ: hacque intentione, hisq; casibus tantũ asseriũt, Actiũ, & Paulum ex Rufo, quos æmulatus est Auicennas, in pestilentibus febribus venæ sectionem admisisse. Porrò sententia hæc, quæ in duas secta est partes, quò ad primam cum nostræ, ac veritati, quantũ mea fert opinio, consentiat, acceptanda erit. quò ad secundam, quoniam discriminis plena est, diligenti examine discutiatur. Febres, quę nũc pestilentes inuadunt, nec vllas initio pestilentiæ notas secum habent; quas tamen suspicaris futuras esse pestilentes, hæc habent ratione causarum vel externarum, vel intimarum. externæ causæ sunt contagiũ, & cœlum pestilens; internæ sunt prauitas, & corruptio humorum. vbi hoc contigerit ratione causæ externæ, si contagium tollas, & ambientis aeris malam corrigas, quantum arte fieri poterit, qualitatem, dico, quòd tales febres tantùm veniunt curandę, tanquam putridæ, non vt pestilentes: aliàs contagio vagante, & sub cœlo pestilenti quilibet morbus dicendus esset; longè à veritate, & ab experientia, pestilens; sique diligens sit Medicus, & æger ei obediat, ac caueat ab externis causis, non erit suspicandum de febre pestilenti: si tamẽ aliqua ratione prædictarum causarum externarum præsentium superesset suspicio, nihilominus curatio huius febris, cum ea non sit pestilens, non coincidet cũ curatione pestilentis febris; & ideò sectio venæ, quæ in hac competit, non potest dici competere febri pestilenti. Si autem contagium non inhibeatur, nec aeris prauitas corrigatur (quorum ratione immineat certò febris pestilens) dico in hac ratione superuenturi affectus pestilentis non esse (sicuti nec in præseruatione conuenire diximus) secandam venam. quoniam vbi periclitandum sit de viribus, talis euacuatio omittenda est. vbi autem hæc suspicio contigerit ratione causę internæ, quia in febricitante adsint praui, & cor

rupti

rupti humores, vel qui iam putruerint, vel qui iam putrescere incipiant, dico hanc febrem non tantum futuram, sed à principio etiam esse pestilentem, licèt hoc ab initio non ità pateat. dicoq; in hac Medico, qui acerrimi sit iudicij, qui què possit illam febrem certò iudicare, ægrotantem indigere, nè indiscriminatim parata remedia eum in mortem præcipitent. censeoq; in hac, perindè ac in priori, non esse secandam venam; si enim in priori non est, quia vires in ea labant, secanda vena, nec in posteriori, quæ verè erit pestilens, & cuius ratione vires labefactabuntur, & succumbêt, eadem admittenda erit; non enim tantum, vbi vires languent, sed etiam vbi languidę necessariò futuræ sint, venæ sectio excludenda venit, cuius merito Galenus in libro de cibis boni, & mali succi dicebat, nō absq; ratione Medicos tunc temporis in illis pestilentibus affectibus à venæ sectione abstinuisse, quandoquidem vires resoluebantur. si autē huiuscemodi febris à principio nec pestilens, nec vlla pestilentię signa secum habere videatur, hoc non alia contingit ratione, nisi quia circa initia omnia imbecilliora apparent; & ideò cum in harum febrium initio totam non deprompserit materia peccans prauam qualitatem, cumq; nondū virtutes concussæ sint, non apparent pestilentes, quæ tamē à Medico præstanti pestilentes iudicari possent. quapropter credo egò hanc sententiam inuectam esse solum in excusationem eorum, qui tales febres à principio non integrè futuras esse pestilentes agnoscunt, indéq; sine ratione sectionem venæ administrant. quas si certò indicarent futuras esse pestilentes, non possum mihi persuadere eos in eis venæ sectionem administraturos fore. At vltra hæc redarguat hos, & confirmet has febres ab initio esse pestilentes, numeratio dierum in hisce febribus facienda, per quam cognoscent febres has, quas ab initio non pestilentes supponunt, esse à prima inuasione pestilentes. cum hęc dierum numeratio certos nos reddat tale genus febrium vnicam

Lib. de cib. bo ni, & mali suc ci in primo.

esse ęgritudinem,& nō duos morbos;& quoniā & crises, & mutationes omnes à prima die numerabūtur. Cum autem asserunt has febres, quæ à principio nullas pestilentiæ notas secum ferunt, aliquando degenerare in pestilentes, vel hoc intelligunt in casu, in quo vnus morbus alteri superuenit:& tunc cum sint extra terminos pręsentis controuersiæ, nihil ad nos facit dictum eorum. vel intelligunt in casu, in quo eadem febris, quæ non erat pestilens, pestilens euadat,& tunc dico hoc non posse contingere, nisi ex causis externis, de quibus abundè superius actum est, in quo casu demonstratum est, quando venæ sectio administranda veniat; si enim ex causa interna hoc contigerit, hoc non poterit esse ratione ipsius morbi, qui sui natura prauā nō est adeptus conditionem, sed hoc euenit tantùm ex Medici vel ignorantia, vel negligentia, seu ex ægrotantis inobedientia, aut ex importuna remediorum administratione, vel infœlici,& malè fortunata occasione:quorū ratione licèt materia putrescens prauam acquirens qualitatem febrem procreare queat pestilentem (quo casu licebit quidem stante priori febre secare venam)nihilominus hic non erit casus pestilentis febris, nec in eius contemplationem administranda veniet hæc sanguinis missio. Qui autem semper in his casibus (cum à principio febrem non pestilentem, quam morbi progressu postea pestilētem agnoscunt, indicarint)ad nouæ materiæ motum refugiant, nunquam veræ declinationis indicia, nec veri status, nec aliorum temporum veram rationem habere possint, sed penès hos semper omnia indistinctè, ac confusè manerent, semper imminente motu alterius nouæ putrescentis materiæ, nec hinc vnquam vnitatem morborū seruare possent. quorum exempla plurima cum Hippocrates, & Galenus enumerauerint, in illis tamen nunquam ab eisdem ne minimum quidē huius nouę materiæ motus verbum factum est. Materia quidem pestilentis febris, quæ in loco ignobili, longèq; à principalibus membris putrescebat

Motus nouæ materiæ in febribus pest. an sit admittēdus.

bat;ad nobilia loca, & principalia membra nonnunquam commouetur, ex morboq; , qui salubris videbatur, lethalẽ propalans casum, ægrotantes in extremum vitæ discrimen præcipitat: attamen hic vnica est materia peccans, & vnus est morbus, cui adaptari nullatenus nouæ motus materiæ potest, nihilominus hi sunt illi casus, in quibus inexperti Medici, qui febrem à principio integrè non cognouerunt, dũ sæuitiem, & periculum ingens ex commotione materiæ ad loca nobilia, & principalia,dũq; signa clarissima (quæ prius non ita in summo erant) febris pestilentis ex virtutum concussione, & languore animaduertunt, ad nouæ materiæ motũ confugientes ab imperitia non cogniti morbi se expedire nituntur. Quare si ex non pestilentibus pestilentes fiãt febres, hoc nõn ex noua putrescente materia; sed ex causis prædictis, quibus eadem, quæ prius putrescebat, materia,nouam ex putredine,nouã ve ex causa acquirat qualitatem, continget; vnde ex non pestilentibus in pestilentes degenerabunt, in quibus semper hoc axioma verum erit, nunquam ratione pestilentis affectus secandam esse venam. Ex his igitur liquet in febre pestilenti venæ sectionem nullatenus admittendam esse, sed cum veniat minoranda materia, sanguinemq; detrahere ad exonerandam naturã, & ad obstructiones tollendas, & corpus euentandum non solum quandoq; conueniat, sed etiam nonnunquam necessitas instet, erit ne via, qua huic indicationi satisfacere absq; ægrotantis discrimine, nec vires dissoluendo, nec spiritus exhauriendo queamus? erit profectò, vt maturè hanc rem consideranti patere potest: Si enim sanguinem mittamus,qui nõ per venam latam,nec affatim effluat,quorum ratione copiosa spirituum resolutio causatur, sed qui guttatim, & per angustas venas, per quas etiam consuescat natura nonnunquam sanguinem impurum, & molegrauantem excernere, educatur; huic indicationi de minoranda materia tutò, & cum vtilitate ingenti facere satis poterimus,talis autem sanguinis

Sanguinis missio ad minorandã materiã in feb. pest. qua via agenda sit

guinis missio erit per applicationem hirudinum ipsis venis hæmorrhoidalibus, quibus sæpe utitur natura ad expurgandum limosum, & copiosum sanguinem; quæ sanguinis missio vltra id, quod euacuat per loca conuenientia, & sæpe destinata naturali excretioni, his omnibus donata est, quæ desiderare debemus in tali eductione; nam guttatim euacuat, & per angustissimas venas sanguinem ducit, & maximè reuellit ab intimis partibus, in quibus solet incendium adesse, & morbi fomes, & etiam à superioribus, ad quæ repens materia peccans solet diuersa producere sæua, & lethalia symptomata. in manibusq; nostris est, eam modò copiosiorem, modò parciorem reddere, & eandem modò accelerare; modò protrahere, sinendo, vt longiori tempore, & non breui eadem sanguinis quantitas educatur. quare talis sanguinis missio maximè conueniens erit pro minoranda febris pestilentis materia, à meq; pro tutissima, & vtilissima in huiuscemodi pestilentibus morbis euacuatione celebratur, adeoq; tuta est, vt etiã languentibus viribus in tali casu summa cũ vtilitate à prudenti Medico administrari possit, vt millies experientia, & felicissimo rei euentu ego expertus sum. nã per hanc non tantùm exonerata natura, sed etiam reuulsa à corde materia, quæ praua, & maligna qualitate cor ipsum obsederat, vires, quæ conciderãt, roborantur; pulsusq; qui paruus, & languidus erat, maior statim ab hac euaquatione, & vehementior factus est. quapropter adeò tuta est talis sanguinis missio, vt non tantum eo tempore, quo vires nõ sunt collapsæ, sed etiam cum languent, dummodò in totũ non sint prostratæ; quoniam tunc nulla conueniens est euacuatio, tutò, & summa cum vtilitate administrari potest. Quemadmodũ autem hanc hirudinũ administrationem, tũ quia spiritus, sicuti venæ sectio facere solet, non affatim exhaurit, tum quia validè à partibus internis reuellere potest, in primis, ac mirum in modum celebro; similiter & scarificationem partium inferiorum in huius febris curatione,

tione, quia & euacuat non dissipando spiritus, & multum ad reuellendum pollet, admodum opportunam censeo, quam Apollonius in ea vehementi pestilentia, quæ Asiam peragrabat, in seipso (vt refert Oribasius) fœliciter expertus docuit alios prosperè hac vti, cuius merito multi, qui hanc in vsum receperunt, saluati sunt, præcipuè autem hi, in quibus signa plenitudinis extitissent, quibusq; hac mediante sanguinis copiam minuissent. Si autem casu detur, vt hæc fieri nõ possint, deficientibus, aut hirudinibus, aut ministro idoneo, vel renuente ęgro, vel impedimento alio existente, succedant cucurbitulæ scarificatæ, quæ partibus superioribus nequaquam applicentur, sed inferioribus tantùm, si cuti ad ilia, ad nates, & ad coxas, non autem ad spatulas, nec è regione thoracis, quoniam à corde reuellendum, & euacuandum, nõ ad ipsum attrahendum est. licètq; aliquibus videatur in his locis appositas cucurbitulas conuenire, quia à centro ad circunferentiam ducunt, indeq; materiam à corde ad extimas partes trahere possint, tamen hoc pro confesso habeatur etiam multum nocuas esse, materiam, quę reliquum corporis occupat, ad partes superiores, ad ipsumq; thoracem attrahendo. animaduertatur etiam ex hac appositione maiorem virium resolutionem in aliquibus succedere, ac timendam esse, quàm ex prædicta exposita hirudinum applicatione; quoniam per has violẽtus fit attractus, magnaq; fit agitatio humorum, & summa cum celeritate, (quorum nullum est in hirudinibus applicitis) fit hæc actio. quare vbi hæ applicari possint, semper potior, & eligenda magis est harum applicatio, quàm cucurbitularum. quæ tamen sæpe etiam post hirudines administrandæ veniunt, sicuti cum illæ minorationi materiæ in totum non satisfecerint, vel habita e[illegible]inoratione adhuc validiorem à partibus internis desideramus, & tentamus reuulsionem, cuiusmodi est potissimum casus Ruffi, videlicet, cum calor naturalis suffocatur, partesq; exteriores refrigerãtur, semper tamen

Orib. lib. 7. collect. medici. c. 20.

Cucurbitulæ in feb. pestilente quibus partibus applicandæ.

tamen habita hac consideratione, vt vires non admodum languidæ, & ferè prostratæ sint, & ad partes inferiores hæ apponantur. Si autē casu contingat, quòd proponatur mulier curanda, vel cui suppressi sint, vel cui instent menses, at non fluant, tunc dimissa euacuatione per hęmorrhoides deuenirem ad sectionem venarū inferiorum in talo ipso, à quibus non est timenda ea virium debilitas, nec ea spirituum resolutio, quæ à superiorum venarum sectione impendet. & si quoquo pacto virium languorem timerem, non ad sectionem earum venarum descenderem, sed ipsis, ac eisdem inferioribus venis hirudines validiores applicarem, ex hacq; candem sperarem, quam ex priori euacuatione, vtilitatem: in quo etiam casu admitterem cucurbitulas coxis tantùm, & partibus inferioribus, non supra coxas appositas; ita enim possemus & menses prolicere, & materiam minorare, & ab intimis, & superioribus reuellere. Quibus peractis si viderē partes superiores, sicuti cerebrum, à praua, & copiosa materia occupatas esse, laudarem; vt ad intra penitiores narium partes applicarētur hirudines, quarum ratione ita exoneratur cerebrum, totúmq; corpus ita alleuiatur, vt viderim ego plurimos morti proximos, & ferè solo prognostico derelinquendos, ex hoc vnico remedio saluatos esse; hoc tamen summa cum ratione fiat, tempóreq; opportuno, quoniam plurima remedia, licèt nobilia, si indiscriminatim, & importunè adhibeantur, vt plurimum nō salutem, sed mortem ægrotantibus afferre consueuerunt, & hæc de sanguinis missione.

Mensibus instātibus quid agēdū pro minoratione sanguinis.

Hirudines naribus applicatæ quantū conferant, & quā do hoc sit agēdum.

An conueniat pharmacia pro minoranda materia in febre pestilenti. Cap. XXII.

PHarmacia, alterū pro minoranda materia propositum remedium, consideranda succedit, quam eorum, qui artem curatiuam docere profitentur, plurimi sentiunt à principio in hisce febribus administrandam esse, nulla expectata

Pharmacũ an sit exhibendũ in feb. pest. cruda existẽte materia.

materiei peccantis concoctione; quoniam, dicunt, si materia turgens quamprimum est euacuanda à principio morbi, dum adhuc est cruda, nè vagans per ambitum corporis tandem ad aliquam ex principalibus partem repat, eamq; occupet, tantò magis, vbi materia occupauerit cor vitæ fontem, (quod est ea pars, quæ principaliter à materia pestilẽti afficitur) quàm primum educenda erit, nulla eiusdem nec tentata, nec præparata coctione. Quod eò magis agendum esse confirmant; quoniam materia in his febribus peccans toto genere à natura aliena est; cum enim sit corrupta, venenatamq; qualitatem conceperit, omnino facta est à natura extranea: quod autem omninò à natura alienum est, & extraneum, nulla fieri ratione potest, vt id naturæ suæ gratiam recipiat; qua de re (vt docebat Galenus) in curatione lassitudinis vlcerosæ, educere id quamprimum tentandum est, æquè certè, vt quæ in ventre corrupta prorsus sunt, ea vel vomitione, vel deiectione expelli statim profectò est optimum. Præterea, addunt, materia in febre pestilenti peccãs habet rationem veneni. cum autem venenum nõ concoqui, cum concoctionem non recipiat, sed statim debeat è corpore educi; ideò & similiter in febre pestilenti materia peccãs, quæ coctionem ratione venenatę qualitatis non admittit, in corpore non sinatur quiescere, quia agendo semper propria praua qualitate inficit, & corrumpit corpus, sed statim educatur. Accedit, quòd medicari in acutis eadem die, si materia turgeat, bonũ est: at febris hæc vtplurimum est ex acutis, & in his materia turget. turget autem, quoniam non tantùm ea, quæ de loco ad locum indeterminatè mouentur, sed ea etiam, quæ mouentur in loco propter eius ebullitionem, turgent; & ideò, cùm fiat ebullitio huius materiei in venis propè cor, vel in eius ventriculis, & inde turgeat, à principio pharmaco statim euacuanda erit. Hoc idem qualitas motus febris pestilentis indicare potest. nam cum in hisce morbis crises maiori ex parte ad malum tẽdant, in mortemq;

Lib. 4. Aph. com. ij.

Lib. 4. de tuenda valet. in prin.

Lib. 4. Aph. ij.

temq; non tantùm hoc experientia, sed idem testante Galeno, terminentur, crisim vtiq; medicus non expectare, sed ante crisim, & sic materia existente cruda, euacuare debet, neque tunc vana erit hæc euacuatio, aut periculosa, vt iudicandum est fore eam, quam crisim expectantes habebimus. Confirmant hoc Hippocratis, & Galeni authoritate; nam Hippocrates narrans successum morborum pestilentium, dicebat, quòd hi præcipuè sanabantur, in quibus natura per suppurationem abscessum molita esset, aut quibus cōmodè aluus turbata erat, aut vrinarum bonarum excretio superuenisset. Galenus autem, dum curationem vlcerum asperæ arteriæ traderet, obiter meminit eorum, qui pestilentiæ temperie eodem vitio laborarunt, dicens. Hi mihi facilè sanati videntur, quòd præsiccatum ijs, prępurgatumq; totum corpus fuerit, quippè cum & vomuerint ex ijs nonnulli, & omnibus venter profluxerit. ex quibus deducunt purgationes statim conuenire, cum testimonio & Hippocratis, & Galeni hi potissimum saluentur, quibus per aluum excrementorum copia excreta, & expurgata sit. Sententia hæc, quamuis ab excellentissimis viris recepta sit, probabiliq; ratione sit munita, ac videatur consona Hippocratis, ac Galeni doctrinę, tamen meo iudicio non est admittenda, quoniam & rationi, & Galeni, ac Hippocratis placitis, vt euidētissimè probabitur, cōtradicit. Clara est, & celebris illa Hippocratis sentētia, quòd cōcocta tantùm medicari oporteat, neq; in principijs morborū vnquā pharmaco, nisi materia turgeat, vti debemus. Hanc admiratur diuinissimus Galenus, huicq; omni applausu sępe adstipulatur, sępiusq; eius, & in cōmentationibus, & in libris propriis mētionem fecit. Huius sententiæ ea est ratio; quoniam in principijs morborum, dum materia adhuc est cruda, cum bono malum admixtum est, calorq; præter naturam materiei peccanti prædominatur. hinc fit, vt in principio morbi cruda existente materia, si pharmaco tentetur euacuatio, reluctante calore

Lib. 3. Epid. sect. 3. tex. 29

Lib. 5. Meth. cap. 12.

Lib. p. Apho: 22.

Concocta quare tantū medicari oporteat, nisi in casu turgētis materię.

preter naturam, qui in materia peccante predominatur, bonum, non malum, naturalis humor, non putrescens phar maco cedat, indeque insons potius, quàm peccans, mate- ria educatur, cuius ratione fastidia, anxietates, colliquatio- nes membrorum, lucta, & labor virtutis succedit, quæ ma la superuenientia solent in perniciem ægrotantium sæpe terminare. si autem contigerit materiam non mixtam, sed separatam esse, per corpusq; vagare, vt indeterminatè mo dò ad vnam partem, modò ad aliam commoueatur, quo casu turgere dicitur, pharmaco, nisi quid impedimento sub- sit, antequam vires dissoluantur, vel febris augeatur, vel ad aliquod membrum principale eadem materia decumbat, statim educenda erit: quo casu materiam cedentem, excre tioniq; paratam, & naturam adiuuantem habebimus, cuius ratione nihil eorum, quæ in materia cruda, & mixta eua- cuanda superuenire diximus, timendum erit. hinc Diuinus ille senex summa cum ratione conclusit, nos debere tantùm concocta medicari, à materia autem cruda pharmaco absti- nendum esse, nisi eadem turgeat. Quam sententiam ita ge- neralem expresit Hippocrates, vt eam Galenus in febrili- bus morbis semper absque vlla limitatione seruandam do- cuerit: quare mirari non desino eos, qui præter Hippocra- tis, ac Galeni mentem hanc sententiam coarctare ausi sunt, ab hac excipientes pestilentes morbos, in quorum curatione monẽt hanc aphoristicã doctrinã nõ seruandã es se, perinde, ac si Hippocrates, & Galenus nec hosce pesti- lentes morbos nouissent, nec eorum vnquam meminissent. sed stat hoc fundamentum (quòd concocta tantùm sint me dicanda, nisi materia turgeat) firmum & stabile, ab omni- busq;, qui Medicam artem summa cum ratione facere pro- fitentur, acceptandũ, sicutiq; in cęteris febrilibus morbis, ita & pestilentibus obseruandũ, quemadmodũ nunc rationi bus, & sentẽtijs ex aduerso deductis satisfacientes expresè declarabimus. Duo in prima ratione habentur; alterum est,

quod

quòd materia in febre pestilenti peccans cor nobilissimum omniū membrorū occupauit, & ideò statim pharmaco euacuanda est, alterum, quòd si materia turgens à principio educenda est; antequā aliquod viscus principale obsesserit, eò magis, vbi in viscere nobili est firmata, erit quamprimùm purgante medicamento soluenda. Primum contradicit tū Hippocrati, tum Galeno. Hippocrati quidem; quoniam nunquā ipse admittit pharmacum, nisi concocta materia, vel eadem turgente in principijs morborum. at in casu nostro, nec materia est cocta, nec turget, vt inferius declarabitur. Galeno autem, qui in cōmento Hippocratis dicebat, Eos verò, qui sunt in aliqua corporis parte firmati, neque vllo alio auxilio mouere oportet, neque medicamento purgare conuenit ante coctionem. Secundum est purum sophisma; quoniam dicere materiam occupantem nobilissimum viscus ideò statim pharmaco purgandam esse, quia ea turgente statim euacuanda est ob timorem, nè ad illud repat, in eoq; firmetur, est dicere, quòd siue materia turgeat, siue firmata sit in principali viscere, æqualiter, pariq; ratione pharmaco à principio sit educenda. quæ sententia ex diametro opponitur menti, & doctrinæ Hippocratis, & Galeni, qui semper docuerunt aliam esse rationem turgentis materiæ, aliam firmatę. illamq; semper euacuandam à principio, hanc autem nunquàm, nisi coctā pharmaco tentandam esse. immo non alia ratione turgentem statim euacuari, nisi quia, si in aliquod principale viscus postea erumpat, in eoq; firmetur, non amplius potest, nisi concocta medicamento purgante, educi. Cum autem nituntur confirmare materiā pestilētis febris, cum omninò sit à natura aliena, & nequaquam coctionem admittat, statim etiam crudam existentē euacuandam esse exposita Galeni sententia in curatione lassitudinis vlcerosæ, dicentis, quod alienum omninò est, cum naturæ suæ gratiam amplius recipere non posit, quàmprimum educere è corpore tentandum est. Animaduertant

Occupato corde à mā, an liceat exhibere pharmacū, cruda ea existente.

Lib. p. Aph. com. 22.

An quod omnino à natura alienum est, stā te cruditate sit pharmaco statim educendū.

Putrescentis, & non putrescentis materiæ sunt diuersæ ratiões quò ad purgationē faciendam.

hi aliam esse putrescentis materiæ rationem, aliam non putrescentis, aliamque esse coctionem, de qua eo loco Galenus, & aliam, de qua Hippocrates, & Galenus simul aphorismo citato loquuti sunt. materia non putrescens, cùm fuerit à natura aliena, sat erit, quòd nullum pro sui euacuatione, vel ratione viarum, vel ratione propriæ substantiæ habeat impedimentum, videlicet, quòd corpus fluidum, & apertum sit, & quòd substantiæ non sit crassioris, cuius ratione difficilè moueatur; tunc enim statim est euacuanda, & facilè nullo subsequente incommodo euacuabitur; quoniam à calore naturali, per quod pharmacum actuatur, & cuius proprium est excrementa, & noxia, & inutilia expellere, talis euacuatio dirigitur, & perficitur, & in hac nulla est expectanda coctio; quoniā nulla indigemus in tali euacuatiōe, sed statim ad pharmacū accedendum est, & de hac loquutus est Galenus in cura lassitudinis vlcerosę, in qua lassitudine nec materia putrescit, nec morbum facit. At materia putrescens (quoniam reluctatur calor præter naturam, qui in ea prędominatur) non obedit medicamento, quoad à calore naturali nō fuerit euicta, ab eaq; eum ornatum, quem recipere potest, non habuerit; & ideò hæc nunquam nisi concocta, & nisi vijs præparatis pharmaco est soluenda, vt est in casu, de quo loquimur, in quo etiam ea coctio materiæ peccantis desideratur, de qua Galenus super locum Hippocratis dicentis, quæ mala sequantur, vbi in morbis acutis ex uasorum inanitione ante vigorem ad sorbitiones ægri transeunt, in quo monet excrementa ea cruda vocari, quę à natura euicta non sunt, quæ autem euicta, concocta dici; quæ coctio tunc perficitur in excrementis, & humoribus peccantibus, cum natura causis morbificis fortior fuerit, easque suo robore permutauerit. ex quo humores expulsioni parati, non amplius reluctante, sed superato calore præter naturam, facilè, & absque vllo ægrotantis discrimine medicamento cedunt, & de hac co-

Coctio est duplex.

Lib. 2. de rōe vict. in acutis com. 44.

ctione

ctione loquuti sunt Hippocrates, & Galenus in aphorismo illo. Altera est coctio, dum ea, quæ euicta à natura sunt, corpus postea nutrire possunt, quæ propriè dicitur, & verè est coctio, & de hac loquutus est Galenus in curatione lassitudinis vlcerosæ, in qua eius erat intentio, cum non morbos curare, sed sanitatem tueri intenderet, ea omnia, quæ corpus non nutrire, sed lædere possent, quoniam à natura aliena essent, euacuare; & ideò dicebat hæc nullam naturæ gratiam amplius recipere posse; quoniam nutritioni inepta erant: quare cum veram coctionem admittere non possent, inutiliaq; naturæ forent, quàmprimum dicebat ipse, tentandum esse, vt à corpore educantur. quapropter pateat sententiam eam Galeni nihil sententiæ nostræ aduersari, nec posse pestilenti febri in vllo adaptari. Quòd autem, cũ in hac febre materia peccans veneni rationem habeat, sicuti venenum, statim è corpore educi debet, cum nec coctionẽ, nec alterationem à natura recipere possit: & quò diutius id in corpore manet, eò magis lædere aptum sit, similiter hæc materia pharmaco, quàmprimũ euacuanda veniat, vt quæ ratione venenatæ qualitatis nec coctionem, nec alterationem à natura admittat, moràq; diuturna hominem ad interitum ducat. dico ex hoc exemplo non concludi pharmaciam à principio in febre pestilẽti administrandam esse. quoniam venenum quidem, dum est in intestinis, & in ventriculo, ac vijs communibus, omni ingenio statim euacuandum est; quoniam à natura nec coctionem, nec alterationẽ recipit. at si ad intra venas penetrauerit, humoresq;, & partes internas infecerit, nõ pharmaco purgante, ex quo mors potius accelleraretur, quàm impediretur, quoniam vbi venenũ progressum est, purgantia pharmaca, nisi à proprietate agant, agitando humores periculum adaugent, sed antidotis, & alexipharmacis agendũ est. At in casu nostro nõ in vijs ductuum adest materia peccans, sed circa viscera, & in venis, in quibus commixti sunt boni humores cum prauis,

Materia veneni rationẽ habens an statim pharmaco educenda sit, stãte eius cruditate.

In venis nõ datur sicerus hu

mor, nisi in casu turgētis materiæ.

uis (nam ad intra venas non datur syncerus humor, nisi in casu turgentis materiæ) continetur, tuncq;, licèt materia adsit venenata qualitate infecta, deturq; indicatio, vt euacuetur, tamē in principio commodè euacuari non potest; cum nulla adhuc in eo facta sit alteratio à natura, nec bonum à malo sit separatum, & in ea prædominetur calor præter naturam, cuius ratione facilè non cedet medicamento. hæcq; materia, licèt veneni naturam sapiat, non tamen (hoc animaduertatur) venenum est, in hisq; est disparitas magna; quoniam venenum à natura nunquam domari potest, sed solis antidotis superatur: at hæc materia alterationem, & coctionem à natura recipit, sępiusq; ab eadē euincitur, etiam nullo adminiculante, vel per crisim educta, vel per abscessum excreta, vel alio quouis modo superata, vt sæpius visum est, non dixerim in pestilentibus tantùm febribus, quæ inter sporades accesserunt, sed etiam in his, quæ pestilentiæ tempore sæuierunt: vnde cum à natura hęc materia euinci posśit, nec verè venenum sit, eiusdem concoctio expectāda ante pharmaci exhibitionem erit. Addebant hi in febre pestilenti materiam turgere ob eius ebullitionem circa viscera, & in venis magnis propè cor, vel in eius ventriculis, quæ cum sit sæpius ex morbis acutis, ideò hæc materia à principio erit in febribus his expurgāda; quoniam medicari in valde acutis eadem die; si materia turgeat, bonum est. At hi decepti sunt, iudicantes in pestilenti febre semper materiam turgere, cum nequaquam semper turgeat, immo rarisśimè turget. turget enim ea tātùm, quæ ad exitum paratisśima, ac ad euacuationem properans, vt in commētatione Epidimiarum dicebat Galenus, existit; & quæ, vt idem declarabat, dum Themisiones hyeram examinaret, cum in motu sit, excretioniq; propensa, nec firmam aliquam inclinationem, nec stationem ad vnam partem habet: at in febre pestilenti vt plurimum firmata est materia, & stationem firmam habet vel in corde, vel circa cor,

Materia peccans in feb. pestilēti an vere turgeat.

Lib. 4. Apho. 10.

Lib. 6. Epid. sect. 2. com. 9.

Lib. 8. de cōp. mod. secūdū loca.

Materia turgens quæ sit.

vel circa viscera, vndè nec ad exitum parata est, nec ad excretionem properat, qua de re non est dicenda turgens, & cũ non turgeat, pharmaco à principio, dum est cruda, licèt febris hæc aliquando sit acutissima, non est mouenda. Ad id, quod asserunt in hisce febribus, vtplurimum prauas crises accidere, quas præuenire oporteat pharmacia, fateor in his sæpius nec coctionem, nec crises videri. & si hæ nõ nunquã videantur, malè apparere, cum in perniciem ęgrotantium vtplurimum appareant. addo tamen quandoque bonas videri crises, ex quibus saluentur etiam multi, vt experientia testatur, & quemadmodum Hippocratis, ac Galeni authoritate inferius comprobatur. Si autem crises proficuę, & vtiles in his febribus aliquando superuenire consueuerint, non est, quòd malas semper timere debeamus, ratione quarum pharmaco ante coctionem vti audeamus. immo ratio dictat, quòd si morbus sui natura sit lethalis, pharmacũq; cocta nõ existente materia, exhibeatur, virtus inita purgatione, celerius, quàm non inita, exoluetur; cum ad euacuationem materiæ crudæ consequantur ea symptomata, & mala, de quibus superius: vnde interitus ęgrotantium citius exhibito, quàm non exhibito pharmaco, procurabitur. Ad Hippocratis authoritatem nihil dicendum esset; quoniam qui non dormitante animo eius dictum considerabit, animaduertet Hippocratem per illud verbum, commodè, rem ipsam explicare, per quod non aliud secundùm eius placita, & fundamenta vult significare, quàm qui bus cocta materia fluxus alui superuenerit, hi saluati sunt; quoniam ea commoda est euacuatio, quæ fit euicta materia à natura ipsa; cruda enim existente materia, & incipientibus morbis ipsis, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturę ratione, sed sunt omnia hæc casus præter naturam earum, quæ sunt in corpore, dispositionum; quo enim tempore à causis morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid benè euacuari est impos-

An pharmaco sint præuenienda praua crises i feb. pesti.

Lib. 3. Epid. sect. 3. tex. 29

Hipp. & Gal. an sēserint euacuationes factas in febre pest. cruda existenti mã esse vtiles.

impossibile: quapropter commoda ab Hippocrate non dicitur, nisi ea euacuatio, quæ materia iam cocta existente, superuenit. Galeni autem sententia in oppositum adducta (dum habet eos saluatos fuisse, quibus corpus præsiccatum, & perpurgatum ratione fluxionis alui fuerit) nullo pacto potest intelligi nec de principijs morborum, nec de materia cruda, tum quoniam nè verbum quidem hoc in loco habet Galenus, per quod hæc innuere possit; tum quo niam hoc esset ex diametro oppositum eius doctrinæ, quæ omnem euacuationem cruda existente materia detestatur, sicuti infinitis in locis, præcipuè autem in libris de Crisibus apparet, quorum fundamenta, & rationes omnes corruerent, si hoc admitteretur. Si quis tamẽ Galeni libros reuol uerit, diligentiq; animo considerauerit, inueniet, Galenũ hunc ipsum locum explicantem, & hoc præcipue, dum docet, quomodo deiectiones nigras malas esse, sit intelligendum; ibi enim particulariter mentionem habens huius pesti lentiæ, de qua loquebatur in superiori loco, ac docens, quæ alui fluxiones in hac proficuæ fuissent, dicebat in mor bis illis pestilentibus à principio, & in augmento fluente aluo excreta fuisse flaua, & rufa colore colliquamenta, quæ symptomatis vice, & colliquationis ratione procedebant, morbo autem consistente nigra deiecta fuisse, per quę ægri saluabantur, cum à principio nunquam ad bonum fieri pos sint hę excretiones, vnde hæc verba subiungebat. Quare ab initio quidem nunquam ad bonum fiunt huiuscemodi deiectiones, magnam visceris læsionem ostendentes, ad morbos verò consistentes sequuntur sępius, natura superflui tates expurgante. Quapropter hinc pateat authoritatem hanc Galeni non posse non ita intelligi, videlicet, eos saluatos esse, quibus aluus non in principijs morborum, sed eis consistentibus, cocta materia, & dominante natura, fluxerit: ex quo deduci non poterit in pestilenti febre statim à principio cruda existente materia exhibendum esse pharma cum.

Lib.4. aph. com. 21.

cum. Constituamus igitur in hac febre pro minoranda materia non conuenire pharmacum. per pharmacum autem intelligatur id, quod electiuè purgat, de quo contro uersa est quæstio; quoniam de leniente pharmaco alia potest, & debet esse ratio. cum enim de sanguinis missione cogitauerimus, vel ad medicamenta alterantia, & concoquentia deueniendum erit, nulli dubium est, q̄ lenita prius aluo, & vijs communibus ab excrementis expurgatis, hæc cogitanda erunt. Ista autem alui lenitio duplici potest parari via, scilicet vel pharmaco lenienti, vel clysterio. quorũ vtrunq; probo; sed hac distinctione habita, quòd vbi tantùm feces erunt excludendę, clysteria præferantur: vbi autem & viæ etiam superiores emundandæ erunt ob præcedentes cruditates, seu propter aliquam aliam consimilem occasionem, vel aluus admodum stiptica fuerit, in usum veniat potius pharmacum leniens, quàm clystere. clysteria non sint acria, quę erunt imponenda; quia exagitant materiam, & corpus calefaciunt, sed lenia, quæ refrigerare, & prauę qualitati simul aduersari possint; vt si pro decoctione cum herbis lenientibus, & refrigerantibus admisceantur rosarum flores, dictami folia, iuniperi baccæ, cortices citri, & consimilia, quorum magna est sylua, addito oleo violaceo, vel amigdalarum dulcium cum melle rosaceo, vel saccaro rubeo. Pharmaca lenientia pauca sunt, quę in vsum hunc venire possint. inter cętera erit Manna conuenientissima, nisi ad intus magnum sit incendium, febrisq́; sit ex genere ardentium, quoniam tunc vitanda erit; cum enim sit quoddam mellis genus, facilè in corpore bilioso, & vbi sit incendium, vertitur in bilem. Syrupus rosatus solutiuus maximè etiam mihi probatur, si recens sit, & rectissimè paratus; quoniam ratione rosarum aduersatur prauæ qualitati, in moderata tamen exhibeatur quantitate; quoniam si plurimum eius in notabili quantitate assumatur, ex lenienti fit medicamentũ electiuè purgans, vnde postea vitiores vertere-

Alui lenitio quibus procuranda in feb. pestilenti.

Clysteria qualia esse debeāt.

Lenitia pharmaca exhibenda in feb. pestilenti.

teretur. Agaricũ etiam summoperè cõmendo, parcè, & recta cum ratione sumptum. hic enim ad venena hausta efficax est antidotus, vnde & euacuando multum prodesse poterit. Epithymi, senæq; decoctio in iure pulli, vel stillatitia aqua confecta, additis floribus cordialibus, & quæ eorum nocumenta tollere possunt, à me etiam laudantur. Thamarindos etiam propono: sed quoniam vias exasperant, vbi obstructiones validæ sint, earumque sit timor, non ita tutò eorum vsum commendo. An cassia conueniat ratione humectationis propriæ, potest esse dubium. tamen eam etiã quandoq; admitterẽ, at non solã, sed vel admixta Hyera Galeni, vel speciebus de arrhodo, vel aliquo simili medicamento, quod possit eius humiditatem refrangere, membraq; interna roborare: hanc autem præcipuè exhibendam duco, vbi viæ exasperatæ forent, lenientiumq; medicamentorũ vsus desideraretur; quo casu excepto, eam omnino dimitterem. Hæc sunt ea pharmaca, quæ mihi probantur in casu nostro, quorum pro diuersitate materiæ peccantis, & assumentis status, vnum magis, quàm alterum à prudenti medico eligatur. in quorum vsu hoc repetã animaduertẽdum esse, vt solum abundantibus superfluitatibus, vel in ventriculo, vel in cęteris communibus ductuum vijs in vsum veniant. his enim non præsentibus, ad excludendas feces clisteria lenia satisfacient: quo casu si illa exhibeantur, poterit eorum vis ad intra venas forsan permeare, ibique materiam crudam quoquo pacto exagitare. Medicamentum autem Ruffi, pillulas de tribus, cæteraq; similia pharmaca prudens prætereo; quoniam eorum caliditatem in principio huius febris timeo: Validiora autem prætermitto; quoniam lenientia tantùm, & non electiuè purgantia exhibenda esse, commendo.

De concoquentibus, & alterantibus, & euacuantibus ad ministrandis in febre pestilenti. Cap. XXIII.

IMminuta materia, medicus ad tollendas obstructiones, & ad residui coctionem, & alterationem accedat. obstructiones tollentur per eadem remedia, per quæ coctio procurabitur; in quorum vsu semper vitentur ea, quæ has manutenere, vel augere possunt; concoquentia sint ea, quæ materiam peccantem respiciant, vnde pro diuersitate humoris peccantis diuersa assumenda erunt. In materia calida conueniẽs erit syrupus acetosus simplex, syrupus de succo acetosæ, syrupus de acetositate citri (huiuscemodi acida medicamenta in consimili casu semper alijs præferantur) syrupus rosatus recens, syrupus de sonco, & omnes cicoracei, syrupum de agresta, de succo granatorum, mirtiuum, & consimiles consultò prætermitto; quoniam exhibiti nimium obstructiones ob eorum adstrictionem adaugent. diluantur hi syrupi cum decoctionibus earundem, vel similiũ herbarum, vt pote acetosæ, hepaticę, sonci, reliquorumq; cicoraceorum. In materia frigida sit in vsu mel rosaceum, oximel simplex, syrupus de scordeo, syrupus de corticibus citri, syrupus de betonica, decoctiones sint ex ijsdem, vel similibus, vtpote agrimonio, myrrhide, seminibus citri, radicibus tormentillę, pentaphilli, Gentianæ, dictami albi, & quæ huiusce sunt classis. Si autem materia fuerit melancholica, sit syrupus de pomis, syrupus de succo boraginis, syrupus sabor Regis, quòd si materia adustionem acquisierit, omnibus præferatur syrupus de fumaria. pro dilutione parentur decoctiones ex ijsdem, ex quibus syrupi formati sunt. Parentur electuaria ad alterationem, & pro pulsandam prauam, & venenatam qualitatem, exhibenda tum ante cibum, tum ante syrupum in materia calida ex conserua acetosæ, & conserua acetositatis citri, & Zucaro rosaceo, additis margaritis, fragmentis lapillorum preciosorum.

Concoquentia in feb. pestil.

Electuaria ex bibenda.

precioſorum corallis, quæ pretioſa medicamenta, modò ſint ſincera, non adulterata, quantum poſsint cor roborare, experti, & prudentes Medici teſtari poſſunt. his addi poteſt ſemẽ acetoſæ, cornu Vnicornis, cornu ceruinum, os de corde cerui, terra Melitenſis, terra Anatolia, bolus Armena, de qua licèt ſit inter medicos diſcrimen, tamen ea ad mentem Galeni accipiatur, quæ lutei eſt coloris, & plura alia ſimilia, quorum in præſeruationis capite meminimus. diluantur, & diſtemperentur hæc electuaria, ſi ingens ſit calor ad intra, febrisq; ſit valida, vel tempus æſtiuum, & valde calidum exiſtat, cum ſucco citri, vel ſucco limonum, vel aliquo conſimili. ſi verò omnia hæc non ita inſtent, ſyrupi prædicti in materia calida ad hunc effectum aſſumantur. Si materia fuerit frigida, fiat ex conſerua ſcordei, & ex cõſerua ſtęchados, ex conſerua cardi benedicti, ex conſerua ſcabioſæ, ex conſerua Dianthos, ex conſerua betonicæ; puluereres miſcẽdi ſint ex ſcordeo, dictamo Cretico, ſcabioſa, ex radicibus tormentillæ, gentianæ, angelicæ, imperatoriæ, dictami albi, zedoariæ, myrrhæ, ſeminibus citri, ſeminibus cardi benedicti, corticibus citri, baccis iuniperi, incorporentur ſimul cum ſyrupis in materia frigida adminiſtrandis: quòd ſi his addatur portio humoris melancolici, admiſceatur cõſerua boraginis, conſerua meliſſę, conſerua fumariæ. Hæc autem, ſi cum ratione exhibita fuerint, poterunt & materiã peccantẽ alterare, & prauã, ac venenatã qualitatẽ refrangere. Vitet autẽ Medicus ſemper in vtraq; materia exceſſum, ne videlicet aut in materia calida nimium refrigidet, vel in frigida nimium calefaciat; ſed modò hæc, modò illa medicamenta cum his admiſceat, vel cum illis, temperetq; eorum vſum, prout ratio, & medendi indicationes ſuadebunt.

Pulueres exhibendi. Quòd ſi electuaria hæc ita in forma ſolida parata vel ęgro renuente, vel medico noua parante, dimittantur, plurima in potu in vſum venire poſſunt: ſicuti eædem pulueres cum aqua roſacea exhibitæ, vel ſi febris admittat, & virium debilitas

bilitas hoc indicet, addita portiuncula vini odorati; omnibus autem præferatur smaragdus in tenuissimum pollinē arte redactus ad nouem, vel decem grana cum iisdem liquoribus mixtus. secundum ab hoc locum habeant margaritæ, cæteriq; lapilli pretiosi eodem modo parati. quibus si auri folia admisceantur, non erit inutile, vt nonnulli falsò imaginati sunt, experimenta, & antiquorum authoritates abnegantes. bolus Armena succedit vnà cum terra Melitensi, & ea, quæ ex Anatolia defertur, quæ apud Turcas in maxima habetur existimatione, coloris albi, sigillo imperatorio insculpta, cuius in aliquibus ego maximū vidi experimētum. succus rutæ caprariæ, glaregæ dictæ, depuratus in hoc casu etiā valde prodesse potest, & mirum prodit effectū, sed cū valdè insuauis sit, iubeo ego per balneum Mariæ destillari, sicuti & plurima alia consimilia ex prædictis medicamentis pharmaca. præcipuè autē medicamentū hoc exhibendum propono, quo meo marte composito fęlicissimo cum successu frequentissimè vtor. Sumatur succus glaregæ dictæ, succus acetosæ, succus scordei, succus citri ad pondus librę vnius pro singulo quoque, quibus addatur Theriacę optimæ vncia vna, omnia misceantur simul, & macerentur in aqua tepida, postea in duplici vase destillentur; hinc habebitur aqua, cuius vsus est ab vncia semis vsque ad vnciam vnam ante cibum tàm mane, quàm vesperi, cui (prout ratio mihi, vel medendi methodus nonnunquam dictat) prædictorum medicamentorum nonnihil admisceo, habeoq; medicamentum valdè potens in domanda, & euincenda febris pestilentis praua qualitate, vt rei euentus mihi longa experientia, feliciq; vsu comprobauit. Antidotus de sanguinibus à Galeno in propriis libris descripta mirè proderit in pestilētibus affectibus, Mithridatum etiā consimilem, sed maiorem habet efficatiam. Theriacam tamen omnibus antidotis pręspono, vt quæ in affectibus venenatis maiori vigeat, quā cæteræ omnes, facultate, huiusq; in hisce febribus maximū

Succi exhibēdi

Aqua scordei composita.

Antidoti exhibendæ.

ego habeo, & fęlicissimum vsum, cuius drachmam summo mane singulis diebus exhibeo, cum video prauam qualitatem intendi, vires deijci, corpus refrigerari, simpliciaq; illa iam dicta, & facilè parabilia inefficacia, & inualida esse, iubeoq; vt superbibant, vel haustum vini generosi, seu puri, seu lymphali cum aliquo liquore ex prædictis, & hoc cum intensam caliditatem non timeam. quod si hæc mihi negotium facescat, vel ei admisceo conseruas refrigerantes: vel si hoc non sufficiat ad remittēdam caliditatem in minori quātitate ita mixtam exhibeo, ad semidrachmam, vel etiam ad scrupulum descendens, easque cōseruas ad sesquidrachmā, & vltra etiam commiscens. Plurimæ ad harum similitudinem confectæ circunferuntur antidoti, à recentioribus descriptę, ab ijsdemq; summè celebratæ, quibus tamen ego illas, in hoc magis antiquitati, quàm nouissimis his hominibus tribuens, pręteto, quorum descriptiones tum à proprijs authoribus, tum à nonnullis scriptoribus, qui has in vnū collegerunt, petantur. Medicamentum Ruffi ex aloe, ammoniaco, & myrrha (quod posteritas turbatis ponderibus, & mutato ammoniaco in crocum, deprauauit) in morbi progressu administretur, vel solum, vel temperatum, prout morbus indicabit. Lapis quidam Bezaar ad nos ex Indijs Orientalibus aduectus, cuius etiam antiqui meminere, à multis pro efficacissima huius febris antidoto celebratur: cui ego nihil attestari possum, quoniam nec hunc prę manibus vnquam habui, nec eius experimentum vidi; aut feci: quare hunc relinquo fidei eorum, qui hoc se expertos esse profitentur. Plura alia ad hanc eandem intentionem possem recensere, sed sufficiant ea, quæ enarrata sunt, cum ea tantùm proponere decreuerim, quorum certus vsus, & certa experientia mihi innotuit: horum enim omnium vsum non tantùm antiquitatis, & celeberrimorum virorum testimonio proficuum comprobare, sed etiam meo periculo, & longa experientia confirmare possum. Ad prædictorum

autem,

autem confirmationem prudens medicus vel simplicia, vel composita, accipiendo plurima sibi ad expugnandam, & domandam materiei peccantis prauam, & venenatam qualitatem, efficacia, & valida remedia parare poterit. Quibus cum prædictis concoquentibus in vsum positis, & obstructiones tollere, & materiam peccantem concoquere, & perniciosam qualitatem alterare, & superare procurabit. Quã prauam qualitatem non tantùm per interius assumpta, sed etiam per exterius applicita medicamenta oppugnare debet; vnde parentur epithemata, inunctiones, linimenta, emplastra, & sacculi, quæ omnia supra regionem cordis apposita, cor ipsum roborando prauam qualitatem refrangere, & remittere possint. Epithemata parentur ex stillatitijs aquis, sicuti ex aqua melissæ, boraginis, acetosæ, sonci, endiuię, rosarum, scordei, lauandulæ, spicę, & similibus ad mixtis speciebus cordialibus, pulueribus odoratis, aromatibus, bezearticis, addito vino generoso, & aceto rosaceo; cõponantur autẽ modò magis refrigerantia, modò minus, prout occasio docebit, & peccantium humorum indicatio sua debit, semper cauendo ab his, quę adstringere multũ possint; quoniam talia potius constipando, & obstruendo nocere, quàm alterando, iuuare possunt. Hæc autem epithemata non tantùm laudo; vt ex aquis enarratis, aut similibus parentur; sed etiam summoperè commendo, vt ex succis prædictarum herbarum, cum recentes, & depurati haberi possunt, componantur: quorum succorum vsum maxima vrgente necessitate, & in casibus ferè desperatis summa cũ ægrotantium vtilitate nonnunquam expertus sum. ratio.n. mihi dictauit, vt efficacior esset succus, quàm aqua indè per sublimationem extracta: his tamen succis etiam admisceantur eadem, quæ superius addenda esse stillatitijs aquis, commemorauimus. administrentur hęc epithemata calida infusis panis cocco, vel purpura tinctis supra cordis regionem; quibus administratis inungatur locus inunctionibus, quę

Medicamenta exterius applicanda in febre pestilenti.

Epithemata.

Vnctiones.

formentur ex vnguento rosaceo Mesue, ex vnguento sandalino, ex vnguento citrino, additis speciebus cordialibus, vel quibusdam aromatibus, seu seminibus, seu radicibus bezearticis, vel etiam addita portiuncula vel Mithridati, vel Theriacæ: quòd si hęc non satisfaciant; parentur linimenta ex

Linimenta. Theriaca ipsa, succo citri, vel limonum diluta, cui etiam possent addi pulueres prædicti generis, quæ Theriaca ratione caliditatis, & antipathiæ potest validissimè venenatam

Emplastra. qualitatem ad extra euocare. Emplastra componi debent ex iam enumeratis herbis contusis, additis aromatibus, radicibus, & seminibus, & reliquis rebus, quæ alexipharmaca vi donata sint, iam propositis, & succis prædictis imbuãtur, impinguenturq́; oleo rosaceo, cheyrino, anethino, costino, ex iuniperi baccis facto, de gariofilis, vel aliquo alio

Olea. consimili; inter quę primum habeat locum oleum de scorpionibus & simplex, & compositum. Ex quibus scorpionibus solet parari aliud oleũ valde cõpositũ, & apud omnes Chymistus celeberrimum, vulgo oleũ Clemẽtis appellatũ; quod & in veneno assumpto, & in pestilẽtibus affectibus ad mirabiles edit effectus, semimortuos patientes reuiuiscere faciens. quod oleũ in casu isto summoperè commendo, si eo solo loci arteriarum exteriores, & cordis regio inungã

Sacculi. tur. Sacculi ad eandẽ intentionem possunt parari ex ijsdem rebus iam commemoratis, commiscendo flores, & folia herbarum odorata, semina, radices, cortices, aromata, gummata, succos concretos, & omnia ea, quæ sicca substantia contundi possunt: quæ omnia simul mixta in sacculo sericeo cocco, vel purpura infecto, & viignis odorati suffumigato, & calefacto super regionem cordis applicentur. consultò hic prętereo sacculum illum in præseruatione laudatum ex arsenico, auripigmento, & similibus confectum; quoniam ratione febris præsentis, in qua illa adeò sicca, & calida non conueniunt, importunum esset, & periculi plenum remedium. His autem prædictis, & cum ratione adhibitis

bitis, poterimus qualitatem venenatam, & perniciosam cor ipsum roborando refrangere, & alterationem materiei peccantis procurare. Quibus, vel singulis eorum, vel pluribus pro ratione morbi, & occasionis tum interius, tum exterius peractis, si fieri poterit, morbusq; via naturali sit superandus, possumus sperare coctionem materiæ peccantis, qua habita cogitandũ erit de pharmaco pro euacuatione materię iam euictę. Attamen ante pharmaci administrationem considerandum est, an natura aliquam moliatur excretionem, siue per euacuationem, siue per abscessum; si enim quid simile tentauerit natura, quiescendum est, quòd ipsa natura à proprio opere cessauerit: quæ si integrè iudicauerit, nihil medico agendum erit, sed totum id naturæ est permittendum; quę enim iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid siuè medicamento, siuè aliter irritando, sed sinere oportet. Vbi verò integrè iudicatum non fuerit, id, quod deficit, nos supplere debemus. qua de re in vsum tantummodò veniat pharmacum, vel cum natura quieuerit, vel in proprio opere imperfectè iudicauerit: quo casu habeatur delectus pharmacorum, quę materiam peccantem educere quidem possint, sed non valde corpus exagitare, & debilitare; Vnde mihi nec scãmoneum, nec turbithi, nec colochyutis, nec elleborus, nec quæ huiusce sunt classis, vllo pacto probantur; cum enim febris pestilens sit cum putredine, & corruptione valida, à quibus deducuntur humores ad naturam quandam venenatam, cuius ratione vires debilitantur, & languent, tutius est insistere in mitioribus medicamentis, quàm in illis vehemẽtioribus. quapropter qui pillulas cochias, qui Euphorbiũ, & similia proponunt medicamenta, à me damnãtur: nec mihi persuadere possum, quemquam horum excellentissimorum Virorum, qui hæc proposuerũt, ausum fuisse illis vti, & maximè cum hæc contra rationem, & Galenum ipsum in vsum venire debeant; si enim Galenus in ægritudinibus saluberri-

Pharmaci exhibitio quãdo tentanda, & quid in ea obseruandum.

Lib. p. Apho. 20.

Lib. 2. Apho. tom. 29.

mis abhorret pharmacum,consistentè morbo ob fatigatam eo tempore vim animalem., quid dicendum erit de pharma co in morbo, in quo vix vires vitales validæ possunt esse? quare dimittantur ista vehementiora; & mitiora præferantur: vnde in bile educendā Rhabarbarum, in pituita Agaricum, in melancholia sena, & epithimum, cæteraq;, quæ huius sunt ordinis, & quæ inter benedicta pharmaca à recē tioribus enumerantur, in hunc vsum veniant. Quòd si ob rebellem materiam cogamur aliquando ad electuaria, & composita pharmaca descendere, sumantur ea, quæ valdè correcta sunt, sicuti Triphera persica], Diaphinicon, Electuarium rosatum Mesue, & in moderata quantitate prædictis addantur; prǫparentur autem cum decoctionibus florum cordialium, cum rebus odoratis, admixtis nonnullis, quæ vim bezearticam habeant, corq; ipsum à venenata tueri qualitate posiint; vt sunt semina citri, scordeum, os de corde cerui, myrrhis, & similia, & sint,quantum fieri poterit, suauia; quod,additis quibusdam dulcioribus (sicuti syrupo acetoso,vel de succo acetosæ,vel violato, vel rosaceo recente;vel de acetositate citri, vel consimili)procurabitur. Huiuscemodi medicamētis administratis,sperādum est, euacuationem humorum peccantium fieri maxima cum ægri & tolerantia, & vtilitate: quibus eductis alteri indicationi satisfactum erit, videlicet refrigerationi intentę; nam vltra quòd concoquentia in parte hanc præstare debeant, hanc eandem corporis refrigerationem perfectè assequemur,dū putrescentes humores, à quibus corpus incalescebat, euacuabimus. Hanc autem refrigerationē aliquando non pharmaco, nec syrupis tātùm opportunis procurabimus,sed potu aquæ frigidę, quę nonnunquam in febre pestilēti in vsum venit: quod fit, cum febris est ex ardentibus, naturamq; causonidis retinet, magnum ad intra incendium habens: tūc enim coctionis signis apparentibus in vigore febris, sitiente ægro,copiosè ebibita aqua frigida summū affert adiumentum

Refrigeratio quando habeatur in feb. pestilenti, & quibus tentanda.

tum, tū totum corpus refrigerando, tū peccantes humores vel per vomitum, vel per ſeceſſum, vel per ſudorem excludendo. Ita ſeu per pharmacū, ſeu per præparantia adhibita, ſeu per aquam frigidam, ſeu ſponte quieſcente febre, refrigerato corpore eiuſdem humectatio ſubſequetur. quę etiā plurimis medicamentis actu humidis, cibarijsq; conſimilibus, licèt eiſdē admiſta ſit & facultas exſiccatiua ratione corruptionis, & putredinis connexæ, tentabitur in morbo ipſo, quo euicto, & materia ſuperata, & educta, cuius ratione corpus exſiccabatur, ſaluberrimā habebimus corporis humectationem. quam victu opportuno, nulla re præter naturā reluctante, facilè conſeruare poterimus, quibus in actu poſitis, & peractis, omnibus propoſitis indicationibus ab undè ſatis factum erit.

De curatione exanthematum, macularum, & aliarum excretionum, quæ in febre peſtilenti contingunt.
Cap. XXIIII.

CONſueuit multoties natura in hiſce febribus tentans materiei peccantis excretionem, eiuſdem portionem ad cutim propellere. hincq; ſuperueniunt exanthemata, & papulæ illæ antiquorum, ſed potiſsimum ætate noſtra eæ maculæ, de quibus inter ſigna egimus. quæ maculæ, cū magnitudine inter ſe differant, rarò maiores, ſępiſsimè autem minimæ, & quæ pulicum morſibus ſimiles exiſtentes peticulæ, vel peſtichiæ vulgò appellantur, apparent. His apparentibus, quid medico agendum ſit, diù dubitatum eſt. Varij varias obtinuere ſententias. Alij ſenſere motum hunc, quocunq; tempore, & quocunq, modo eueniat, ſemper adiuuandum eſſe, freti ea Hippocratis authoritate dicentis. Eò ducere oportet, quò natura vergit, ſi per conueniētes regiones: at conuenientiſsima regio eſt cutis, ad quam transferatur materia pernicioſa, internas occupans partes; & confirmatur eiuſdem conſimili ſententia, quæ habet,

Exanthematibus, vel maculis apparentibus quid agendum.

Lib. p. Apho. 21.

Lib.6. Apho. 25.

Erysipilas ab interioribus ad exteriora verti, bonum esse; & eò magis prædicant hoc faciendum esse in his febribus, quò materia maligna existens est deterior ea, quæ erysipilas causat; immo cum sit venenosa, hancq; conetur natura ab intimis visceribus ad cutaneas partes traducere, omninò huic expulsioni instanter opitulandum esse concludunt. Alij melioribus rationibus ducti (cum duplici modo expulsionem hanc fieri nouerint .f. vel symptomaticè, vel criticè) sentiunt eam tantùm, quæ critica fuerit, adiuuandam esse: quæ verò symptomatica, cohibendam fore; illa enim cocta fit materia, quæ omni ingenio à locis patientibus educi, & reuellli debet, hęc fit cruda exiſtēte, quę nullo pacto irritari, sed sinere, & impediri oportet. Sed res ita explicanda est. Motus naturæ in excretionibus materierum peccantium sunt triplices; alii enim sunt purè critici, alii purè symptomatici, alii. medii. purè critici sunt illi, quos signa concoctionis præcedunt, fiuntq; in decretorijs diebus, subsequiturq; morbi leuamen, & ęgri tolerantia. Hi critici motus vel perfecti, vel imperfecti sunt. perfecti sunt illi, in quibus tota expellitur materia; imperfecti, quando non tota, sed pars expulsa est. quod duplici euenit de causa, scilicet, quoniam licèt materia sit concocta, tamen vel propter multitudinem eiusdem, vel propter naturæ imbecillitatem tota non eijcitur. Motus purè symptomatici sunt illi, qui fiunt, aut cum materia cruda est, aut ex toto praua, & in diebus non decretorijs, & cum magno ægrotantis labore, nulla, vel minima subsequente morbi alleuiatione. Motus medij sunt illi, qui fiunt, cum materia aliqualiter est concocta, existenteq; imperfecta concoctione, natura aggreditur materiam illam, & eam integrè non expellit, vnde nec sequitur perfecta salus, licèt aliquod leuamen, aliquodq; bonę valetudinis indicium nonnunquam subsequatur. His stantibus, dico, quòd apparentibus his maculis, vbi motus purè criticus perfectus, vel purè symptomaticus fuerit, ab arte nullo

Motus materierũ peccãtiũ ĩ excretionib. est triplex.

Motus purè critici.

Motus purè symptomatici.

Motus medij

motus materierũ in extratio

nullo pacto adiuuandus est. Nam de critico perfecto primò sermonem habendo, quoties natura rectè, integreq; iudicauerit, neque mouere, neque nouare aliquid medicus, sed sinere debet, totum id naturæ rectè operanti permittens, tantumq; febris curationi vniuersali incumbens. Sicuti autem in hoc critico motu, ita & in purè symptomatico pro euocatione materiæ ab intimis partibus ad exteriores nihil medico agendum erit; cum enim medicus sit artifex naturæ deseruiens, ei non malè, sed bene operanti inseruire debet: malè autem operatur, dum materia cruda existēte, eiusdem expulsionē tentat, quo tempore si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ rectè operātis ratione, sed omnia huiuscemodi sunt casus præter naturam earum, quæ sunt in corpore, dispositionum: tuncq; cum à causis morbū facientibus natura vel grauatur, vel irritatur, adest autem cruditas humorum, aliquid benè euacuari est impossibile. hinc morbus regius ante septimam malus, hinc atra bilis in principio morbi exiens lethalem indicat casum, hinc plura alia consimilia, quæ tamen nullo pacto contrariantur duobus prædictis locis Hippocratis ex aduerso deductis. quoniam dum dicebat: Eò ducere oportet, quò natura vergit, si per conuenientes regiones. loquebatur de materia cocta; quæ vel non iudicabitur, vel integrè non erat iudicata. dum autem dicebat, bonum esse verti Erysipilàs ab interioribus ad exteriora, loquebatur de totali morbi permutatione, quæ non tantùm est signum bonum, sed etiam causa, & non de alicuius partis materiæ excretione à natura tētata, dum vel copia grauatur, vel mala qualitate irritatur. quapropter tunc desistat medicus ab omni opere, quod talem motum adiuuare posset, circumspiciat tamen omnia diligentissimè, quæ in corpore præter naturam continentur, & consideret fomitē harum macularum, in quo statu se habeat. si enim adsit plenitudo, tollenda erit sanguinis missione eo modo facta, quo superius faciendam esse, declarauimus.

nibus q̄ sint iuuandi, & qui non.

Lib. 4. Apho. 62.

Lib. 4. Apho. 22.

Macularū fomes cōsiderandus.

uimus. nec periculum erit ex hoc retrocessionis materiæ, quæ cuti inhæsit. quoniam ista per minutionem sanguinis non potest è cuti ad internas partes remeare. Sed ex hoc exonerata natura forsan supra residuum fortior facta poterit & coctioni, & expulsioni tutiori via incumbere. Sunt qui in tali casu superiores venas aperire, internasq; brachiorum tàm dextras, quàm sinistras secare audeant, sed rem discriminis,& periculi plenam aggrediuntur. febres enim, in quibus hæ apparent maculæ, solent vires euertere. nec tuta est(sicuti docuimus)in huiusce generis febribus superiorum, ac maiorũ venarum sectio. hæc igitur omittatur, eæq; sanguinis minutiones, quas probauimus, cũ tutò, nulloq; discrimine administrari queant, præferantur, ac seruentur. An autem hoc casu sit pharmacum exhibendum, vt ferè omnes medicinam facientes docent, ex superius declaratis pateat, vbi docuimus, nunquam materiam crudam pharmaco non dixerim educendam, sed nec tentandam esse: vnum tamen animaduerto, scilicet, quòd si in tali casu sit viscerũ impuritas, abundetq; in vijs communibus humorum colluuies, à quibus foueri internus morbus possit ob auctam putredinem, & corruptionem, conuenienti pharmaco ea depuranda, humoresq; illi exterminandi erunt; sit autem pharmacum leniens, præpareturq; cum his, quæ veneno aduersari, & prauam qualitatem oppugnare queant. Si autem viæ communes satis purgatę sint, nulliq; in eis abundent, vel resideant praui humores, omne medicamenti genus detestor; quoniam his turbari materia cruda ad intra venas existens, non demulceri poterit. insistat autem Medicus in coctione, & alteratione, vnà cum antidotis, & alexipharmacis, nec ratione periculi vnquam à recta medendi methodo discedat. caueatq; tanquam à veneno, vt maculas has reprimentibus repellere(vt nonnulli celebres viri iudicarunt agendum esse, ducti sententia Hippocratis, dicẽtis ea, quæ inutiliter prodeunt, cohibenda esse) tentet; tum quo-

Maculis apparentibus an sit secanda vena.

Maculis apparentibus an sit exhibendum pharmacum.

Maculæ reprimentibus nunquam sunt repellendæ.

Lib. 4. Aph. 2.

quoniã reprimẽtia nũquã in materia venenosa admittuntur, tum quoniam symptomata, nisi vicem causę subeant, non curanda. Si autem motus fuerit purè criticus, at imperfectus, hic omni ingenio adiuuandus erit. quod enim natura prę imbecillitate propria, vel ob materiæ multitudinem integrè non potuit expellere, ars ipsa vniuersalibus præmissis euocare debet. quod duplici via perficere potest. primò materiam ad partes cutaneas ab intimis attrahendo, secundò cutim ipsam laxando, & aperiendo. primum cucurbitulis adhibitis, & scarificatis, & non scarificatis, procurabimus. scarificentur autem præcipuè, & plures, non pauciores apponantur, multa existente materia, potissimumq; vbi maculæ non sint ex illis minoribus, sed maiores fuerint; hæ enim à copiosiori materia, & viscidiori generantur, ideoq; maiori indigent euacuatione. secundum exequemur, tuentes ægrum ab ambiente frigido, timentes, ne materia retrocedat, quod pessimum esset indicium, eundemq, pannis rubeis, vel similibus induentes, additis frictionibus asperis, vel cũ linteaminibus, vel manu illinita aliquo oleo relaxante, quale est oleum camemolinum, vel anethinum factis. Quòd si maior vrgeat necessitas, oleis addatur vinũ potens, nitrum, vel sal, & similia; quæ cutim exasperando & attrahant, & laxent, & aperiant. quòd si hæc non sufficiant, hic laudo vesicatoria, & exulcerantia, & attrahentia medicamenta apposita membris exterioribus, videlicet tum cruribus, tum brachijs, his enim prauos ichores ad extremas partes attrahere, per easque eosdem euacuare poterimus, sicque per partem post partem ab intimis locis eos abducere valebimus, motumq; naturæ ad exteriora adiuuabimus. Plurima ad hunc vsum apta sunt, sicuti cantharides, synapi, radix ranunculi, radix anemonis, cortex intimus sambuci, iberidis folia, & radix, allium vocatum caninum, flammala Iouis, & similia. Omnibus tamen ego pręfero cãtharides, quarum ego frequentissimum, & feliciffimum vsum

Macularũ excretio quãdo, & quibus iuuanda.

Exulcerantia, & attrahẽtia quãdo, et quæ conueniant.

vſum habeo,tum quoniam bezearticam vim habent veneno aduerſantem; tum quoniam cum minori dolore bullas excitant. quoniam tamen hæ veſicæ aduerſantur, lotijq; ar dorem ſæpius etiam exterius appoſitæ excitare ſolēt,quod moleſtiſsimum ſymptoma,& peſsimum eſſet in hiſce febribus,in quibus omnia demulceri, non exaſperari, debent; ideò ego admiſcere his conſueui ſemina ameos,quæ hac facultate donata ſunt, vt prohibeant cantharides nocumentum veſicæ inferre. Dum autem hæc adminiſtrantur, ſemper recipiat Medicus cauſas, ob quas natura integrè nō iudicauerit. Vnde ſi hoc ſit ratione multitudinis materiæ,ma gis infeſtat in euacuationbus prædictis, vel eas iterādo, vel eaſdem validius procurando, prout vires, & ſtatus morbi indicabunt. Si autem hoc eueniat ob naturæ imbecillitatē, viribus intentus de earū robore cogitet, per interiusq; adminiſtret ea, quæ naturam imbecillem ad motum hunc ad partes cutaneas proritare, & adiuuare poſsit. talia autem erunt decocta lentium, caſicarum, radicum petroſelini,radicum apij, ſeminum feniculi, & huiuſcemodi; quibus admiſceantur ea,quæ vim veneni propulſatricem habeant,adaturq; portio vel ſyrupi byſantini, vel de duabus radicibus. Dum etiam hęc à Medico ſumma cum diligentia circa ægrotantem pertractantur, non dimittat vſum eorum medicamentorū, quæ antidoti rationē habeant, nec abſtineat ab epithematibus, cętetisq; ſimilibus remedijs externis, regioni cordis applicandis, licèt nonnulli oppoſitū ſentiant, opinantes per epithemata,& reliqua exteriora medicamēta materiam peccantem, & venenoſam ad intra retrudi.quod falſum eſt, cum potius oppoſitum contingat; quoniam per hæc roborata corde natura validior facta promptius reſiduum materię à corde excutiet, ad cutimq; ipſam, in qua prior inhæſit, propellet. Animaduertat tamen medicus,ne hoc tempore adſtringentia,quę ſemper ſuſpecta habuimus, & refrigerantia admodum in epithematibus admiſceat.Sed ſint

Maculis apparentibus an ſit exhibendum pharmacum.

sint hæc tantùm temperata in actiuis; in reliquis autem qua litatibus sint, quæ moderatè exsiccare, & cor ipsum tueri, & roborare possint; reliqua autem exteriora applicãda ad horum conformitatem præparentur, & summa cum ratione adhibeantur. Si autem nec purò criticè, nec purè symptomaticè appareant hæ maculæ, sed sit motus medius, quoniam in hoc diuersa, & contraria euenire possunt; nam quandoq; simul aliqua apparent bona, & aliqua mala, ac nõ nulla, quæ spem salutis afferant, nonnulla, quæ adimant; ideò in hoc solers, & diligentissimus Medicus esse debet, circumspiciatq; omnia, quæ ad hunc motum consequuntur, antequam manum ægrotanti admoueat: si enim plura sint bona, quæ sequuntur, quàm mala, bonaq;, quàm mala sint maioris efficacię, coctionisq; signa cruditatis signis præualere videat, speretq; maius fore iuuamentum, quàm nocumentum, adiuuet motum hunc, naturęq; opituletur, quan tum in eius erit facultate, cum propositis, & superius expli catis remedijs. secus autem, si oppositum contingat; cum enim signa cruditatis superabundare, plura que mala ad expulsionem consequentia, sicuti virium languorem, ęgri malam tolerantiam, & similia, hæcque maioris efficaciæ, & ponderis, quàm bona, nouerit, dubiusq; sit de iuuamẽto, quod laturus est, abstineat ab omni auxilio, quod hanc materiæ propulsionem adiuuare possit, in hocque casu simi liter, ac si motus hic purè symptomaticus fuisset, se gerat. semper tamen cauendo ab his, per quę ad intra repelli materia, & retrocedere posset. & hæc de maculis, ad quarum exemplum exanthematum, aliarumq; omnium cutanearũ excretionum curatio dirigatur. Sicuti autem natura in huiuscemodi febre sępe materiam peccantem ad cutim per exanthemata, & maculas dictas detrudere conatur, ita & eandem nonnunquam per lotium, nonnunquã per sudorẽ, aliquandò autẽ per aluum, & aliquando per abscessum excernere tentat. In quibus excretionibus omnia ea, quæ in macu-

Macularũ motu medio existẽte quid agẽdum.

macularum conſideratione adnotauimus, attendenda ſunt, eodemq; modo procedendum, ſcilicet, vt nunquam purè ſymptomaticas excretiones, nec purè criticas perfectas, ſed tantum imperfectas, & medias adiuuemus; Vnde lotium nunquam prouocabitur, niſi ex parte cocta materia, idemq; natura excernere conante; quod enim crudum eſt, & probe conſequi debet, vt dicebat Galenus in cura laſſitudinis vlceroſæ, huic tanta adhuc vexatio non conuenit: cum autem natura eò vergat, materiaq; aliquam acquiſierit coctionem, tunc diuretica, & quæ materiam eò ducere poſſunt, exhibeantur, & ſint ea precipuè, quæ prauam qualitatem remittere poſsint, ſicuti ſpica Celtica, Valeriana, aſarum, ſcordeum, & huiuſcemodi, quibus admiſceri poſſunt aliqua refrigerantia pro ratione febris, ſicuti ſemina illa communia. Si autem materia in totum cocta fuerit, naturaq; per eam viam imperfectè iudicauerit, ſimilibus, at vehementioribus, adiuuanda erit. Si autem perfectum fuerit iudiciũ, nihil medico agendum erit; ſicuti & nihil pro lotij prouocatione agere debet, quando natura colliquato vel corpore, vel humoribus illam ichoroſam, & ſeroſam materiã vniuerſam ad renes detrudit; Vnde copioſiſsimum profluit lotium colore, & ſubſtantia aliquando naturali, aliquando non naturali exiſtens, vt ſæpe ego vidi, ſed tantùm tunc obſtare debet colliquationi tentans eiuſdem cauſas vel remittere, vel in totum adimere, tuendo tamen & vrinæ vias, & meatus, tum per ea, quæ interius aſſumuntur, tũ per ea, quæ exterius adhibentur. Huic ſimilis eſt caſus de ſudore, quoniam & qui purè criticus, & qui purè ſymptomaticus eſt, nullo modo iuuandus eſt. Vnde ſi cocta materia, & decretorio die ſudor eueniat, ac integrè ſedet febrem, vel ſaltem faciat, vt æger facilius morbum ferat, calidusq; ex toto corpore procedat, cum hic verè criticus ſit, nihil medicus agat, niſi ægrum à ſudore illo extergendo, & recta ratione expurgando. Si verò nihil tale efficiat, ſed potius oppoſitum

Lotiũ quãdo, & quibus prouocandum.

Lib. 4. de ſa-nit. tuen.

Sudor quãdo, & quibus iuuandus ſit.

agat,

agat, frigidusq; fit, & circa caput tantummodò, vultum, & ceruicem, erit symptomaticus. hicq; non est adiuuandus. Immo hic cum malè prodeat, viresq; dissoluat, potius cohibendus est: quod fiet, si facies aqua rosacea, admixta portiuncula aceti rosacei leniter, & sępius madefiat: à quo tamen abstinendum est, dum summa est colliquatio, sudorq; fit diaphoriticus, & vires languęant; quoniam hæc mortem proximam, non curationem, indicant. Quòd si mors nō ita instet, maximum ad sistendum sudorem iuuamentum ex Theriaca habebimus, quę sicuti diaphoriticos sudores ī cardiacis firmare potest, pariter in pestilēti febre, si quid aliud, eosdem sistere valebit. Quo casu adhibeantur etiam ea remediorū genera, quæ in cardiacis passionibus ministrāda veniunt; quales sunt inunctiones ex oleo myrtino, rosaceo, melino, euanthino, & similibus, quibus circa partes exudantes superinspergatur puluis ex myrti folijs, ex rosis, ex euantho, ex hordeo, ex sandalis, & similibus rebus cōfectis. Circa manum autem sinistram apponatur cataplasma, cum magnū erit incendiū, ex folijs rubi, ex myrti tum baccis, tum folijs, ex rosis, ex capreolis, & pampinis vitium, & ex plantagine vnà cum pane in oxicrato macerato paratum: aut vbi tantum non adsit incendium, mala cotonea, vel palmæ immaturæ, quarum loco accipiantur thamarindi vino austero incoctæ, & contusæ, ceratoq; aliquo (quod rosas, myrtillos, hypochistidem, euantem, acaciam, & similia adiuncta habeat) exceptæ in modum cataplasmatis apponantur. talia enim medicamentorum genera, vbi sudorū fit nimius excessus, mirum in modum prodesse solent. Si autem sudor non perfecta existente coctione eueniat, hinc tamen subsequatur morbi leuamen, faciliusq; æger toleret morbum, calidusq; fit, non tamen copiosus, adhibeat Medicus quę sudorem prouocare possunt, sicuti aquam hordei copiosam, vel simplicem, vel cum radicibus petroselini, vel fœniculi, vel aniso, vel artemisia, vel dictamo, vel caricis, vel re

Lib. de Theria ca ad Pis.

consi-

consimili paratam. pannis æger tunc cooperiatur, & quiescat, sique sit procliuis in somnum, dormiat; ita enim facilius sudor prolicietur, hunc eundem facilitabunt frictiones opportuno tempore factæ, cibariaq́, tunc temporis cum his, quę sudores excludere valeant, alterentur. Fluente autem aluo circunspiciet Medicus, an hoc sit colliquationis vice, an quia peccantem materiam natura excernere tentet. si fluxio fuerit ex colliquefacientibus, consideret, an febris sit ardens, vel nòn; si fuerit ex ardentium genere, frigidæ aquæ potus tempore conuenienti exhibitus, vt Ruffus Ephesius monebat, præcipuè prodesse poterit. in hac tamen pariter, ac in febre non ardenti administrentur ea, quę colliquationis causam inhibere possint. talis autem causa cum sit vel putredo ingens, vel corruptio, & mala qualitas, ea, quæ putredini resistunt, quęq; corruptionem, & prauam qualitatē remittere valent, adhibeantur, qualia sunt prædicta omnia in curandi ratione iam explicata remedia, ex quibus ea seligantur, quæ præcipuè acida, & frigida sint, licèt nouerim etiam scordeum, quamuis calidum, forsitan omnibus in tali casu pręferendū, cuius vsum vnà cū saccaro rosaceo, vel cōserua acetosę in colliquātibus febribus fęlicissimū habeo. Ad idem maximè proficere possunt boli, & terræ numeratæ, cæteræq́; omnes, quę à natura validam coctionem consequutæ, prædictis similes fuerint. hæ enim, siccanti, & refrigeratoria qualitate, qua donatæ sunt, validè colliquationem sistere valent. In hunc eundem effectum proficuus erit vsus alicuius aquæ naturalis, quæ, cum sit vel ferrea (vt quidam dicunt) vel mixturam alicuius terræ boliue, vt ego cēseo, per summam coctionem receperit, existat refrigerās, & exsiccans, qualis nunc Imeldulę habetur opera Dominici Rosurij (quoniam vnicuiq; sua debetur laus) præstantis Medici inuenta. hæc autem non astringendo (minimæ enim adstrictionis est particeps) sed refrigerando, & exsiccando, addita partium tenuitate, qua penetrare, & nōn obstruere potest,

Colliquefacto fluxu pręsente, quid agendum.

Colliquatiuis fluxibus an cōueniant medicamenta purganda.

poteſt, in huiuſcemodi colliquefacientibus fluxionibus admodum pollet, tum putredinem inhibendo, tum caliditatem temperando, tum ſeminaria praua diſperdendo, tum viſcera omnia roborando, huius vſus eſt pro potu, pro medicamento, & pro coctione alimẽtorum. bibitur enim ſummo mane vel ſola, vel ei admixto aliquo prædictorum medicamentorum ad quãtitatem quinq; aut ſex vnciarum, vel paulò plus. quæ quantitas, ſi ſitiant ægrotantes, repetatur eadem die per tres horas ante cęnam, in cęna, & prandio, vel ſola pro potu: vel vbi vinum ſit exhibendum, ad eum lymphandũ aſſumitur, in eademq; omnia cibaria coquuntur. eamq; hoc pacto adminiſtratam docuit experientia fęlicisſimo euentu multum prodeſſe, nec in ea quid timendum eſſe, niſi vbi patientes ſint frigidioris, & languidioris ventriculi. in his enim tum in potu, tum pro medicamento exhibita cautè adminiſtranda eſt, vel eam ad calidum alterando, vel eidem calida, & proportionata medicamenta commiſcendo, ſimulq; ventriculum exterioribus tuendo. Huius tamen analogia non aſſumãnt in vſum Medici aquas eas, quæ, vltra refrigeratoriam facultatem, ſint etiam valdè, aut inſigniter, & manifeſtè adſtringentes; quoniã hę conſtiparẽt quidem, ac materiam intrò retinerent, non tamen, cum ratione adſtrictionis obſtructiones fouere, & inde febrem augere poſſent, propriè ad colliquationem tollendam conuenirent. Symptomati enim, & non cauſæ aduerſarentur. Sicuti autem talia interius maximè conueniunt, pariter exterius epithemata, inunctiones, & linimenta tum thoraci, tum ventri inferiori, quæ iiſdem donata ſint facultatibus, adminiſtrentur; ita enim calorem præter naturam refrangere, & colliquationis cauſas abolere poterimus. An autem in his fluxionibus conueniat (ſicuti nonnulli celebres Viri arbitrati ſunt) exhibere medicamenta, purgantia quidem, ſed quæ viarum adſtrictionem relinquere poſt euacuationem apta ſint, id nos doceat medendi ratio, & recta methodus,

Colliquefacientibus fluxibus an conferãt adſtringentia medicamenta.

thodus;cum.n. eductę per tales fluxiones nō ſint ſuperfluitates ab humoribus ipſis, vel à partibus ſolidis deciſæ,ſed ſint vel humores ipſi, vel ſolidæ partes, quæ colliquantur,nemo ambigat vllo pacto euacuādū eſſe,ſed cauſis colliquationis tātùm eſſe incumbendū,aſſerat. Euacuatio.n. per pharmacū tentata nec materiei colliquatæ,cum natura eā ſponte educat, debetur, nec à colliquanda indicatur, cum vera in hoc affectu ea ſumenda ſit indicatio, quæ colliquationem inhibeat,quam tamen colliquationem non tantùm non inhibere, ſed eam augere medicamentum ſoluens poterit. Quod quàm periculoſum, ac diſcriminis plenum in talibus fluxibus exiſtat, dicant illi, qui audacter hoc tentantes in præcipitem caſum deduxere ægrotantes. Quemadmodum autem pharmaca ſoluentia à me in his colliquefacientibus fluxionibus damnantur, ſimiliter nec adſtringentium medicamentorum vſus probatur; quoniam ſi ea materia, quę per colliquationem expreſſa ex toto praua exiſtit,ad intra ægrotantis corpus retineatur, retenta maiorem, quàm excreta, lęſionem inferre poſſet; hæc enim præterquàm, quòd continuè ſui prauitate febrem ipſam foueret, etiam ex retentione iſta deterrimam conſequeretur qualitatem; vnde & morbum augeret, & ad cor,vel ad cętera principalia membra facilè motum caperet; quapropter materiei iam genitę tota ipſi naturæ, vt eam ſponte excludat,euacuatio dimittatur, cauſiſq; colliquationis à medico, quantum pro viribus eius erit, incumbatur; Si autem fluxus non colliquefactionis fuerit, ſed natura per aluum excretionem materiei peccantis tentauerit, attendat Medicus & naturæ motum, & materiæ qualitatem. Si motus fuerit ſymptomaticus, materiaq; ſit cruda, & praua, dum non eſt ſuperflua euacuatio, nil aliud conſideret, quàm munire inteſtina clyſteribus opportunis, nè in tranſitu ab ea materia quid patiātur; quoniam ſymptomata nunquam curanda veniunt, niſi vel cum ſubeunt rationem cauſæ, vel cum vires debilitent. At ſi nimium

Colliquefaciētibus fluxib. an conferant adſtringentia medicamenta.

Materia febris per aluum excreta, quid agēdum.

nimium hæc euacuatio excesserit, vnde virium languor timeatur, non tantùm munire intestina debet, sed & adstringentia propinare, & fluxum cohibere conuenit cum his, quæ & materiam peccantem, & morbum præsentem respiciāt. Cum autem euicta materia, eius excretionem natura per aluum molietur, dum natura sponte euacuat, consideret, & attendat euacuationis finem; si enim perfectè, & integrè iudicauerit, nihil intentandum erit: sin minus id, quod deficit, supplere debet, pharmacoq; opportuno materiei reliquum euacuabit; ita enim operi extremā manum imponet; cum ea, quæ post iudicium relinquuntur, recidiuas facere consueuerint. Cum autem natura per abscessum materiā extramittere tentat, vnde in partibus glandosis sæpe tumores superueniunt, vel parotides, vel bubones dicti, non regula illa generalis superius declarata attendenda est, sed in casu isto hoc particulare seruetur, quòd semper hi motus, quomodocunq; eueniant, sunt adiuuandi; cum enim ad partes ignobiles, & quæ excrementa facilè viscerum suscipiāt, materiæ hæ prauæ, & qualitate venenata infectæ à natura detrudantur, nunquam reprimendæ sunt. sed loca illa sunt laxanda, & medicamentis attrahentibus ille motus magis irritandus, & prouocādus est. pro laxatione faciet butirum, pinguedo pulli, axungia suilla recens, oleum amigdalarū dulcium, diachylon cum aliqua pinguedine dissolutum, & similia. Attractionem iuuabunt animalia viua dissecta, & statim apposita, sicuti & catuli, pulli, collumbini, gallinæ, & galli, & hoc præcipuè cū summus est dolor. validius attrahent emplastra ex fermento, caricis, cæpis, columbino stercore, & similibus attrahentibus, admixtis pinguedinibus supradictis. Validissimè omnium attrahit cucurbitula, sed omnium est dolorosissima; quare nisi in vrgentissimo casu admoueatur; dolores enim ingentes vires dissoluunt, quarū conseruationi maximè in hisce febribus attendendum est. Euocata materia ad partes exteriores, tentetur suppuratio

Abscessibus apparentibus quid agēdum.

cum opportunis medicamentis. quo peracto aperiatur tumor, reliquum materiei concoquatur, vlcus mundificetur, abstergatur, apertum diutius teneatur, & tandem consolidetur, & ad cicatricem ducatur, semper ea applicando remedia, quæ ea admixta habeant, quæ veneno aduersari, & prauam qualitatem remittere possint. Plurima alia hisce febribus mala superuenire possunt; quæ quoniam alijs morbis etiam cõmunia sunt, curatioq; consimilis, & eadem methodo indicata eis debetur, ideò ea consultò hic prætereo; quoniam illa, quæ propriè ad curationem febris pestilentis pertinent, tantùm enarrare decreui, eiusq; solius tractationem pertractare spopondi.

De ratione victus seruanda in febre pestilenti. *Cap. XXV.*

EA medendi est ratio, vt non solum circa ægrotantes medicamentis agamus, sed etiã victu; cuius talis, ac tãta ratio haberi debet, vt cognoscat Medicus, ea neglecta, cætera omnia auxilia incassum administrari. quapropter cum ad propulsandam hanc febrem tradita iam sint, & explicata opportuna remedia, pro eiusdem perfecta curatione ad rectam victus rationem descendamus, eamq; doceamus. Recta victus ratio in conuenienti consistit sex rerum non naturalium administratione. in quarum vsu si & Medicus, & æger, ille imperando, hic exequendo, vt decet, se gesserint, maximo ad exterminandam febrem remedio operam dabunt, Incipientes autem à cibo, & potu in his animaduertimus plura esse adnotanda. considerandum enim est, quæ cibaria in hac febre conueniant, eorundemq; quantitas, qualitas, præparatio, & assumendi tempus. Quæ cibaria conueniant, habetur à morbo, & virtute. morbus hic semper est cum corruptione humorum; quare eorundem exigitur contemperamentum, virtusq; in hac febre, licèt modò magis, modò minus, ferè semper languet,

Cibaria conuenientia in fib. pest.

quare

quare prò eiusdem conseruatione, & etiam augmento, vbi expediet, indicabũtur cibaria, quæ nutrire multum possint, sed quæ leui admodum egeant coctione, & nequaquam excrementosa sint. hæc autem duo munia obire poterunt iura pullorum, præcipuè iuniorum, carnes eorundem, & caponum, & auicularum montanarum, perdicum, attagenarum, fercula in iuribus his parata, quæ erunt vel ptisana, vel panis tritus, carnes eædem, vel in elixatione in iure eliquatæ, vel contusæ, vel per Balneum Mariæ destillatæ, ouorum recentium lutea, vel sorbilia, vel in iure dissoluta. Quantitas similiter & à morbo, & à virtute indicatur. à morbo quidem, quoniã cũ Medicus æstimare debeat, an morbus futurus sit vel longus, vel breuis, & an ad statum properet, vel non; vbi censuerit morbum fore longum, & statum distare, copiosius alere debet, quàm vbi morbum fore breuem, & instare statum indicauerit. à morbo etiam alia ratione quantitas indicari potest; quoniam si morbus hic paucam, aut minimam corruptionem humorum admiserit, parciorem indicat cibum, quàm ille, qui est cum ingenti humorum corruptione. cum enim corruptio contemperamentũ exigat, vbi corruptio maior, maior etiam alimenti contẽperantis copia requiretur. A virtute autem indicatur quantitas; quoniam vbi ea valet (quod vix in morbo isto inuenire queas) parcius cibandus est æger, tum quoniam virtus valida diutius perdurare potest, tum nè à proprio opere coctionis humorum peccãtium distrahatur natura, cuius proprium est & cibum, & humores peccantes concoquere. Si autem languet, vt in hisce morbis ferè perpetuum est, indicat de pauca quantitate cibi exhibenda; vbi enim virium est imbecillitas, multitudinem alimenti sustinere non possunt, & hoc valdè animaduertatur; quoniam ego in hoc vidi maxima errata sæpe in actu medendi à communiter medicinã facientibus perpetrata. hi enim, dum vires languent, statim ad maiorem cibi quantitatem deueniunt, & quò magis de-

Quantitas.

bilitantur ægri,eò magis quantitatem alimenti adaugēt: ita vt & lutea ouorum,& cõtusa, & fercula simul miseris ægrotantibus exhibeant, vnde eos in perniciem ducunt, cũ hinc non inualescãt vires,immo magis opprimãtur, & suffocentur. vidiq; ego ex talibus plurimos (qui forsan vel non perijssent, vel saltem tardius) à sola cibi nimia, & superflua quantitate, cum vltra vires cibum sumpsissent, necatos:quapropter cum debili existente virtute parum cibi indicetur, ad multam quantitatem non deueniamus. quę quantitas licèt sit necessaria pro contemperandis humoribus,& pro restauratione virium, ac corporis nutritione, nequaquam tamen eam,nõ potentibus hanc viribus tolerare,admittamus, sed parum cibi pro uice exhibentes eandem quantitatem sæpius iterabimus, ita vt parum, & sæpe cibantes eam totam, quæ requiritur ad virium restaurationem, quantitatem assequemur. Qualitas indicatur à morbo, morbus autem hic est febris pestilens.quà febris, victum indicat humidum,& refrigerantem;victus enim talis omnibus febricitantibus cõuenit, vnde actu humida, & sorbilia exhibebimus, quorũ ratione & humectationem,& faciliorem cibi coctionem habebimus; cum solida, & dura difficilius concoquantur, & distribuantur. qua pestilens autem, indicat, vt victus ea donata sit facultate, qua venenatæ qualitati, & corruptioni, & putredini aduersari queat; Vnde alterentur cibaria sonco, acetosa, endiuia, scordeo, issopo, melissa, boragine, seminibus citri, corticibus citri, semine acetosæ, & similibus, ea in iuribus ebulliendo. cibarijs pro hac intentione admisceantur margaritæ, fragmenta lapillorum pretiosorum, coralli, cornu ceruinũ, cornu vnicornis, os de corde cerui; addantur pulueres cordiales pro cibo, quæ omnia pro ratione materiei peccantis, vel calidę, vel frigidæ administrentur,& cõponantur. Qui consulunt, ferculis admiscẽdum esse succum granatorum, citri, limonũ, vuę immaturæ,& reliqua huiusce qualitatis, à me non probantur, quia

Qualitas.

non

non habent rationem obstructionum, quæ inter cætera sunt potissimæ huius febris causæ tum fouentes, tum efficientes: sicuti autem à me non probantur ista adstringentia; ita & damnantur dulcia, tum quoniam hęc ventriculum subuertunt, tum quoniam facilè bilescunt, vndè incendium internum angeri potest. quare vsus eorum, quæ ex saccaro parãtur, hic dimittatur, fugiaturq; ea saccari tam ingens quãtitas, & tam continuus vsus, quanta, & qualis imperatur, & ordinatur continuè à multis malè medicinam facientibus. Præparatio habetur à qualitate morbi, & materię peccantis: quare cum hic habeamus corruptionem, putredinem, & malam qualitatem, indicatur ea ciborum præparatio, per quã his omnibus repugnare, & aduersari possimus. Vnde in præparatione ptisanę, vbi pręsente ingenti interius caliditate sit exhibenda, torreatur hordeum, antequam coquatur. hinc enim maiore vi exsiccandi prædita erit. in multa tamen humorum corruptione, tum quoniam facilè diffluit, tum quia facilè corrumpitur, ab hac abstinendum erit. in ferculo ex pane trito hoc fiat, vt medulla panis optimi in aqua fonci, seu endiuiæ, vel acetosæ, aut simili, infundatur, quæ exprimatur, & bis & ter commutetur, vt panis inde lotus nouam adipiscatur qualitatem, & vim. sicq; expressus in iure ad ferculum conficiendum præparato elixetur. fercula ista itidem ad remittẽdam caliditatem præparentur cum lacte seminum melonum, vel cucurbitæ, lutea ouorum sorbilia exhibeantur, vel sola, vel in iure alterato dissoluta. oua ipsa, antequam coquantur, temporis æstiuis, & calidioribus teneantur in aqua frigida vel acetosæ, vel endiuiæ, nè ab aere facilius alterẽtur, & in hunc vsum recentia tantùm assumantur. Carnes coquantur cum prædictis alterantibus, vt nouum inde consequantur temperamentum, & facultatem. Vbi autem maior vigeat putredo, & corruptio, iubeo ego, vt præparentur carnes modo hoc nunc explicando. Accipiant pullum, quem impleant cerasis acidis, amarenis dictis,

Præparatio.

Contusum exhibẽdũ in feb. pest.

folijs acetosæ, folijs limonum, folijs citri, & similibus; postea bulliat pullus vnica ebullitione, ita vt ablata spuma, expurgetur ab illo excremento crassiori. deinde in veru torreatur ad ignem non fumosum, cui, dum torretur, superinfundatur ius pulli, addita tertia parte succi citri; fugiatur enim omnis pinguedo, quoniam ab hac humores facilè accēduntur, & sæuiunt. hinc autem habebitur caro tosta satis mollis, & suauis, quæ in vsum, cum expediet ægrotanti, ad comedendum venire poterit, præcipuè autem pars interna, non illa externa tosta, & siccata: ego autem ex pulpa illa interiori iubeo, vt paretur contusum, admixto iure alterato, quod optimè contundatur, & per cribrum tenuè transcoletur, vt coctioni faciliùs cedat. hinc autem habebitur alimentum, quod multum nutriet, & venenatam qualitatem propulsare, corruptioniq́ue, ac putredini resistere queat. si tamen vires non ita valeant, vt hoc contusum sustinere possint, iubeo, vt ex eodem pullo eliquato in bulliendo habeatur ius, quod eiusdem erit facultatis, & multum nutrire poterit.

Stillatitia exhibenda in feb. pest.

Quòd si vires magis adhuc labant, accipio pullum, impleo conseruis iam in curatione enarratis, admixtis herbis, seminibus, & pulueribus cordialibus, & speciebus eiusdem facultatis, semper habita ratione, & febris, & humorum peccantium, iubeoq́ue, vt vel prius coquatur in aliqua aqua stillatitia, quæ, si haberi poterit, non per vasa plumbea, sed per vitrea sit sublimata, morboq́ue, & causis morbi proportionata: vel etiam si non coquatur, per balneum, Mariæ dictum, in vase vitreo destilletur, quo aqua carnis habetur potens in propulsanda praua qualitate, & valida in nutriendo. cuius vsus erit per interualla, & nō continuè, vt multi hanc partem malè intelligentes, & mulieribus consentientes nō nunquam exhibendam iubent. Ad præparationem etiam pertineat coctio ciborum in aqua minerali, seu naturali, de qua superius. quæ aqua quando sit adhibenda, iam declarauimus, Videlicet vbi simul cum pestilenti febre adsit colli-

quatio,

quatio, vel consimilis alius affectus. Tempus exhibendi *Tempus.* cibum à temporibus morbi desumitur;tempora autem morborum alia sunt particularia, alia vniuersalia. in particularibus hæc cibandi seruetur ratio, vt semper in declinationibus particularium accessionum offeratur cibus, si virtus eousq; perferre poterit. vbi enim interuenerit aliquis casus virium robur dissoluens, quocunq; tempore nutrire cogimur. Si autem accessiones parem habuerint æqualitatem, eundem seruantes febris motum, cibus ea exhibeatur hora, qua ægrotans sanitatis tempore assumere consueuerat. ita enim facilius cibum tolerabit, minusq; ab eo grauabitur. Quò ad vniuersalia tēpora hoc obseruandum est, vt in primis diebus is tantùm offeratur cibus,qui virtutem manutenere posſit, vel parum augere, si opus fuerit. quare tunc temporis exhibeantur tantùm ouorum recentium lutea, fercula in iure pulli alterata, vel iura ipsa modo superius declarato præparata, non autem exhibeantur carnes; quoniā tunc nimis graue onus naturæ essent, putredinem augerēt, & potius opprimerent, quàm releuarent vires. quod tamen in ægritudinis progressu, alteratis pro parte, & humoribus, & praua qualitate, laudarem, si cum moderamine administrentur, & instante necessitate ad virium resolutarum restaurationem. ad quam intentionem commendo omnia prædicta,quæ summa tamē cū ratione administrari debent. tanta est enim huius morbi sæuities, vt sicuti in medicamentis, ita in ratione victus nullum impunem ferè vnquam admittat errorem. Pro potu abstineant primis diebus ab omni genere vini; dum enim materia cruda est, à vino maximè exagitatur, & facilius feruescit. aqua simplex etiam nō cōuenit, quia in hypochondrijs facilè bilescit; si bibant etiam aquam cum saccaro coctam, & nullam dilutam, mihi hæc non admodum probantur;quoniam similia dulcia facilè vētriculum subuertunt, quod maximè vitare in hisce morbis debemus.nonnulli succum granatorum, succum berberis, *Potus administrādus in feb. pest.*

succum vuæ immaturæ aquæ pro potu admiscent. at ista ad modum adstringentia semper mihi valdè suspecta sunt. bibant potius aquam hordei, vel aquam, in qua decocta fuerint cerasa illa acida, amerena dicta. consueui ego ordinare, vt pro potu in aqua cocta tãtum iuleb rosacei, & tantũ vini granatorũ medij saporis admisceatur, vt nec dulcedo, nec austeritas gustui pateat, ex quibus habeť potio, quæ nec ratione dulcedinis infesta, nec ratione austeritatis nocua erit. Apparentibus autem coctionis signis, vel virium imbecillitate instante, exhibeatur vinum album, pauciferum, odoratum, nec dulce, nec adstringens, sed medij saporis, vel sub adstringentis, & optima aqua lymphatũ: quòd si ratione affectionum cerebri, vel alicuius instantis symptomatis, vinum timeamus, panis medulla ad prunas calefiat, & leuiter torreatur, huicq; superinfundatur vinum, quod per notabile temporis spatium ita infusum maneat, postea panis extrahatur, qui iam vini subtiliores spiritus, & calidiores attraxerit. quo pane extracto, superaddatur aquę ea quantitas, quę ad vinum lymphandum satis esse poterit. hoc autem pacto paratũ vinũ non ita petet caput, nec incẽdium facilè augebit. Vini autem quantitas sit pro ratione ingesti cibi; vbi enim plurimum vini fuerit, difficilior concoctio alimenti subsequetur ob supernatantem ad os ventriculi assumptũ cibum, faciliusq; indè cerebrum ob eorum plurimos vapores replebitur. & hæc de cibo, & potu. Quò ad aerem, temperetur, & alteretur, pro ratione morbi, temporis anni, constitutionis aeris, eiusq; qualitatis; & in hunc vsum veniãt omnia ea, quæ superius descripta sunt pro aere alterando, & temperando, & expurgando. Excrementa, præsertim crassiora, si non spontè descendunt, arte procurentur, hicq; ea conueniunt clysteria mollia, de quorum præparatione superius iam abundè dictum est. acriora autem vitentur, & in hunc vsum non admittantur. Quies summa imperetur; itá enim facilius natura coctionem accelerabit, quã à proprio coctio-

Aer.

Excrementorũ ratio.

Quies.

coctionis opere motus distrahit. Somnus, & vigilia moderata sint; Vtraq; enim si modum excesserint, malum. somnus diurnus, vbi in nocte dormiat æger, est fugiendus, solumq;, nocturnis instantibus vigiliis, concedendus. Quòd si non dormiat, arte procuretur, adhibendo leuiora; quoniam grauiora, cùm stupefacientia sint, stante virium imbecillitate, quæ ferè semper hanc concomitatur febrem, valdè suspecta sunt, cum vires extinguere nimia stupefactione possint. Quòd si vigiliæ cum tali virium languore valde instẽt, abstineat medicus ab his, quæ interius exhibentur, & solum exterioribus agat, sicuti inunctionibus, linimentis, odoramentis, balneis ad extremas partes factis, & similibus, à quibus timenda non sit virium dissolutio. Si autem non vigilia, sed somnus superfluat (quod semper est malum, cum omnes febres somniculosæ timendę sint) excitentur patiẽtes odoramentis, & suffumigijs factis ex aceto, in quo herbæ attenuantes ebullierint, sicuti origanusa, pulegium, thymum, maiorana, saluia, stæchas, & huiusmodi. præterea frictionibus, ligaturis, cucurbitulis vel scarificatis, vel non scarificatis, reuellatur materia ad partes inferiores. quòd si materia in cerebro proprium affectum inducat, cerebro per propria medicamenta, & morbo proportionata attendatur. Omnia animi molęsta accidentia vitentur, sint hilares patientes, læti viuant, & benè sperent, Diuinũ implorantes auxilium, cuius ope, & febris tolli, & vita diu conseruari poterit.

somnus, & vigilia.

Animi accidentia.

FINIS.

PETRI

PETRI SALII DIVERSI, MEDICI, AC PHILOSOPHI FAVENTINI.

DE AFFECTIBVS PARTICVLARIBVS.





Edici ea prestantia esse debet, vt non tantùm circa illos morbos, qui frequentius accidunt, quorumq; exactissima ab authoribus habetur pertractatio, bene se gerat, sed etiam, vt in eis, qui rarò eueniunt, quosq; praxim communiter docentes vel neglexerunt, vel ignorauerunt, ita se præbeat, vt recta cum ratione, opportuna in his administrando medicaměta, miseros ægrotantes, artis nostræ implorantes auxiliũ vel negligentia, vel ignorantia non eludat; ità enim agendo præstantem medicum se esse ostendet, & dignum, cui ægrotantium salus, & hominum vita fideliter, & meritò cōmitti posit. Qua de re cum tanti hoc referat, & cum inter morbos ego nonnullos, qui rarò contingunt, & quorũ tractatio à communiter medicinam facientibus non habetur, aliquando homines infestare adnotauerim, de his (cũ præcipuè inter cæteros nonnulli periculosissimi existant, sæpissimeq; mortem ægrotantibus inferant) hic agere decreui, tum vt vnicuiq; pateant, tum etiam vt eorum recta curandi ratio innotescat. Vnde monitus in his raris ægritudinibus hoc consequetur Medicus, vt si ægros hisce morbis laborantes sanitati restituere ob eorum sæuitiem quandoq;

non posśit, saltem apposite ad sanandum curando opportuna, conuenientiaq; adhibeat medicamenta, & innoxiè, & cum ratione medendo discernat, rectèq; iudicet de futuro ægritudinis euentu. inter hos primum habeat locum cerebri inflammatio. qua declarata ad cæteros descendam, singulorum essentiam, causas, signa, & curationem proponens, & explicans.

De Cerebri inflammatione. Cap. Primo.

APprehendit aliquando cerebrum inflammatio, cuius tanta est violentia, vt inde ægrotantes intra quartã diem sępius morti succumbant, cum inuadit hic affectus; apprehẽdit patientem ingens capitis dolor, qui p occiput collo, & vniuersæ spinæ communicatur, à quo statim deperdũtur sensus, tum externi, tum interni, solusq; remanet motus, qui adeò nonnunquam in his ægrotantibus validus est, vt vix quandoq; loco contineri queant. quamprimum enim correpti sunt hoc morbo deperdito, vnoquoq; sensu exiliunt ægri, quemcunque inordinatum motum tentantes, modò cruribus & pedibus, modò toto corpore se agitantes, præcipuè autem manibus, partes superiores, licèt non semper, sæpius tamen, inuadunt, easq; toto conatu distraheré nituntur; vt interdum viderim ego mulieres hoc morbo detentas omnes crines dilaniasse, & totam faciem vnguibus proprijs dilacerasse, sicuti etiam & viros hac eadem ægritudine deprehẽsos totam ferè barbam sibi euellentes idem fecisse conspexerim. procedente morbo languescit corpus, ad motumq; impotens redditur. hi semper sine voce manent, nec vllum vestigium sensus retinent; cum nec (si etiam fortiter pungantur) respondere, aut annuere posse videantur. accedente hoc morbo, vnà inuadit acutissima, & intensissima febris, quę eundem semper concomitatur affectum, cum tanta tamen febre, nec, si potũ offeras, quid gustare tentant; immo nihil nec cibi, nec potus vnquam *Causa quare non sentiant.*

quam admittunt. Horum omnium causa est inflammatio, substantiã, corpusq; ipsum cerebri occupãs. cuius ratione ita deperduntur virtutes rectrices, cũ cerebrũ per propriam, & innatam temperiem munia sua exequatur, vt nec dignoscere affectum ipsum, nec cętera queant: vnde licèt in parte neruosa spiritus animales non sint intercepti, tamen, quia his mens ęgrotat, & deprehensa est, nec dolorem, nec quid molestum ad extra persentiunt, interius tamen cum supra modum affligantur, adsitq; incendium maximum, irritata natura est in causã illius motus voluntarij, qui non potest tolli, non obstructis, vel occlusis neruis ipsis. Febris autem huic morbo connectitur; quoniam cum inflammatio sit valida, & sit in membro principali, necessariò ad hunc consequitur febris. Huius inflammationis causa est sanguis super calefactus, vel admodum biliosus, qui affatim irruens ad partes superiores, cerebri corpus, & partes eius internas, ipsiusq; substantiam occupans in eo figitur, firmaturq; ac inflammationem facit; per inflammationem nunc intelligamus omnem tumorem calidum, siue pura inflammatio, siue erysipelas, siue ex utrisq; mixtus affectus fuerit. Huius signa ex prædictis sumantur, quibus hoc addatur, quòd facies in huius morbi principio satis rubet, & fere tumet; oculi autem pręcipuè rubent, & in his venæ sanguine plenæ apparere solent, coastantesq;, ac fixi prominent. Prædicta signa obseruantes habebimus ea, per quæ distinguitur hic affectus à cæteris, qui huic similes existentes cerebrum occupant. Ab Epilepsia differt, quoniam licèt in vtrisq; deperdantur sensus interiores, & exteriores, & in vtrisque adsit motus, tamen in Epilepsia est motus conuulsiuus, in hoc autem est voluntarius; præterea in Epilepsia spuma ex ore procedere consueuit, quæ nunquam in hoc affectu videtur, cui etiam necessariò febris acuta connectitur, quod non est in epilepsia. Ab apoplexia distinguitur; quoniam in apoplexia tollitur & motus, & sensus, at in isto soli sensus desunt,

Causa.

Cerebri inflam matio quomodo differat à cęteris morbis cerebrũ occupantibus.

non

non motus. præterea apoplexiæ necessariò non adiungitur febris, immo rarò in ea, & salubriter aliquando apparere solet; at in hoc febris acuta admodum de necessitate connectitur. A phrenitide autem distat; quoniam in phrenitide est delirium, & non deperduntur sensus, quorum neutrum est in isto affectu. Videtur quidem consimilis phrenitidi hic morbus ratione affectionis, & ratione loci affecti; quoniam in vtrisq; est inflammatio, & in vtrisque inflammatur cerebrum, tamen maxime differunt ratione partis, & loci affecti; quoniam in phrenitide potius est inflammatio in mēbranis, quàm in cerebro ipso, & præcipuè in tenui, à qua communicatur & ipsi cerebro inflammatio, potissimumq; parti eius exteriori, & contangenti membranam: at in ista internas cerebri partes, eiusque ventriculos, & propriam substantiam inflammatio occupat. qua de re casus hic grauior est, quàm ille, magisq; lethalis, & potissimum cū hæ inflammationes magnæ existentes partem frigidam, materiæq; peccāti improportionatam occupent: vnde sæpè euenire solet, vt partem ipsam patientem ferè corrumpant, & ad gangrænam deducant: quapropter dicebat Hippocrates casum hunc ab alijs non animaduersum, cōsiderans. Quibus cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt, si verò hos euaserint, sani fiunt. per sphacelum autem hic, vt monet Galenus in commento, intelligit non factam, & completam partis corruptionem; quoniam hæc sanationem nō admittit, sed quæ est in fieri, imminetq; ob inflammationis magnitudinem. Qui autem hoc patiuntur, velociter pereunt, tum quoniam morbus est grauissimus, tum quoniam pars maximè principalis admodum læsa est. quòd si tamen contingat, ægrum tribus primis diebus superuiuere, & ad diem quartum peruenire, possumus sperare, & morbum declinaturum fore, & vires ita fortes esse, vt morbum superare possint. quod vbi contigerit, in ægro nulla erit memoria præteritorum. non recordatur enim nec morbi, nec

Lib. 7. Apho. 51.

Sphacelus qd significet quandoq; apud Hippocratē.

nec alterius rei ad morbum ipsum pertinentis, tantùm hoc vidi in nonnullis, qui saluati fuere, quòd confusè meminerunt se valde anxios, & angustiatos fuisse, magnumq; incendium persensisse, non tamen quid distinctè enarrare potuerunt. Huius morbi meminit etiam Hippocrates lib. tertio de morbis sub nomine sphaceli, seu syderationis ipsius cerebri. vbi habet, quòd in his caput dolet, & ceruix, & spina. quod intelligas, dum hic morbus patientem aggreditur; hoc enim facto sensus omnes externos, & internos amittunt. quod docere voluit exemplo auditus, & loquutionis, dum inquit, quòd illi non audiunt, & quòd de repente obmutescunt. subdit, his sanguinem è naribus defluere, quod non est vniuersale signum, sed aliquibus tantùm peculiare. quibus si copiosior fluat, indicium est ex morbo conualiturum ægrum. si parcè autem, & stillet tantùm, contrarium enunciabit. quòd autem, vt inquit, hi liuescant, est in casu, in quo iam natura succumbente verè cerebrum sphacelatur; dum enim est spes salutis, nō liuent, sed potius rubent ęgrotantes. Huius morbi narrationem æmulatus est lib. secundo de morbis, sed paulò aliter: quæ omnia fere in idem coincidunt, exponenda tamen ea ratione, qua nos morbum hunc iam explicauimus. De cerebri inflammatione loquuti sunt etiam Paulus, Aetius, & Oribasius ex Philumeno, quos æmulatus est etiam Auicēnas in huius morbi explicatione, sed eorum casus non est huic, quem nos explicamus, consimilis. quoniam isti asserunt in hac cerebrum inflammatum ita intumescere, vt suturæ capitis disparentur. quod dictū nedum verificatur in casu nostro, sed nec apud me est possibile, cū suturæ ex graui ictu non ita facilè dissolui, & disparari possint, nedum quòd imaginari queat, ex tumore interno hoc accidere posse, nisi forsan hoc in puerulis admittatur, in quibus suturarū ligamenta mollissima existunt, cartilaginosaq; corpora nondum ossea sunt facta. prætcrea addunt subsequi nauseam multam in illis, bilisq; vomitum super-

De cerebri inflāmatione an loquuti sint alij Authores.

superuenire, quorum neutrum in casu nostro reperitur, nisi forsan hoc ante factam inflammationem acciderit, vt semel in vno vidi, qui in primo morbi insultu copiosissimè euomuit, statimq; facta inflammatione, & sensus exteriores, & interiores amittens ab omni euacuatione quieuit. De Erysipelate etiam cerebri loquuti sunt, sed signa nostra non ponunt, & addunt in hoc dolorem totius capitis adesse, & videri ęgrotantibus flammam in ipso cerebro habere, quæ duo iure consequuntur quidem ad erysipelas; sed cum postea omnem sensum, & cognitionem hic tollat, non possunt esse signa præsentis morbi. quare pro habendis huius signis recurratur ad ea, quæ ego declaraui, & enarraui, constituamusq; morbum hunc, cum sit inflammatio vel simplex, vel erysipelatides, esse intemperiem calidam cerebri cum materia, & cum tumore. quapropter pro eius curatione indicabitur, vt materia in cerebri substantia contenta euacuetur, & ipsum cerebrũ refrigeretur. euacuabitur ista materia, si retrocedet, vel è corpore educet: retrocedet, vel impulsa, vel attracta à corpore: educet, vel sensibiliter, vel insensibiliter; materia tñ non põt retrocedere, nisi prius corpus sit euacuatũ. Et ideò primò totũ euacuãdum est. Secundò ità agendũ est, vt materia retrocedat, retrocedet autem, vel si reprimatur, vel si retrahatur. Tertiò debemus materiam discutere, & resoluere, & suis loco, & tempore refrigerare. An possit Medicus his indicationibus satisfacere, vel non: dixerim vnum, scilicet, rarò hoc contingere, vt huiuscemodi ægrotantes saluentur; quoniam tanta est huius morbi sęuities, vt cerebrum ipsum ad gangręnam vtplurimum deducat, nisiq; ex arte statim opportuna adhibeantur medicamenta, citissimè pereũt, & maximè, vbi vires ægrotantis imbecilles erunt, potissimum cũ has nullo modo restaurare possimus; ad oblata enim nequaquam apti sunt, solisq; exterioribus auxilijs hic agere possimus. Vbi tamen vires fortes erunt, cum in omni interna inflammatione, & in acutis morbis vnica sit

Signa.

Indicationes.

Prognostica.

Lib. 10. Met. cap. 5.

ca sit salutis spes ipsa virium fortitudo, si cętera citò, tutò, & cum ratione administrentur, possimus quoquo pacto salutem, licèt semper cũ maximo ægrotantis descrimine, & periculo, sperare. Pro executione autem indicationum propositarum ita procedendum erit. pro totius corporis euacuatione statim secanda est vena interna brachij dextri, vbi sit magna plenitudo: vel si nõ adsit plenitudo, humeraria, pręmissa alui lenitione per leniens, & refrigerans clystere, non per acre; acria enim per partem post partem calefaciendo magis inflammant, & affectum præter naturam adaugent, febremq; intensissimam, & acutam, quæ huic affectui connectitur, magis accendunt. Venæ sectio sit copiosa, repetaturq́, eadem die ex altera humeraria. interim reprimentia, & actu frigida adhibeãtur. opportuna ad hoc sunt oxirrhedina ex oleo rosaceo completo, nõ omphacino, addita quarta parte aceti ad penetrationem, quibus totum synciput optimè abrasum continuè madefiat. Sed quoniam hic summum est incendium, magis laudo irrigationes, & Embrochas cõtinuè adhibitas, & factas ex decoctionibus herbarum refrigerantium, sicuti ex endiuia, lactuca, solatro, semperuiuo, violis, portulaca, acetosa, & similibus, quæ actu frigida in continuo sint vsu super sinciput admodum Embrochæ stillantis; possunt etiam cessantibus Embrochis, parari emplastra ex prædictis herbis contusis, admixtis earundem succis, oleisq́; refrigerantibus, addita portiuncula aceti rosati. hæcq; frigida actu applicentur: quæ cum incaluerint, remoueantur, & repetantur. hocque modo in morbi principio, & præcipuè, si tempus ęstiuum fuerit, agatur. His refrigerare, & materiam repercutere poterimus: quam eandem materiam à cerebro retrahemus reuulsionibus, & deriuationibus. pro quibus satisfacient cucurbitulę scarificatę, quę plurimæ sint, & profundè incidantur, quæ postea etiam repetantur, sed vbi non sit magna vrgentia, non scarificatę. ad idem facient frictiones, & ligaturæ dolorosæ

lorosæ extremarum partium. quæ etiam balneari possunt decoctionibus herbarum refrigerantium, sed quæ sint actu calidæ. ita enim actuali caliditate possunt reuellere, potentiali autem frigiditate refrigerabunt, & vaporibus illis cerebrum demulcere poterunt. fiant autē hęc ex folijs rosarum, violarum, maluarum, lactucarum, salicis, & huiusmodi, quibus semper aliquid chamæmeli addatur ad aliquam discussionem, & faciliorem transmissionem. ad eandem intentionem exulcerantia humeris, & spatulis apposita facient, quibus ego aliquando vsus sum cum optimo successu ea ex cātharidibus formando. Pro deriuatione conuenient hirudines post aures applicatæ, sectioq; venarum sub lingua, si ægrotantes admitterent, satis commoda esset, Sed illis vniuersalioribus præmissis, factisq; predictis reuulsionibus hoc vnum maximè laudo, cui potissimum attribuo sanitatē in nonnullis ex tali morbo recuperatam: Videlicet missionem sanguinis ex naribus, quam hirudinibus ad narium penitiores partes applicitis habeo, nitorq;, vt copiosè effluat sanguis, vel ijsdem repetitis, vel ad nares apposita spongia aliquo liquore relaxante, non tamen calidiori imbuta, vel saltem in aqua dulci calida infusa. hinc maximè subleuatur cerebrum, alleuiataq; natura morbus, si fieri dabitur, vnquā aliqua via, superabitur. quo casu remittantur refrigerantia illa, & quo ad actualem, & quò ad potentialem frigiditatem, admisceanturq; prædictis tunc aliqua temperata, vel leuiter discutientia, sicuti exirrhodino oleum chamęmelinum, embrochis illis malua, flores chamæmeli, meliloti, semina fęnugræci, lini, radices altheæ, & consimilia, quæ aliqualiter discutere valeant, quorum vsum postea declināte morbo solus erit vel nullis admistis, vel paucioribus refrigerantibus. sternutatoria etiam tunc temporis, iam euacuato cerebro, & inclinante morbo adhibeantur, & aliqua odoramenta, quæ non sint grauia, nec caput replere possint administrētur. Et dum hęc omnia fiunt, semper habeatur

aluus lubricà, & si non sponte fluat, ex lenientibus clysteribus, vt supra dictum est venter leniatur: & quoniam in his aliquando non prodit lotium, non exurgente virtute ad munus suum, vbi hoc euenerit, ad imum ventrem apponatur vesica semiplena oleo calido, vel aliquo decocto relaxante. inungatur idem locus oleo amigdalarum amararum, oleo de scorpionibus, & foueatur cum his, quæ virtutem excitare, & relaxare possint. Hęc quò ad medicamenta, quò ad victum, rarò est, quòd ante quartam veniat cibus offerēdus, quoniam, vel primis tribus diebus pereunt, & sic cibandi occasio præterijt, vel his transactis ad quartam perueniunt, quo tempore, si res ex voto successura sit, incipiūt ægrotantes releuari, & aliquo modo sensus recuperare, & tunc cibandi sunt. sed cū omnimoda inædia præcesserit, non statim pleno victu vti debent, sed tenuiter alantur, cōtentiq; sint ferculo in iure pulli tenuioris, vel alterato cum seminibus communibus, abstineantq; a vino, quò ad præsens nō fuerit totius morbi vniuersalis, & manifesta declinatio, quo tempore vinum bibant, sed pauciferum, & lymphatum, largioriq; cibo vtantur, qui pro ratione virium, & morbi pręcedentis expediat tuncq; poterunt ægrotantes pharmaco electiuo ab humoribus calidioribus expurgari, vt integrè omnis morbi causa amoueatur.

De Apoplexia à sanguine. Cap. II.

APoplexiam fieri ab humore frigido, viscido, & lento, sit vel pituita, vel humor melancholicus, replente, & obstruente cerebri ventriculos, cuius ratione vis animalis ad partes inferiores defluere non possit, vndè ægrotantes motu, & sensu vnà cum detentione principum facultatum priuentur, nemo non nouit, omnesq; scribentes de hac pertractant. At Hippocrates quarto regiminis acutorum docuit etiam hanc fieri à sanguine, vt ibidem declarauit Galenus in commento vigesimo tertio, & vigesimo septimo,

Apoplexiam fieri à sanguine.

ptimo, quod idem & affirmault libro curatiuo per sanguinis missionem cap.quinto hæc verba habens. Nam hoc pacto apoplexię proueniunt, multo nimirum sanguine in principium animantis confertim irruente. Quod præcipuè aliquando in his contingere docuit, qui plurimo abundantes sanguine ad validas exercitationes perducuntur. vt habet lib. 3. Aph.cõmen.20. sanguinis hæc plenitudo cerebrum occupans non per obstructionem ventriculorũ, sicuti pituita, & melancholicus humor, apoplexiam generat, sed propter eorundem constipationem, & constrictionem, cuius ratione vis animalis ad infernas partes defluere impeditur. Venæ enim omnes cerebi, & sinus illi ampli, & præcipuè retiformis plexus adeò sanguine hoc confertim irruente replentur, vt ventriculis, & vasis principalibus anguﬆiatis transitus virtuti animali prohibeatur. Hinc dicebat Galenus libro secundò aphorismorum cõmen. 42. duplici de causa fieri apoplexiã scilicet aut oppletis ventriculis cerebri humore frigido, qui est casus, de quo omnes scribentes agũt. aut propter aliquam dispositionem inflammationi similem, quæ in ipso cerebro constituta sit. & hic est casus pręsens, de quo nos agimus, & cuius curationem neglexere, qui singulorum morborum medicationes docere profitentur. Nã verè in tali apoplexia explurimo sanguine, cum ex calidis humoribus vnus sit, cerebrum occupante fit affectus inflammationi similis. Aduertatur autem quod non dixit Galenus ab hoc inflammationem fieri, sed affectum inflammationi similem: quoniam in hac apoplexia sanguis ad intra propria vasa continetur, nec substantię cerebri communicatur, at in vera inflammatione à venis magnis ad minores, à minoribus ad capillares, ab his autem in porositates, & substantiam cerebri transmittitur. vnde verè membrum inflamatur. Quod membrum inflammatum cum sit ex principalibus, necessariò ad eius inflammationem cõsequitur febris. quæ febris cum ab apoplexia abnegetur, non enim Hippo-

Causa.

In apoplexia à sanguine nõ fit vera cerebri inflammatio.

crates nec Galenus vnquam huic, aut alteri apoplexiæ febrem cópulari meminere; ideò apoplexiam à vera cerebri inflammatione causari non tradunt, nec ab ea fiet, sed tantùm ab affectu inflammationi simili, qui non erit, nisi maxima venarum, & vasorum à sanguine calidiori repletio, de qua vasorum repletione solum in casu isto Hippocrates, & Galenus, non autem de cerebri substantia malè affecta meminere; cuius ratione dicebat Hippocrates. Quod autem quis repente obmutescat, id venarum interceptiones, occlusionesq; faciunt. quem locum declarans Galenus libro de morborum causis, post alia subiungebat. Vbi verò intercipiuntur; quæ sunt in animali, arteriæ, hoc est ita oppletæ sanguine fuerint, vt nullus in ipsis relinquatur locus, in quē, dum attolluntur, aerem externum attrahere possint, tunc quodammodo strangulatur, atque extinguitur calor internus, ac qui ita affecti sunt, subito sensum, & motum totius corporis amittunt. Quare hæc apoplexia non ex substantia cerebri inflammata, sed ex eiusdem vasorum nimia oppletione causabitur. Et hinc pateat eorum error, qui locum illum Galeni secundi aphorismorum exponentes per dispositionem inflammationi similem intellexerunt, vel veram inflammationem, vel erysipilas, pateatq; nec eos mentem Galeni assequutos esse, nec veritatem attigisse. vbi enim cerebrum vel inflammationem, vel erysipilas patitur, si partes exteriores, & membranæ tantùm hic patiuntur, fit phrenitis, si autem intimæ partes, & internæ, ipsiusq; cerebri substantia hoc idem passa sit, accidit affectus ille, de quo supra egimus, non autem apoplexia, in qua cum necessariò adesse debeat impedimentum, per quod statim prohibeatur descendere vis animalis ad inferiores partes, hoc nō ex erysipilate nec ex pura inflammatione, quoniam hinc nec ventriculi, nec vasa omninò angustiantur, pendere potest. sed tantùm hoc fiet, ex venarum, arteriarum, sinuumq; nimia sanguinis repletione, cuius ratione facta constipatio, &

Lib. 4. reg. acut. 23.

Lib. de caus. morb. cap. 3.

& constrictio, vnde spirituum non tantum transitus prohibeatur, sed etiam, & ipsi strangulentur, & suffocentur, sit in causa, vt subito motus, & sensus vnà cũ detentione principum facultatum amittatur, sicq; vera, & exacta succedit apoplexia. Hunc affectum olfecit quidem Auicenna nõ tamen perfectè metam ipsam attigit. nam apoplexiæ essentiam declarans docebat etiam eam à sanguine fieri. quã duplici ratione accidere testabatur. scilicet vel eo statim effuso ad ventriculos cerebri, perinde, ac ob pituitæ, & humoris melancholici ad eosdem subitò factam effusionẽ fit etiã apoplexia, quod non alia poterit contingere via, nisi cum ex vena, siue hoc ex causa procatarotica, siue ex interna eueniat, eiectus cerebri cauitas multitudine replens eas obstruit casus mea sententia insanabilis, tũ quia ea sanguinis copia ex vẽtriculis cerebri arte educi nõ potest, tũ quia ibi permanens necessario in grumos conuertetur, à quibus ineuitabiliter mors succedet. Vel eo oppilante non cerebrũ, vel cerebri vasa, sed meatus ipsius spiritus ad cerebrũ permeãtes, qui meatus sunt arteriæ carotides, & venæ iugulares. his autẽ ex vehemẽtia repletionis, & multitudine sanguinis oppilatis credit Auicẽna hominẽ statim apoplexia deprehendi, perinde, ac cõtingere consueuit (inquit ipse) cõstrictis venis apoplecticis; quibus ligatis deperditur statim motus, & sensus. At hic casus à nostro ratiõe loci affecti, cũ nos cerebrũ ipsum affectũ, hic autẽ vasa ad cerebrum deuẽientia affecta supponat, multum dissidet, nec veritati. aut Galeno conformari videtur. Nam fallum est his vasibus, siue per hæc vasa venas iugulares, siue arteriasq;, intelligas. coarctatis, & constrictis hominem sopiri sensumq;, ac motum amittere, vt clarè docuit Galenus lib. 2. de plac. Hipp. & Plat. cap. 6. qui etiam lib. de pulsuum vsu cap. 2. ligatis venis iugularibus exiguum quid incommodi animal sentire, vinctis autem arterijs carotidibus etiam idem currere posse experientia hoc approbante testatus est. Si autem his ligatis non sopitur

Auicenna an egerit de apoplexia à sanguine.

An obstructis venis iugulantibus, & arterijs carotidib. homo fiat apopleticus.

tur animal, in eoq; seruatur motus, & sensus, deperditur autem tantùm, vt loco prius citato monet Gal. pulsatio in arterijs super partem ligatam existētibus, igitur nec his obstructis, aut oppilatis videtur posse hominem apoplexia depręhendi subsequitur quidem ex tali oppilatione læsio, in homine lethalis, vbi hæc perseuerauerit, quoniam huius ratione non cōmunicata vitali virtute; ac spiritu ipsi cerebro, omnes eius virtutes in posterum periclitabuntur, non tamē succedit apoplexia, quæ subitò accedens affatim sensum, & motum auferre consueuit. in hac autem oppilatione cum subitus non fiat casus, nec etiam apoplexiæ nomine vocari poterit. Forsan autem lapsus est in hac re Auicenna ex nomine venarum apopleticarum quas Arabes ita appellarūt, quia opinati sunt his constrictis apopleticum hominem fieri. Hi autem apopletica vocarunt, & subetica hæc vasa ad imitationem Græcorum, inter quos præcipuè Aristoteles hoc idem libro de somno, & vigilia, pro verò supponens rē censeatur, qui has carotides arterias, quasi his obstrictis, & angustiatis stupidus, & soporosus homo reddatur, dixere. cū tñ & in hac rē antiquiores Græci errarint, qui ligatis vnà cū his arterijs venis, & neruis, videntes animal mutū reddi, illud sopitum dixere, obmutescentiam ipsam soporem arbitrantes, quod non ab arterijs tamen, sed à neruorum interceptione causatur, quemadmodum Galenus loco citato clarissimè expresit. Quare hinc censeo Auicennam lapsum fuisse. Ni forsam eum nos ab omni calumnia vindicare nitentes, dicamus ipsum per meatus ipsius spiritus ad cerebrum intellexisse plexum retiformem, ac choroidem cōtextum, quibus, aut obstructis, aut angustiatis, cum nō per eà subministretur amplius spiritus animalis ipsi cerebro necessario eo munere suo non fungente concidit animal, sensuq; ac motu vna priuatur. Qui tamen casus, à nostro lōgè diuersus est, nec coincidit cum his quæ à nobis declarata sunt, licèt in hoc etiam prędictorum vasorum obstructio

à san-

à sanguine ipso supponi queat. Huius autem cum nos essentiam causas differētias signa, & curationem tradere debeamus pro eius declaranda, & essentia, & causis sufficiant ea, quę nunc dicta sunt. Differentias, & signa earundem habebimus ab eodem fonte, à quo & alterius apoplexiæ lubebimus. nam hic, cuiuscemodi, & illā, vel est fortissima, vel fortis, vel minus fortis, vel debilis. harum differentiarum signa desumūtur ex anhelitu, qui si vel prohibeatur, vel magna cum vi inspiretur, vel si non erit violentus, sit tamen inæqualis, inordinatus, & intermittens, vel si aliquo modo sit ordinatus, & non ita intermittens, nec ita inęqualis, indicat, vel fortissimam, vel fortem, vel minus fortem, vel debilem apoplexiam. Hanc vltimam curare poterimus si omnia fiant, quæ sunt ex arte necessaria, minus fortē non ita facilè, fortem cum difficultate maxima, & sæpè eius erit curatio impossibilis, sicut, & eius, quæ est fortissima. Signa autem, per quæ hæc apoplexia à sanguine genita differat, & distinguatur ab ea, quæ ab humore frigido ventriculos replente causatur, maximè consideranda sunt, quoniā vtrarumque curationes nō coincidunt, maximaq; in ægrotantium detrimentum errata, si omnia indiscriminatim fiāt, committi possunt. illa enim calefacientibus, incidentibus, acrioribus, exurentibus, & quandoq; igne ipso curatur, quę si in hac adhiberentur, omnia pernitiosa essent. Distinctionem hanc habebimus, si materiam peccantem, quæ sit, conijcere poterimus, præsentemq; ęgrotantem exacte inspexerimus, considerauerimus. materiam peccantem ex præcedenti victu, ex ratione vitæ, ex ętate, ex sexu, ex temperatura, ex anni tempore, ex aeris constitutione, ex passionum consuetudine, ex suppressa euacuatione, & similibus iudicare poterimus. Vnde si patiens vsus sit cibarijs ex farina subacta, lacticinijs, leguminibus, oleribus frigidis, rapis, vinis nouis, & similibus, si circa aquas, vel in locis humidis degerit, si sit senex, si mulier, si frigidæ, & humidæ

Differētiæ, & signa.

Prognosticn.

Apoplexia à sanguine quomodo differat ab ea, quæ fit à pituita.

complexionis, si sit in hyeme, si aeris constitutio his sit similis, si consueuerit pati morbos à pituita, si eiusdem aliqua euacuatio sit cohibita, si sit solitus excrementis pituitosis abundare, poterimus indicare morbum hunc à pituita genitum fuisse. Si autem patiens vsus sit carnibus syluestriũ animalium, vel domesticorum, sed salitis lentibus, caulibus, cochilæis, vinis nigris, & crassioribus, & alijs similibus si sit in ætatæ declinanti, si habitus calidi, & sicci, vel saltem calidioris hepatis fuerit, si simus in autumno, si in constitutione simili, si in regione sicca degerit, si consueuit pati morbo, à melancholia. si eiusdem aliqua euacuatio suppressa sit, & præcipuè si hęmorrhoidum consueta fluxio sit cohibita. si sit solitus abundare melancholicis excrementis, si plurima passus est animi molæsta accidẽtia, si curis solicitudinibusq; implicatus fuit, si vigilias, vel saltem insomnia formidolosa, & mæsta passus est, iudicare poterimus hanc apoplexiã à melancholico humore genitam esse. Si verò patiẽs assumpserit cibaria bonichymi, & sanguinem generantia, si hilariter vixit, si moderatè se exercuit, si sit iuuenis, si sit habitus carnosi, si temperaturæ calidæ, & humidæ, si simus in vere, si simus in constitutione calida, & humida, in regione consimili, si consuetus sit pati morbos à sanguine si suppressa sit aliqua sanguinis solita euacuatio, si plurimo sanguine abundare sit solitus, & si alia consimilia adsint, poterimus conijcere morbum hunc à sanguine gentium fuisse. quod idem confirmabitur, si ægrotantem considerantes, in facie ruborem, in oculis venarum apparentiam, & in capite calorem insignem adesse inspexerimus. quòd si pallor in facie, & frigiditas eiusdem, & totius capitis oculiq; caui adsint, pituitam, vel melancholiam esse in causa morbi poterimus suspicari. Cum autem habita hac causarum consideratione

Indicationes. proposita, & cognita fuerit apoplexia à sanguine, quid pro eius curatione indicabitur? Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. quare cum hic morbus fiat ex so-

la sanguinis repletione, eiusdem sanguinis euacuatio indicatur. quapropter statim mittatur sanguis, vt docet Hippocrates in casu isto, ex interna brachij dextri vena, sanguisq; copiosè educat; repetaturq; eadem die ex alterius brachij humeraria, & quoniam materia est firmata in cerebro, & loco principali, hic vltra vniuersalem totius sanguinis missione euacuationem factam conueniunt omnia reuulsionū, & deriuationum genera, quę proposita sunt inflammatione cerebri. Vnde cucurbitulæ scarificatę, & non scarificatæ, frictiones, ligaturæ, compressiones, balnea ad extremas partes, hirudines, & post aures, & ad intra nares applicitæ, ac etiam vltra hęc clysteria acriā cum hic nulla sit inflammatio conueniunt methodo conuenienti, & recta ratione administrata. An autem hic conueniant repercutientia, & cętera localia superius explicata, dico, quòd licèt quæcunq; materia in principio sit reprimenda cum tamen apoplexiæ principium vno oculi ictu pertranseat, cum fiat subitò, non ratione principij repercutientia conueniunt, quę nec etiam ratione materiæ peccantis conuenire possunt. cū enim sanguis nimia quantitate super abundans adeò repleat vasa, vt spiritui animali transitus per ea permeare, & ad inferas partes descendere prohibeatur, hincq; crassescat, & quasi coalescat, difficulterq; effluat; ideò reprimentia, adstringentia, refrigerantia, repercutientia non conueniunt; quoniam magis constipabunt, & constringent materiam, & eā impingent in vasibus ipsis, quam quòd eam possint à proprio conceptaculo excludere, & repellere. quare hic moneo abstinendum esse à repercutientibus, & refrigerantibus, quoniam hæc potius sanguinem sisterent, sed vtendū esse his, quę laxare possunt. quibus mediantibus sanguis, qui in loco affecto firmatus est, possit euacuationibus, reuulsionibus, & deriuationibus cedere. Ista autem laxantia sint moderatè calida, tum quò ad caliditatem actualem, tum quò ad potentialem; præ omnibus autem commendo balneum

Curatio.

Tex. 24.

Repercutiētia an conueniāt.

aquæ dulcis, eiusque embrocham, per hæc enim laxãtur facilè vasa, sanguisq; magis fluidus redditur. Vnde in his, in quibus minusquàm deceat sanguis è naribus fluxerit, laudat Hippocrates lauare caput aqua dulci calida quod remedium particulariter ipse in Mitone administrauit, vnde saguinem prouocando ægrotantem subleuauit, quoniã vasa laxare potest, & sanguinem fluere facit. Quod idem cum tentandum sit in apoplexia à sanguine videlicet, vt vasa laxentur, & sanguis fluidus reddatur, vt reuulsionibus arte faciendis, & etiam his, quæ à natura tentari possunt, cuiuscemodi vidi nonnullos ex sanguinis profluuio hoc morbo sanatos, facilius cedat remedium maximè conueniens, ac opportunum existet, & multum proficere poterit, cui in morbi progressus nonnullos etiam laxantia addere poterimus ea in aqua decoquendo, sicuti folia maluarum, violarum, radices altheę, radices maluę, semina lini, maluæ, fęnugræci, altheæ, & similia, quorum decoctiones ad hanc eandem intentionem procedente morbo in vsum venire possunt, modò quibusdam refrigerantibus temperatę, modò solę. Excrementorum hic eadem habeatur ratio, quam in superioribus habendam esse declarauimus. cibi, dum morbo detinentur, nullus est vsus, in eius autem declinatione ad sorbitiones deueniendum est cum omnimoda vini abstinentia. Qui docuit apoplexiam fieri obstructis, vel constrictis arterijs, quæ plexum retiformem conficiunt, si pro casu speciali, & possibili hunc proposuit, admittatur, & iure, cum ijs vasibus impeditis vitales spiritus ad cerebrum promeare nequeant. quibus ipsum destitutum necessariò motum, & sensum influere amplius non potest. At si hunc casum, tanquam exemplar, quo semper ita apoplexia fiat, in medium protulit, non admittendus est. cum enim solutæ apoplexiæ creberrimè alterius partis corporis paralysis succedere consueuerit, & hoc ex permutatione materię à cerebro ad neruos transmissæ,

Lib. 3. reg acut. 59.

Lib. p. Epid. sect. 3. 23.

Apoplexiã nõ semper fieri ob structo, vel ad stricto plexu retiformi.

sæ, & transpositę, clarè liquet non semper fieri apoplexiam prædicto modo, quoniam ad hunc casum specialem propositum paralysis nunquam succedere potest. collecta enim materia ad basim cerebri, vbi est plexus ille retiformis, nullam habet cum neruis communionem, quibus illæsis nunquam paralysis succedere potest. cum igitur sæpisimè ad apoplexiam solutā Paralysis succedat, & in hoc speciali casu nunquam succedere posit concludatur apoplexiam non semper modo nunc proposito generari, & eò magis, quò apoplexia hęc ex materia angustiante retiformem plexum videatur insanabilis: cum tamen solutio apoplexiæ sępius videatur, sæpeq; ab apoplexia soluta pristina sanitas recuperetur.

De Epilepsia à sanguine. Cap. III.

EPilepsiam fieri, quemadmodum, & apoplexiam, ex venarum interceptione, & occlusione à nimia sanguinis copia causata, nemo pręter Hippocratem, & Galenum (à quibus transcripsit Auicenna) citatis locis quarto de ratione victus in morbis acutis, tradidit, nisiq; hanc ego aliquando in actu medendi vidissem, cum omnibus signis ab Hippocrate prænarratis, forsan nec huius verbum facerem: cum hic sit rarisimus casus, nec ita facilè sit explicare, quomodò ex venarum interceptione, & occlusione fieri posit epilepsia, cum tamen hunc videam, & ab Hippocrate, & à Galeno positū ab Auicénaq; receptum, mihiq; hic casus in praxi se obtulerit curandus, propono Epilepsiā aliquando à sola sanguinis copia venas intercipiente, & occludente generari. Sanguis hic cum copiosus est, ab aliqua causa extrinseca, sicuti vel ex potu vini vinosi, vel ex valida exercitatione, vt innuere videtur Galenus tertio Aphorismorum commen. 20. concitatus, & quemadmodum in his, qui mihi se curandi obtulerunt, semper animaduerti, irruēs ad partes superiores, cerebriq; vasa affatim replens, cum naturæ

Epilepsia à sā guine.

Epilepsia à sā guine quomodo causetur.

naturæ grauis, & qualitate forsem etiam molestus sit, epilepsiam causat insurgēte natura ad eiusdem propulsionem, & discussionem, sicuti in singultu à repletione euenit, & eò magis natura ad hoc insurgit, quò magis ex repletione vasorum sentit se grauari, & premi. Vnde in extinctionis periculum eat natiua caliditas quæ ob multitudinem, & copiã suffocationi quippiam simile patitur. hacq; ratione in casu isto accidunt conuulsiones, scilicet concusso, & concitato primo principio ad noxij humoris expulsionem. quod non fit in apoplexia, licèt ab eadem causa generetur, quoniam in apoplexia est ferè omnimoda venarũ interceptio, cuius ratione spiritus nullo pacto permeare possunt, vnde statim motus, & sensus deperditur, at in hac epilepsia, licèt sit aliqua interceptio, & occlusio, non tamen est tanta, & talis, quanta, & qualis est in apoplexia. nec est adeò vehemens, vt spiritus omninò permeare prohibeat; vnde natura potest validè insurgere, quod non potest in apoplexia, cum in apoplexia etiam spiritus ferè extincti sint, & suffocati. at in epilepsia sit tantùm ob materiam copiosam grauantem, & occludentem periculum eius extinctionis, & suffocationis cuius ratione etiam facilius admodum hæc epilepsia, quàm apoplexia curetur. quæ nisi importuna adhibeantur calefacientia remedia ab his, qui epilepsiam ab humore frigido causari semper existimant, sola copiosa sanguinis missione tollitur. Huius ea sunt signa quę ab Hippocrate posita sunt,

Signa. videlicet faciei rubor, occulorum constantia, manuum porrectio, dentium stridores maxillarum contractio, & cæteri similes conuulsiui motus. quòd si his addatur sanguine patientē abundare, vt ex proprijs superius positis signis conijcere possumus, causamq́, præcedentē cũ cõcitasse, certò poterimus indicare Epilepsiam hanc à plurimo sanguine, eun-

Curatio. demque venas intercipiente, & occludētegenitã esse. cuius curatio cum coincidat cum ea, quæ apoplexię à sanguine debetur, à superioribus administrãda remedia assumantur.

De

De Syncope Cardiaca. Cap. IIII.

AB hoc eodem fonte, videlicet, à venarum interceptione, & occlusiõe altera affectio omnibus prædictis deterior, vt quæ subitam mortem sæpè inferre solita sit, emanat, euenit enim, vt sanguinis copia non ad partes superiores, nec ad cerebrum, sed ad vasa interna, scilicet, ad venam cauam, & arteriam magnam aliquando affatim irruat, easque opplendo ibi sistatur, firmatusq; exeuntibus, & ferè extinctis spiritibus coalescat, cuius ratione natiua caliditas, quæ suffocationis vim, nequeuntibus spiritibus per vasa permeare, patitur. ferè extinguatur. hincq; syncope cardiaca ex ea accedente, nisi præsto remedia administrentur, subita mors subsequatur. De hac syncope cardiaca genita ob extinctam ferè natiuam caliditatem ratione sanguinis venas opplentis, & ibidẽ coalescentis meminit Galenus locis citatis quarto de ratione victus in acutis, quam tamen Viri ij, qui singulorum morborum curationes tradere profitentur, adeò neglexerunt, vt de ea ne verbum quidem fecerint, cùm tamen, & ratione periculi, & ratione affectionis hoc facere debuissent. ratione periculi quidem, quoniam hinc imminẽte subita morte, eã ante significare, & ante vertere docere debebant, ratione autem affectionis, quoniam tenebantur animaduertere insolitum hunc casum, & à nemine consideratum, scilicet in venis viuentis hominis coalescere sanguinem, qui in mortuis solet fluidus conseruari. Ego autem de hac syncope pertractans, & hæc duo considerans, scilicet, & periculum, & affectionem, quò ad periculum dico Medicum futuram hanc syncopem, & imminentem subitam mortẽ ex duobus præcipue cognoscere possẽ, quorũ primũ erit, quòd isti patientes ante casum syncopes persentiunt non nunquam præfocationem quandam, non ad fauces, nec ad partes spirituales superiores, sed in partibus internis, ac si manu cor ipsis subitò constringatur, deficiuntq;, ac muta-

Syncop. cardiaca à sanguine.

Periculum.

Signa.

to colore viuido in pallidum sudant. citò autem reuocantur ab hoc defectu, sed subsequitur lassitudo magna. alterũ est, quòd in his pulsus quandoq; accedit intermittens, qui si supra vnicam intermittat pulsationem, magnum periculum minatur, significatq; syncopem hanc instare; quæ intermissio, sicuti, & illa præfocatio non aliunde generatur, quàm ex illa sanguinis coalescentis copia, obstruentisq;, ac grauantis vasa illa, & partes internas, hæc duo signa vidi ego in non nullis, quibus cum prædixerim periculum impendens, sectione venæ, alijsq; remedijs opportunis ab imminẽti discrimine præseruati sunt. nonnulli autem alii, qui cum ijsdem hoc significauerim, remedia renuerunt, subitò de medio sublati sunt. Quò ad affectionem attestor, & ego vltra Hippocratis, & Galeni testimonium me obseruasse in nonnullis ita sanguinem in venis, & arterijs coaluisse, vt indè, & syncope, & mors subsequuta fuerit, præcipue autem hoc in puella quartum decimum annum agente perspexi, quæ cum per diem capitis grauitatem, vertigines, & anxietatem passa esset, die sequenti subito extincta est. Cum dubitaretur, quo morbo perierit, & an vitio cerebri, an huius syncopes meritò hoc factum fuerit, secta fuit post mortem, in qua immune cerebrum ab omni affectione præter naturam inuenimus, sed in arteria magna, & in vena caua ita totum sanguinem coalescere vidimus, vt apprehenso illius sanguinis concreti altero principio, totus sanguis coalescens ita integer ex vena, & arteria educebatur, perinde, ac gladius ex vagina extrahi solet. quare iudicatum fuit subitam hãc mortẽ à sola interceptione, & occlusione venarũ à sanguine coalescente facta causatam fuisse. Alteram vidi iuuenculam, cum per menstruam fluxionem expurgaretur, mediaq; die æstiuo tempore in balneum, aquæ frigidæ ingressa, & ibi morata fuisset, eadem die post cænam hilariter sumptam subitam opetijsse mortem. hanc iudicaui ob repressam menstruam purgationem sanguinem, cuius maximè

Sanguinem in arterijs, & venis aliquando coalescere.

mè abundabat, ad vaſa interna recuriſſe, ibique coaleſcentem, ac venas, & arterias vnà intercipientem, ſubitam etiã hanc mortem intuliſſe. in hac dubitatum fuit de veneno, tamen mea ſententia cauſa illa procatarctica fuit ſufficiẽs ad inferendam mortem, cum nouerim ſanguinem in venis coaleſcere poſſe, ad mortemq́; cauſandam hoc ſolum aliquando ſufficere. Noui quidem à venenato pharmaco aliquando coaleſcere ſanguinẽ in venis, indeq́; mortem ſubſequi, ſed ab hac ſyncope differt veneni caſus. quoniam ſi tale venenum celeriter hominẽ de medio rapere debet, ante mortem, qui venenum aſſumpſit, in profundiſsimum incidit ſomnum. quo ingraueſcente nec excitatur patiens, nec releuatur, ſed ad mortem non tamen ſubitam properat. ſi autẽ ad tempus hoc venenum ſuam promere debet violentiam, coaleſcet quidem ſanguis, ſed non affatim, nec tantùm, vt omnia vaſa intercipiat, immo potius ea, quadam acrimonia acquiſita, aperit, & hinc è naribus hi emungunt ſæpe ſanguinem adeò concretum, vt digitis ſolis eum apprehendãt, & ad notabilem quantitatem ſimul vnitam extrahunt. talẽ etiam ſepe ab inferioribus partibus excernunt. hi tamen tãdem liquato hoc ſanguine, à proprioq́, calore deſtituto vitam cum morte commuttant, exanimanturq́; à ſolo ſanguinis profluuio, quod vt plurimũ è naribus prodere cõſueuit. Vnde pateat veneni caſum non eſſe huic ſyncope cõſimilẽ, licèt ab vtraq; mors immineat, impendatq;, pateatq́; in venis coaleſcere ſanguinem poſſe. quod qua ratione fieri poſſit, cum venæ ſanguinis proprium ſint conceptaculum, propriumq; eis ſit ipſum fluidum conſeruare, non ita facilè eſt explicare. Qui tamen nouerit, qua ratione ſanguis ad extra venas concreſcat, poterit eaſdem cauſas ad ſanguinem intra venas exiſtentem adaptando rem ipſam declarare. Sãguis è vena eiectus hac ratione concreſcit, quoniam quamprimum ex proprio conceptaculo eductus eſt, ſtatim euaneſcunt, & exhalant eius ſpiritus, moxque, & ſimul pars ichorosa

Sanguinem aliquando in venis, & arterijs coaleſcere à veneno.

Sãguis qua ratiõe in venis, et arterijs coaleſcat.

Sanguis extra venas quare ſtatim concreſcat.

rosa separatur, quo facto reliquum refrigeratum concrescit, & ita concrescit, vt non tantùm pura, & syncera sanguinis pars, sed etiam cęteri ei admisti humores, qui ex sui natura non possunt concrescere (hoc enim solius sanguinis est proprium) vnà cum sanguine ipso coalescant. hinc videmus non solum vtramq; bilem cum sanguine è vena eiectā concrescere, sed etiam pituitam ipsam, quæ adeò in sanguinis superficie nonunquam concrescit, vt vix gladio incidi queat. nisiq; hæc & limosa pars sanguinis ei admisceatur, licèt concrescat sanguis, quomodocunq; è vena eiectus, nō tamen ita citò concrescit, nec ita durè coalescit, sicuti ei cōtingit, quando copiosè ei admisti sunt, & humores melancholici, & pituitosi. Sanguis igitur extra venas eductus, spiritibus exinanitis, & ijsdē euaporantibus, ac parte ichorosa separata ob refrigerationē coalescit. coalescunt si quidē, & quę siccantur, & quæ refrigerātur. hìc autem nō propter siccationem, vt patet causas consideranti, sed propter refrigerationem concrescit, & eo velocius, & intensius concrescit, quo ei magis admisti sunt humores frigidiores, crassiores, & viscidiores, sicuti pituita, & melancholicus humor, quorum ratione intemperiem consequutus frigidiorem ad cōcrescendum faciliorem habilitatem, & promptitudinem recipit. Hæ autem eædem causæ cum non tantùm insanguine extra venas, sed etiam in venis existente contingere possint, clarum erit, quare sanguis aliquando in venis coalescere queat. Euenit enim quandoq; vt in sanguine vel nō genita, vel excreta ichorosa parte, vitiosi defluant, & abundent succi, qui substantia crassiores, & temperie frigidi, sanguinem crassiorem, & frigidiorem reddant. qui sanguis venas internas, & maiores non nunquam occupans, adeò replet, vt spiritus intercipiens, & penetrare non permittens eos in extinctionem ducat. quibus spiritibus extinctis sanguis refrigeratur, ac concrescit, & vna cum ipso vitiosi, qui in ipso defluunt, & qui eum ad concrescendum habilitant,

&

& disponunt, ſucci, nempè ſi hi non præſtò eſſent, incorruptus, & naturaliter fuſus, liquiduſq; redderetur ſanguis; quoniam nec extinctionis ſpirituum cauſa potens adeſſet, nec tantæ refrigerationis occaſio, vt ſanguis poſſit coaleſcere. at vbi hi maneant, ſiſtanturq;, cum natiuam caliditatem reſpuant, extinguantq;, faciliter, ac expeditò ſanguis ob introductam refrigerationem concreſcere poteſt. Vndè in affectis hoc pacto corporibus, vt notabat Galenus, ſi ſanguis detrahatur, is frigidus (quod vix vllus credere queat) craſſuſq;, & vix effluens conſpicitur, idq; propter huiuſmodi refrigerationem. Pateat igitur, qua ratione ſanguis in venis coaleſcere poſsit, cuius ratione ſyncopæ cardiacæ nonnunquam generantur, quæ tanti diſcriminis plenæ ſunt, vt niſi opportuna ſtatim adhibeantur remedia, ſubita mors ſæpius ſuccedere conſueuerit. quã cum Medicus omni ingenio, & conatu, quantum arte fieri poſsit, inhibere debeat, maximè has ſyncopes, & earum cauſas animaduertat. Præſente ſyncopa, reuocationi caloris, regenerationiq; ſpirituum attendens, & excitationem patientis his remedijs, quæ in communi ſunt vſu, & ab omnibus ſcribentibus proponuntur, tentet. Sed præ omnibus cauſæ incumbere debet. quæ quomodo remouenda ſit, affectio ipſa indicat, & expreſsè docent Hippocrates, & Galenus. ſanguis hic copia ſuperfluit, ſuccisq; frigidis, & craſsioribus abundat: quorum ratione ſi coaleſcat ſanguis, mors ſubſequitur; Ideò, antequam (vt ait Hippocrates) fixa ſint omnia, quæ contriſtant (ſcilicet tum ſpiritus, tum fluxiones) ſanguis minuendus, & expurgandus eſt. Minuatur autem per ſectionem venæ internæ brachij dextri. qui ſi effluat, copioſè educatur. ſi autem non ita facilè effluat, incç peritq; coaleſcere, in talibus, prius adhibitis fomentis ex laxantibus, fricari oportet cunctas corporis partes eodem tempore à multis hominibus, poſtea venam ſecare, & ſi ſanguis mediocriter fluxerit, rurſus fricare, & denuò ſan-

Sãguis aliquã do ſecta vena frigidus exit.

Curatio.

guinē auferre,& ita repetere, quoad debita ſanguinis quātitas extracta fuerit. hoc facto refici hominem, & reſtaurari conuenit, ſimulque de purgatione cogitandum eſt. ad quam intentionem aſſumantur ea, quæ peccantes, & ſuperabundantes humores prius concoquere, poſtea expurgare poſsint, ſemper admiſcendo nonnulla, quæ facultatem vitalem reſpiciant, & roborare queant. Qualia autem debeant eſſe iſta, non referam; quoniam peccans humor hæc indicare poteſt, plurimaq; horum eſt ſylua ab authoribus conſcripta. Hoc vnum animaduertam, videlicet, quòd, cum in caſu iſto periculum ſit, ne concreſcat ſanguis, coaleſcatq; in venis, veniant in vſum ea medicamenta, quæ grumos diſſoluere poſſunt. quare ſecta vena, ſtatim exhibeatur aliquod coaguli genus, inter quę præferatur leporinum. ad idem faciet amaranti coma in mulſo epota, oximel etiā ipſum proderit, & cętera attenuantia, & incidentia medicamenta, & quæ valdè lotium prouocare poſſunt. Victus ſit attenuans. Vinum interdicatur, ceteraq; omnia, quæ ſanguinem augere poſſunt; niſiq; vires intercidant, parcus ſit cibus. quòd ſi hæ labant, alimentum ſit copioſius, vinumq; pauciferum, & lymphatum exhibeatur.

De Hydero pulmonis. Cap. V.

PLurima morborum genera pulmonem pati, nemo non aſſeuerat, de quibus praxim cōmuniter docentes pertractant. vnus tamen ſupereſt, de quo ſolus author in libro de Morbis Hippocrati aſcripto (à quo Auicenna, qui nihilo minus poſtea huius affectus prætermiſit curationem, tranſcripſit) egit. qui licèt rariſsimè accedat, vt mihi, qui per plures annos artem hanc exercens tot ægrotantes curauerim, bis tantùm ſe obtulerit; à me tamen de eo etiam hic agendum eſt, cum & hic peritiam Medici ſubterfugere non debeat. Morbus hic ab authore citati libri pulmonis hyderos, ſeu hydrops appellatur; quoniam ſicuti in hydrope in imò

Pulmonis hyderos, ſeu hydrops.

ventre

ventre, ita in hoc affectu intra cauitates thoracis,& pulmonis colligitur materia aquosa,& ichorosa,quę materia quātitate abundans, & grauitatem copia, & difficultatem anhelitus obstruendo, & tussim ad excretionem proritando excitat. nihil tamen expuitur, quoniam materia adeò est tenuis, vt à spiritu facile disrupta ad partes superiores nequaquam attolli possit. Materia hæc quoniam aquosa est, & ichorosa, nullam admittit coctionem; quare nec fomentis, nec vnctionibus, nec perfusionibus, nec alterius generis medicamento cedit, nec etiam diuturnitate temporis, cum moram longiorem traxerit in thorace, vel incrassatur, vel in pus cōuertitur, sicuti in destillationibus contingit ad ipsum thoracem decumbentibus,quæ, vt docebat Hippocrates libro septimo Aphorismorum Apho. 38. viginti diebus suppurare consueuere. non descendit materia hæc à cerebro, nec per destillationem ab eo fluētem in thorace colligitur. sed vbi congesti fuerint serosi, & ichorosi humores in corpore, in eoq; abundauerint, si pulmo imbecillitatem vel ab ortu conceperit, vel noua occasione contraxerit, pronusq; ad fluxiones recipiendas ob intemperiē propriam, & præcipuè frigidam, fuerit, ad eum superabundantes aquosi humores transmittuntur, qui replentes thoracis, & pulmonis cauitates postea morbum hunc generant. Humores hi tenues,& ichorosi aggregantur in his, quibus partes naturales frigida intemperie laborant, visceraq; vel obstructa, vel scyrrosa sint, & præcipuè si hi otiosè, & in locis humidis, vel frigidis, & sub cœlo consimili viuentes potui indulgeant, cibarijsq; humidioribus largius vtantur. his oculi palpebra inferior, pedumq; extremitates solent subtumescere, calorq; faciei non viuidus, sed ad pallorem tendens cōspicitur. in his autem cum congesti fuerint hi aquosi humores, transmittuntur aliquando ad cauitatem thoracis, & ad pulmonem ipsum, indeq; morbum, de quo nunc agimus, introducunt: qui morbus aliquando sponte solui videtur,

Humores tenues, & serosi in quibus aggregentur.

erumpente ad aluum hac materia, recludente sibi natura cæca, & delitescentia spiracula, & absconditas vias ad hanc excretionem, tamen postea iterum noua regenerata, & aggregata materia, ad ipsumq; thoracem, & pulmonem denuo transmissa, cum iisdem symptomatibus, & deterioribus redit, vt potè qui magis succumbente, & debilitata natura, cuius ratione copiosiores regignuntur hi aquosi succi, regrediatur. vnde in his postea manifestè & facies, & scrotum, & venter intumescit, non tantùm in thoracem, sed etiā in omnes has partes, effuso, qui regeneratus superabundat, aquoso humore. Hæc de essentia, & causis præsentis morbi sufficiant. signa hæc erunt, grauitas thoracis ob materiæ copiā, tussis sicca, non potente natura nec materiam concoquere, nec eam ob ipsius tenuitatem extra ducere, difficultas anhelitus, qui frequens admodum, & paruus erit ob vias spiritus à plurima materia detentas, & propter deaphragma ad eadem compressum, & grauatum, ita vt hinc ægri suffocari continuè ferè videantur, & quietem rarò inueniant, sonitus in thorace obstrepens ebullienti materiæ similis ab eadem causa deueniens. tumor pedum, & palpebrarum huic connectitur, non tanquam proprium huius morbi signum, sed tanquam indicium abundantiæ humoris aquosi. febris additur ab authore libri de morbis. attamen in his, quos ego curaui, nec fuit febris, nec ratione materiæ, quæ frigida est, & non putrescit, adesse debet. Porrò verum est, quòd aliquando ob diuturnam moram in thorace tractam hæc materia, sicuti quæ in abdomine ex hydrope collecta diu ibi retenta salsa, & acris euadit, nonnullā acquirit acrimoniā, vt optimè hic author adnotauit, extrinsecus latus acetū olet, cuiusque ratione credo eam sibi viam recludere, & parare ad aluumq; erumpere, credoq; eandem tunc aliquam posse ex quadam leui accessione causare febriculam, tamen nunquam potest ratione materiæ dari, vt necessariò febrem introducat, vtque febris sit huius morbi proprium signum

Signa.

Febres an sit in hydoropolmonis.

signum. Cuius morbi curationem author hic per sectionẽ thoracis tentandam esse docet. quam tamen ego nec in his, quos curandos suscepi, facere ausus sum, nec etiam in alijs faciendam esse laudo, cum enim huius morbi sanatio non tantùm materiæ præsentis, pulmonemq; obstructis, & replentis remotionem, sed etiam eiusdem regenerationis prohibitionem indicet, cumq; sectio primæ tantùm indicationi, non secundæ satisfacere possit, sufficiens huius morbi remedium esse non poterit. quam eò magis excludendam esse affirmo, quò idem, quod sectione tentandum esset, possumus tutiori via efficere, exhibendo ea medicamenta, quæ hanc materiam educere possint. Exclusa autem sectione, ista, hanc ego curãdi methodum, & rationem propono. Materia aquosa pulmonem replens, & obstruens, indicat sui euacuationem, & quoniam in ipso thorace non gignitur, sed aliundè transmittitur, indicatur, vt eiusdem generatio prohibeatur, si quid verò huius genitum fuerit, educatur, & aliò diuertatur. An his indicationibus possit Medicus satisfacere, vel non, dixerim ego difficillimum esse; quoniã corpora hæc, in quibus tales gignuntur morbi, huiuscemodiq; aquosi aggregantur humores, imbecillum calorem natiuum habent, virtutesq; naturales satis languidas, & viscera admodum læsa possident. quarum omnium causarum ratione vix præseruari possunt, quin non tantum in præsentem, sed etiam in deteriorem incidant morbum. nam omnes hi in hydropem procliues sunt, in quam tãdem illos delapsuros esse credo, sicuti eos vidi, quos curandos suscepi. quos licèt ab hoc thoracis affectu per quædam interualla educta materia peccante liberauerim, & per menses; & annos eos, maximo tamen cum labore, præseruauerim, tamen tandem in hydropem lapsi sunt, ex eaq; extinctos fuisse, animaduerti. Vt autem patientes à præsenti morbo vindicemus pro prima intentione veniant nobis in usum ea medicamenta, quę aquosos humores euacuare possint. qui

Curatio secundum Hippo.

Curatio propria.

Prognosticum.

aquosi humores, cum tenues sint, euacuationiq; satis habiles, nullam requirunt coctionem, sola autem viarum præparatione, nè molesta fiat euacuatio, indigent. quare viæ communes primò expurgandæ erunt, fluidumq; corpus reddi debet. postea medicamentum aquosum materiam educens exhibeatur. plura hæc sunt, tamen duo tantùm proponam, quæ mihi in fęlicissimo vsu sunt, alterum est elateriū, alterum est succus radicum sambuci. hic ad vnciam vnam, & semis vel circa; ille ad quatuor grana ad summum; si rectè paratum fuerit exhibitum, potest hāc materiam serosam educere. quæ tamen repetenda erunt, quoniam vnica euacuatione vniuersam materiam educere non poterunt. Educta materia peccante, attendendum est causæ generationis materiæ: quę causa quoniam est viscerum vel intemperies, vel obstructio, vel scyrrus, per propria medicamenta vnicuiq; incumbatur. quòd si hæc omninò tolli non possint, indeq; necessariò semper aliqua serosi humoris quantitas regeneratur, vltra euacuationē faciendā per medicamēta propria, fiant cauteria in brachijs, vel cruribus, quibus cōtinuò regenita materia educatur, simulq; à thorace reuellatur. Summa interim habeatur victus ratio, cuius meritò cū opportuna non seruetur, sępe maxima adaugetur hæc humorum serosa aquositas. Vnde hi parcè viuant, cibarijs vtantur exsiccantibus, merum, & in minima quantitate bibant, quantum possint, non tamen vltra vires, exerceantur, loca ab omni humiditate immunia habitent, in aëreque sicciori omnia his opposita vitantes degant.

De inflammatione membranarum interseptientium, & pericardij. Cap. VI.

IN cauitate thoracis continetur pleura, arteria aspera, arteriæ leues, pulmo, membranæ intersepientes, pericardium, & cor. de affectibus pleuræ, arteriarum, pulmonis, & cordis omnes scribentes pertractarunt, at de affectibus mēbranarū

branarum interſepiétium, & pericardij nemo nec morbum, nec curationem expoſuit, quas tamen partes cum nihil prohibeat, ſicuti & cęteras, diuerſis apprehendi morbis, mirandum eſt, qua ratione praxim docentes eas ita neglexerint, vt ne harum quidem minimum fecerint verbum. hanc rem diu ego animaduertens, cum cenſerem fieri non poſſe, quin hæ partes vel inflammatione, vel alio affectu aliquando laborarent, tandem experientia, & ratione ductus cognoui has partes nonnunquã inflammari, aliosq́; ſimiles morbos pati, quorum ſæuitia ob cordis viciniam ſæpę ægrotantes in extremum vitæ diſcrimen incurrunt. Quam rem cum hic explicare decreuerim, primò ante alia exponam methodum, qua in nonnullis ægrotantibus haſce partes inflammatorios pati affectus indagauerim, deinde qua ratione ipſi curandi ſint, & quomodo in illis me in adminiſtrandis remedijs geſſerim, declarabo. Ad ægrotãtes accedens vidi nõ nullos febre acuta detineri, ad quam inquietudo magna, ingensq́; ſitis conſequebatur, & cętera, quæ febres ardentes concomitari ſolẽt. in his ſpiratio frequens admodum, & celeris erat, in thorace maximũ aderat incẽdium, vnde & frigidum aerem inſpirare deſiderarent, & calidum ſpiritum reflarent. nullus in thorace affligebat dolor inſignis, præterquam ad ſternõ, vbi anguſtiam, & offendiculum quoddam in inſpirando potius, quàm dolorem, perſentiebant. tuſsis in omnibus fuit, at in aliquibus ſicca in principio, quæ poſtea ſubſequebatur humida. quæ per tuſsim excernebantur, erant colorata, vel rubra, vel flaua; plurima tamen flaui coloris, paucisſima rubei vidi. pulſus in cunctis erat, qualis pleuriticorum eſſe ſolet, vt ſi dolorem lateris habuiſſent, certò pleuritide laborare iudicari potuiſſent. Hæc omnia conſiderans, videlicet, febrem acutam, incendium in thorace, ſpirationem frequentem, offendiculum illud ad ſternõ, tuſsim cum ſputis coloratis, pulſus duritiem, non potui non induci, quin crederem hoſce ægrotantes inflamma *Signa.*

ctionem in partibus spiritalibus pati, quæ cum non esset peripneumonia, quoniam nec adesset illa difficultas, angustiaue anhelitus, quam in peripneumonia adesse noueram, nec illa pulsus durities hoc confirmare poterat, & cum pleuritis similiter esse non potuisset, cum huic non assideret dolor lateris pungitiuus, nec etiam cor hoc pati iudicarem, vt potè quod ferè incipientes vix tolerare possit inflammationes, reliquum erat, vt censerem membranas intersepientes, pericardiumuè hanc pati. quibus inflammatis necessariò omnia superius dicta consequantur. febris quidem acuta, & vehemens accedit tum ratione affectus, tum quia sedes affecta parum distat à corde; quod cum supercalefiat admodum à proxima flamma, non mirum est, si etiam in thorace incendium persentiant, inquietudóq; succedat maxima, & sitis aliquando inexhausta sequatur, hocq; multò magis inflammato pericardio, quàm membranis illis, quorum membrorum inflammatio altera sæpius ob viciniam alteri communicatur. Cæterum an magis afficiatur vel pericardium, vel membranæ, hoc ex subsequentibus habeatur; affecto enim magis pericardio vrgente morbo syncopæ aliquę nonnunquam contingunt, & æstuationes ingentes accedunt, quoniam inflammatio cor ipsum ferè contangit, omniaq; symptomata in hac sunt sæuiora, quàm affectis membranis. Iisdem inflammatis, quoniam connectuntur, & mẽbranæ succigenti, & thoraci, sequũtur anhelitus difficultas, spiratioq; indè frequens est, celer autem ratione necessitatis adauctæ. dolor verò, licèt inflammatio sit in parte mẽbranosa, non adest ita pungitiuus, sicut in pleuritide; quoniam hæ membranæ, sicut illa, non firmantur ad costam, vel ad os alterum, cuius meritò compressa maiorem persentiat ab eo punctionem, sed est in parte laxa thoracis; nec hæ, sicut illa, adeò sensatione vigent, sed offendiculum illud ad sternõ tantùm in his succedit, quoniam hæ partes ibi colligantur, quare, & ibi inflãmatio tanquam parti magis sensi

tiuæ

tiuæ quoquo pacto communicatur. tussis autem cum sputis coloratis adiungitur, quoniam cum in omni inflammatione, quæ operculo duriori non tegatur, semper aliquid resudet, ideò his partibus affectis materia peccans resudãdo tussim excitare cogitur, pro rationeq; materiæ diuersi apparẽt colores, & indè sputũ coloratũ. quod profectò fuit prin cipale signum, quod me ad hoc iudicandum manuduxerit, cum viderim Galenum sputa colorata in acutis passionibus adscribere inflammationibus partium spiritalium, scilicet; vel pleuræ, vel pulmonis; quorũ neutrũ cum in prædicto casu clara luce deprehenderem inflammatione affectum esse, conieci hanc in membranis illis adesse, cõmunicata aliquã do ipsi pericardio etiam hac affectione. pulsus omninò durus in hoc eodem casu accedit; quoniam genita inflammatione in corpore membranoso, cuiusmodi hæc duo sunt, necessariò in arterijs talis durities imprimitur, qualis in pleuriticis videri solet. Cum autem omnia hæc, vt ex dictis clarè liquet, ad inflammationem dictarum partium necessariò cõsequantur, non sit mirum, si per hæc eadem, tanquam per propria huius affectionis signa in cognitionem inflammationis harum partium deuenerim, quod eò mihi fortassẽ facilius, quàm alijs contigit, quoniam ductus exemplo, & analogia semper hunc affectum omni diligentia in ægrotãtibus inuestigauerim; nam cũ iunior essem, sub præceptoribusq; celeberrimis huic studio operam darẽ, vidi nobilem Ianuẽsem ab ijsdẽ curatum, qui cum fere omnibus prædictis symptomatibus teneretur, & ad oblata, cęteraq; omnia tamen bellè se haberet, lotiaq; admodum laudabilia essent, coctionemq; indicarent, quorum meritò ab eis indicabatur hunc ex morbo conualiturum fore, ex insperato, præcedentibus nonnullis syncopis, nona die defunctus est. Cum dubitaretur inter Medicos de morbo, & eius amici suspicarentur de veneno ob syncopes illas, sectus est, in quo nulla alia re præter naturam præsente, inuentus est in membranis inter- *Lib. 13. Meth. cap. 18.*

sepientibus

ſepientibus tumor inflammatorius ſatis notabilis magnitudinis, qui etiam in parte communicabatur pericardio. Hoc cum memoria ſemper conſeruaſſem: data occaſione coniecturam de eodem morbo, analogia ab enarrato deſumpta; feci, credoq; me in pluribus verum huius morbi indiciũ cõſequutum fuiſſe. qui morbus cum ſub nomine inflammationis exponatur, per inflammationem omne tumoris calidi genus, à quacunq; gignatur materia, ſicuti in pleuritide declaratum eſt ab omnibus, intelligatur. attamen, vt antea adnotaui, ego vidi hanc à duplici tantùm materia cauſari, ſcilicet à ſanguine, & bile, raró à ſanguine, à bile autem frequẽtius, hancq; ſæuiorem eſſe, quàm illam, animaduerti. Auicennas quidẽ de pleuritide agens viſus eſt de inflammatione membranarum interſepientium meminiſſe, dum inter veras pleuritidis ſpecies velaminis diſtinguentis inflammationem recenſeret. Verum an nomine velaminis diſtinguentis intellexerit pocius mediaſtinum, quàm ſeptum tranſuerſum, plurimum difficultatis habet. Noui ſanè quoſdam clariſſimos authores explicaſſe per hoc velamen mediaſtinum ipſum, quoniã ex ſuccingenti membrana, in qua verá fit pleuritis, hoc formatur. nihilominus Auicennas ipſe, dum huius inflammationis ſigna exponit, potius diaphragma, quàm mediaſtinum hoc eſſe demonſtrat, dum inquit rationis permiſtionem, ac delirium conſequi hanc affectionem. quod eſt proprium ſignum ſepti tranſuerſi, non mediaſtini inflammati. ad hoc enim neceſſarió mens læditur, quod in illius inflammatione contingere nõ cõſueuit. prætereca addit, quòd omnia accidẽtia in inflammatione velaminis diſtinguentis fiunt vehemẽtiora, & dolor, & difficultas anhelitus. At in inflammatione membranarum interſepientium potius offendiculum quoddam ad ſternõ, quàm dolor adeſt, & vbi adſit dolor, non eſt vehemens, ac difficultas anhelitus in eodem non eſt admodum ingens, licèt enim ſit frequens, & celer ob neceſsitatem adauctã, & aliquomodo difficilis ob inſtrumentorum

mentorum inobedientiam, attamen cum ei non sit dolor ingẽs connexus, nec multum difficilis esse potest anhelitus. At in inflammatione diaphragmatis,& dolor est vehemens ratione partis affectæ,& ratione continui motus partem affectam lacerãtis;& spiratio est admodum difficilis, cũ sit affectum instrumentum primò respirationi inseruiens. Quapropter ex his censeo ego Auicennam non mediastinũ per velamen distinguens, sed septum transuersum potius intellexisse,& eò magis, cum testetur in tali affectu eam vehemẽtiam, & velocitatem febris, quæ in pleuritide pura, & vera ex membranę succingentis inflammatione causatur, non adesse. cum & ratio ob viciniam cordis dictet,& experientia ipsa testata sit, mediastino affecto statim hominem corripi acuta,& ingenti febre, quæ in inflãmatione diaphragmatis rarò est, quòd à principio sit ita acuta, cũ in hoc ab initio omnia accidẽtia, quã in mediastini affectione, sint leuiora. His addo supposito etiam, quòd potuisset Auicennas hoc loco intelligere membranas intersepientes, curationem huius affectus ab eo postea neglectam fuisse, qui solum diuersarum pleuritidis specierum in sequentibus, non particularis huius casus curandi rationem complexus est. Hanc autem ego explicaturus, cum de essentia, causis, & signis præsentis morbi, quæ dicta sunt, sufficere debeãt, ad curationem ipsam descẽdo. morbus hic est inflãmatio, in qua ẽ materia, ergo eiusdẽ indicabitur euacuatio, euacuabitᷓ autẽ, si vel retrocedat, vel si insensibiliter, insensibiliteruè educatur. retrocẽdet, si vel reuellatur, vel repercutiatur. educetur autẽ insensibiliter per discutientia, sensibiliter autem per sputum prouocantia. at hęc postrema non sunt admittenda pleno existente corpore; igitur primò corpus est euacuandum. Quare quatuor erunt intentiones, totius euacuatio, reuulsio, repercussio, & materiei in loco affecto contentæ insensibiliter, vel per sputum euacuatio. Quibus indicationibus an Medicus sperare debeat plenè satis facere posse, dico hoc non ita facilè esse,

Indicationes.

Prognostica.

quoniam

quoniam hic habemus morbum validissimum, & pleuritide vehementiorem, quam si Galenus asseuerat ingentem causa re febrem, quia parum distat à corde, & quia cum pericardio succigens membrana cognationem habet, quid dicendū est fore eo inflammato, & membranis intersepientibus, quę cordi proximiores sunt, quàm pleura? profectò in hoc morbo omnia validiora sunt, præter dolorem, quàm fit in pleuritide. vndę & in hac, sicuti & in cæteris inflammationibus internis vnica erit salutis spes ipsa virium fortitudo. quam cum præsentem habuerimus, omne remedij genus opportunum audacter tentabimus. Itaq; à prima indicatione incipiẽtes pro totius euacuatione, lenita aluo clystere leni, & refrigeranti secetur interna vena brachij dextri; viribus enim constantibus in morbo magno statim ad sectionẽ venæ properandum est. copiosè autem emittatur sanguis, & præcipuè vbi summum sit incendium in thorace: nam venę sectio copiosè facta non tantum euacuat, & reuellit à loco affecto, sed etiam sanguinem valde refrigerare potest, à venę sectione laudo, vt statim exhibeatur, vbi plurimum fuerit incendij, & morbus à bile pendeat, aqua endiuiæ, vel acetosæ, vel hordei actu frigida ad libram, vel circa. repetatur venæ sectio vel eodem die, vel potius sequenti, si vires nō admodum constarent, nec sit habitus, qui facilè omnem ferat euacuationem; rari autem sunt casus consimiles, in quibus egò ad secundam, & aliquando ad tertiam sectionem non deueniam. testorq; me semper per posteriores venæ sectiones deteriorem sanguinem, quàm per primam, eduxisse, & indè semper magis saluti ægrotantis consultum fuisse. qui si ex repetita sanguinis missione non releuetur, pauca de eo spes habenda erit. Euacuato toto corpore, reuulsaq; per venæ sectionem à loco affecto materia, thoraci applicentur ea, quæ inflammationem lenire, temperare, & aliquo modo reprimere possint. ad hanc intentionem sumantur ea, quæ frigida quidem potentia sint, sed omni careant adstri-
ctione

Lib. 5. de loc. affect. cap. 2.

Curatio.

ctione, cum medicamenta altius penetrare debeant; adstringentia enim sibi viam præcluderent, & materiam magis in loco affecto constiparent. cuius ratione oleum violaceum omnibus præfero, quo tepido inungatur sępe totus thorax, in quo si summum sit incendium, inflammatioq; erysipelatis naturam sapiat, tempusq; æstiuũ fuerit, eo vtor actu frigido; & nõ tantùm eo ad inungendum vtor, sed etiã ad epithemandum, infusis in eo pannis lineis, & postea eo madidis applicitis, & subindè mutatis. cui aliquando admiscui lac recens non coagulatum, & parum aquæ endiuiæ, quibus eodem modo epithemaretur pectus. ad idem paretur emplastrum ex farina hordei cum succo endiuię, vel lactucæ ex eodem oleo impinguatum. An autẽ ista vel actu, vel potentia tantùm frigida conueniant in hoc casu, cum frigidum thoraci ex Hippocrate inimicum sit, & talia etiam in pleuritide sint nocua, quę affectio huic similis videtur, dico, cum inflammatio hæc sit in penitioribus thoracis partibus, qua ratione non occurrunt statim medicamenta parti læsæ, & sit in loco, vbi plurimum calor viget, & abundat, quòd ista conuenient; quoniam hic in tanto incendio inflãmatio hæc tolerat medicamenta frigida, quę ex indicatione ei debentur, cum flamma sit propè cor, & materia existat admodum calida, nec affectus in exteriori thoracis parte positus sit, quæ neruosa existens aeri frigidiori, & medicamentis exposita ab eis lædi potest. Hę sunt rationes, quibus ductus vrgente inflamatione, aut erysipelate in tempore æstiuo ad frigida deueni medicamenta: quod si hę non probantur, dicam id, quod dixit Galenus, quando loquebatur de causis pulsuum intermittentium, hæc habens. hæ si tibi rationes probantur, vtaris licet; sin secus, at vt docet experientia, rem scito, vt diximus. Si tamen non ita vrgeat inflammatio, nec incendium summum sit, nec sub cęlo calidiori nõ decumbat æger, frigida actu prætermittens ad tepida medicamenta descendo; & si aeris constitutio, vel hyemalis sit, *Lib. 2. de ag. ex pul.*

vel

vel ad eius temperiē vergat, eadem actu calida administrare iubeo. Dum autem hæc frigida ex indicationibus narratis administro, cum ex prædictis medicamentis remittatur incendium, iisdem postea tepidis vtor, & admisceo oleo violaceo parum olei camomelini. dimitto vsum aquæ endiuiæ, & lactis. quòd si magis leniendum sit, addo prædictis oleis mucilagines feminū maluarum, altheæ, fænugræci, & similium, hæcq; similiter in his infusis pannis, & subindè mutatis administrare iubeo: vel aliquando prædictis oleis, & mucilaginibus, cum maiorem discussionem, & coctionem tento, addendo pinguedinem pulli recentem, & paucam quantitatem croci cum cera in modica portione linimenta paro. Dum hæc fiunt, prouocetur sputum, educaturq; materia per lambitiua, & præcipuè sint ea, quæ non calefaciāt; sicuti syrupus violatus, addita portiuncula syrupi de iuiubis; vel de farfara, vel de liquiritia. Electuaria, cum plurimū recipiant saccari, non laudo, quoniam ista facile bilescunt, vbi sit incendium internum, bilisq; abundet. qua ratione ductus, & etiam Hippocratis præcepto, qui in biliosis, & calidioribus morbis mulsam dilutam, meram, & non dilutam damnando, præferebat; consueui ego vti decoctionibus pectoralibus summa cum ratione factis, semper à calidioribus abstinendo, quibus admisceo portiunculam prædictorum syruporum, & ita mulsam dilutam non spernendam in tali casu habeo, qua facilè sputum prouocatur, & ex ea corpus non accenditur. Ad cuius rei similitudinem, dum materiæ præparationem, quæ interim potionibus conuenientibus est concoquenda, & coctionem tento, iubeo, vt potiones concoquentes plurimum habeant decoctionis, parum autē ex illis syrupis, vt meracitas mulsæ fugiatur, eademq; diluta habeatur, decoctiones parentur ex hordeo, violis, endiuia, cap. Veneris, seminibus cidoniorum, passulis, & similibus. syrupi sint, violatus præcipuè, & de endiuia, addita portiuncula vel de iuiubis, vel de farfara, vel de liquiritia. hæc, dum

Lib. 3. reg. acut. 13.

viget

viget incendium internum, exhibeantur actu non calida, nec frigida etiam, sed ad teporem aquæ fontium consimiliter temperata, quibus cũ procurata fuerit coctio, materia peccans conuenienti educatur pharmaco, quod opportunum erit, si nec validum sit, nec malam qualitatem habuerit, thoracemq; respexerit. quare non transcendantur pharmaca ex benedictis vocata, assumaturq́, Manna, Rhabarbarum, syrupus violatus solutiuus, & similia cum decoctionibus pectoralibus dissoluta. Quòd si in loco affecto remissa inflãmatione, & ea cedente, quid remanserit discutiendũ, quod per superius dicta non potuerit resolui, formetur emplastrum ex radicibus altheæ, maluæ, folijs maluæ, & violarum, ex dactilis, caricis, sebecten, & passulis, quæ omnia coquantur, contundantur, & cribellentur, postea ijsdem commisceatur farina seminum lini, seminum fœnugræci, pulmis florum camomeli, quibus oleum camomelinum, & amigdalarum dulcium ad impinguandum addatur, & ita emplastrum formetur, quod residuum inflammationis facilè discutere poterit; quo tempore etiam concoquentia ad aliquam caliditatem accedant, vt maturius rem perficere possint. Dum hæc omnia administrantur, optima habeatur victus ratio, qui, cum simus in morbo acuto, & grauissimo, valdè tenuis esse debet; vnde ęgrotantes contenti sint sola ptisana, quæ non calida, sed tepida actu exhibeatur. potus sit mulsa dilutissima potius ex saccaro, quàm ex melle confecta. in processu autem pro ratione coctionis morbi poterit eadem ptisana parari cum iure pulli, quod poterit esse post septimam, quibus & addi poterit succus seminũ communium, seu amigdalarum dulcium, & oui luteum, & etiã in totum declinante morbo vinum ipsum, quod sit dulce, tenue, oligoforon, & optimè lymphatũ. Hora cibãdi obseruetur ex accessionum temporibus, & ægri tolerantia, In qua re hoc vnum animaduerto, quòd præsentibus alui excrementis nunquam exhibeatur cibus, nam, vt docebat Hippo- *Lib. p. reg. acut. 32.*

Hippocrates in libro victus acutorum, si his non eductis sorbitionem quis dederit, dolorem, si adest, adaugebit; si non adest, protinus inducet, frequentiorq; spiritus reddetur, quod malum est; fecum enim retentio mala est in omnibus thoracis affectibus, quoniam harum vapores, & exhalationes dolores vel augent, vel inducunt, & spirationē frequentiorem reddunt, & maximè, si his superingeratur nouus cibus. quapropter ante cibum alui excrementa, vbi abundauerint, excludantur, sępiusq; ad euitanda prædicta mala clesmate refrigerante, & molli alui lenitio procuretur.

De Tabe ex affectu Pericardij. Cap. VII.

Admonitus à Galeno analogia ab animalibus desumpta posse emaciari, & tabescere corpus ex solo pericardio affecto, cum ipse hoc in simia animaduerterit; in qua, cum eam secuerit, cęteris omnibus corporis partibus illęsis, inuenit in ambiente cor tunica tumorem præter naturam, qui humorem aquosum in se continebat, qualē pustulæ, quas hydatidas vocant, emittere solent, diu hanc rē obseruaui, consideraui q; , ac dubitaui, an hoc fieri possit; cum enim panniculus iste inter partes ignobiles reputetur, vt idem Galenus testatur, ipsoq; solo affecto, exemplo reliquarum omnium partium, quę ad custodiam, & tegumentum cæterarum nobiliorum factæ sunt, nullum insequatur periculum. Quod historia pueri Marylli Mimographi ab eo in libris Anatomicarum administrationum narrata maximè confirmare potest, cum in eo ob sphacelatum os pectoris exciso osse in loco, in quo pericardij vertex adnascitur, huius panniculi apex sectus ità fuerit, vt cor nudum appareret, & tamen superuixerit, hinc conijciebam difficile esse iudicare, quòd eo affecto tabes vniuersi corporis subsequi posit. Attamen cum nonnullos emaciari viderim, nulla presente destillatione, nec sputo, vel cruento, vel purulento, nullaq; naturalium partium ita læsa videretur, vt huic

Lib.p.de loc. affect.cap.p.

Lib. 7. Anat. admi. cap.13.

macies, & atropbia subsequi posit, in eam deueni suspicionē, posse hoc aliquādo contingere ex pericardio quomodolibet affecto, quod licèt inter partes ignobiles adnumerandum censeatur, ideoq; si solum afficiatur, nullum posse periculum afferre: attamen cum aliquando ità affici posit, sicuti apparet eo inflammato fieri posse, ideò poterit plura mala prodere lethalia, quæ hominem vel breuiori, vel longiori tempore pro diuersitate affectus rapiant; & ita nō erit impossibile, quòd aliquando tabem inducat, cū ea ratione vel consimili, quæ à Galeno enarrata fuit, erit affectum. si autem vulneratum, sectū, & excisum in puero Marylli mortem non tantùm non induxit, sed citò sanatum fuit, hoc cōtigit, quia eo solò affecto, illa affectio cordi non communicata fuit: quæ si perseuerasset, potuisset diuturnitate temporis cor in consensum trahere, & indè mortem causare. Affectus autem hic pericardij, ex quo aliqui emaciantur, & tabescunt, qualem ego in nonnullis factum fuisse, coniecturā feci, quo pacto curandus sit, videant alij, & doceant. Ego enim, licèt omni ingenio hos præseruare tentauerim, nihil tamen profeci, omnesq; hos vidi tādem tabe consumptos, & emaciatos, vltimo loco quadam accedente leui febricula, cui syncopes sępius connectebantur, perijsse.

De tumoribus Diaphragmatis. *Cap. VIII.*

Diaphragma membrum maximè respirationi deseruiēs duplices patitur tumores, & ab vtrisq; ægrotantes in extremū vitæ periculum deducuntur, quidam sunt breues, quidam longi, hi à materia sępius frigida, illi à calida generantur: de vtrisque egit satis abundè Galenus pluribus in locis: quæ loca cum ad cognitionem essentiæ horum tumorum, & eorundem causarum, & differentiarum, & signorū plurimum faciant, rem ita ex Galeni locis declarando exponam, in mediumq; adducam. Diaphragma, cum tumore afficitur, dupliciter hoc pati solet. nam irruentibus excremen- *Diaphragmatis tumores sine febre.*

tis ad ipsum, poteſt tumorē, & ſine febre, & cū febre pati. ſi ſine febre afficiatur, à principio dolor, & reſpirandi difficultas cōtinget. præterea pulſus paruus accedit, & durus. quò autē ad crebritatē, quoniā in his neceſsitas non eſt adaucta, vel parū quid, vel nullo modo mutatur, vt docet Galenus lib. 4. de pręſagatione ex pulſibus cap. de ſepto tranſuerſo. & hæc excrementa debemus iudicare eſſe cruda, & tenuia: quoniam craſſa non poſſunt infigi in ſubſtantiam neruoſam diaphragmatis. quoniam autem hæc excrementa carent eximia caliditate, hi tumores poſſunt eſſe non tantùm longi, ſed etiam diuturni, ſicuti experientia vidi in nobili ęgrotante, cui ex crudiore, & ſubtiliore ſanguine factus eſt tumor in ſepto tranſuerſo diuturnus. in quo cum dolor, & ſpirandi difficultas, pulſuſq; durities, & paruitas adeſſent, ad eum tamen non ſubſequutū eſt delirium, cum hoc videretur rationabile ex eo, quòd hæc pars ad mentem, vnde phrenes appellata eſt, plurimum faciat, quaſi quòd ad ſapientiam conferat; quoniam materia, & tumor erat frigidus, & crudus. ex quo tandem mortuus eſt, cum prius ferè ad tabem deueniſſet, & in vltimo diſrupto abſceſſu expuiſſet cruenta, & cruda aliquo modo tenuia, & quę nullam coctionem indicarent. Ad hunc eundem tumorem ſequitur neceſſariò tenſio præcordiorum ſubuacua; quoniam tenduntur muſculi ad diaphragma, nulla exiſtente in hypochondrijs inflammatione, vel alio ſimili tumore. & vt paucis hanc partem concludam, tumores hi longi, & diuturni generantur à materia tenui, & frigida, quæ tamen temporis diuturnitate in loco affecto craſſeſcit, & ad hos ſequitur dolor, difficultas reſpirandi, pulſus durus, & paruus, qui ad crebritatem vel parū, vel nihil mutatur, & tenſio hypochondriorum nullo apparēte in his tumore ad tactum. & ſi his tumoribus aliquando adiungatur febris, vt experientia pluries adnotauimus, non eſt acuta, nec delirium neceſſariò ſubſequitur, quod tamē aliquādò in appropinquāte morti vidi acceſsiſſe. & hi tumo

res,

res,cum perseuerant, & non soluuntur, patientes ad tabem deducunt.quod licèt non fuerit a Galeno notatum, tamen testor ego verum esse hoc accidere.& hæc de tumotibus lõ gis sine febre causatis à materia frigida. Si autem tumor diaphragmatis cum febre accesserit, hoc indè euenit, quòd putrescentibus excrementis influxis,quę necessariò vel biliosus humor, vel calidus,& tenuis sanguis sunt ;quoniam crassa materia, vt sanguis crassior,& pituita lenta, propter densitatem diaphragmatis in ipsum non possunt recipi, inflammatur septum ipsum. Incipiente autem septi transuersi inflãmatione, necessariò sequitur febris,tum ratione affectionis, tum ratione loci affecti. ratione affectionis quidem, quoniã hic tumor est ex calidis: ratione autem loci affecti; quoniã, propter viciniam,quam habet cum corde,& propter colligantiam cum eodem ob arteriam magnam, & cum cerebro per neruos, & cum iecore per venam cauam, trahit in consensum omnes partes principales, & præcipuè cor ipsum, cuius ratione etiam hęc febris vtplurimum est acuta. hac eadem incipiente inflãmatione, à principio statim, quemadmodum in altero iam declarato tumore, sequitur dolor,& difficultas respirandi; & ideò in his,antequam delirent, spiratio est parua,& frequens, vt docet Galenus libro quinto de loc. affect. cap.3.& similiter præcordia intendũtur absq; nullo tumore in hypochondrijs existente,vt ibidem habet, & lib. primo Epid.commen.3.tex. comm. 18.Hi autem,increscente inflammatione,necessariò delirabunt, vt habetur lib. 4.de præsag.ex puls.cap.de septo transuerso. & loco citato lib. 5.de loc.affect. tuncq; spiratio erit inæqualis modò parua,modò magna, & modò frequens,modò rara. Circa hypochondria etiã, vel vt magis propriè loquamur, ad sitũ diaphragmatis nõnunquã apparet palpitatio, vel saltus,seu pulsus,vt docet Hippocrates lib. primo Prognost.tex.31.& Galenus ibidem,& loco citato primo Epid. sect.3. cõm.18. Et sicuti sensus huius motus indicat inflammatum esse dia-

Diaphragmatis tumores cũ febre.

phragma, ita etiam eſt indicium delirij ſuperuenturi. Inflam mationibus etiã iſtis ſolent ſuperuenire aliquando conuulſiones nonnullæ. nam vt docet Galenus lib. 4. de pul. cauſ. capite de pulſu inflammationis. quibus inflammatum eſt ſeptũ tranſuerſum, hi conuulſionibus ſunt opportuni. In quo caſu ſemper pulſus eſt durus ob communicatam arterijs affectionem: paruus, quoniam propter duritiem non poteſt attolli, & extendi; creber etiam ob neceſsitatem adauctam, pro cuius ratione ſemper frequentia adaugebitur. Quapropter ad hunc tumorẽ hæc cõſequentur; febris acuta, dolor, ſpirãdi difficultas, hypochondriorũ tenſio, pulſatio in præcordijs, ſpiratio praua, & frequẽs: in creſcẽte autẽ inflammatione deliriũ cõtinuũ, ſpiratio inæqualis modò parua, & frequens, modò rara, & magna; pulſus paruus, durus, & pro ratiõe neceſsitatis creber, & hi cõuulſionibus ſunt opportuni. & hæc omnia enarrata, & à Galeno tradita ſufficiãt pro cognitione horum tumorum, cum hinc eorundem cauſæ differentiæ, & ſigna pateant. pro quorum curatione, quam praxim communiter docentes (cum ab ijs ægri in perniciem, & mortem ſæpe deducantur, cumq; potiſsimum inflammatorij hi tumores, pleuritide ab ijs ita exquiſitè pertractata, ſint deteriores) immeritò neglexerunt, ad ſingulorum indicationes deſumendas, vt recta horum curatio haberi poſsit, deſcendamus. Incipiendo à primis, cum curandus proponitur diaphragmatis tumor, genitus à materia frigida, quid indicabitur? indicatur, vt materia in loco affecto contenta euacuetur; euacuabitur, ſi ſenſibiliter, vel inſenſibiliter educatur: quoniam autem hic morbus ex fluxione factus eſt, fluxio materiæ fluentis prohibenda eſt. hoc autem fiet, ſi genita materia, & quæ fluere poteſt, euacuetur, ſimulq; prohibeatur, ne noua generetur. Quæ omnia an poſsit Medicus ęgrotantibus polliceri, animaduertant, qui horum tumorũ curationem ſuſcipiunt: quòd ſi tumores hi ſint incipientes, & non diutius progreſsi, poterunt ęgrotantium ſalutem, &

Diaphragmatis tumorũ à materia frigida indicationes.

Prognoſticũ.

tumoris

tumoris resolutionem sperare; quoniam hi possunt, licèt cum discrimine, saluari, cum adhuc omnes vires constent, & remedia opportuna ferre posint. Quòd si contigerit, vt hi tumores fuerint diuturniores, & confirmati, sciant, quòd curationem non admittunt tum ratione affectionis, cum quasi iam occoluerint, tum quia temporis diuturnitate patientes ad tabem deducunt, cuius meritò labefactatis omnibus viribus languent, generosaq; remedia non possunt tolerare. Quare in principijs horum, & quàm primum occasio dabitur, curationem aggrediantur, rectaq; ratione agentes ita prædictis indicationibus satisfaciant. Proposito tumore diaphragmatis à materia frigida debet Medicus ad euacuationem materiæ in loco affecto contentæ accedere, vt eam vel sensibiliter educat, vel insensibiliter discutiat. Sed quoniam semper particularibus vniuersalia præmittenda sunt, aliàs ad locum affectum maior materiæ copia attraheretur, ideò in primis corpus expurgandum erit. Vnde ante alia aluo pharmaco leniente, & opportuno lenita, materia in corpore superabundans, & qualitate peccans parando vias, & fluidum corpus reddendo propriis potionibus concoquatur, demumq; medicamento conuenienti euacuetur: quoniam autem cogitandum est talem materiã in corpore superabundare, qualis ad locum affectum fluxit, cũ hæc sit tenuis, & cruda, cuius ratione sanguis subtilior, & tenuior redditur, hæc vel erit pituita aquosa, vel serosa materia, quæ sicuti adinuicem distincta sunt, ita etiam diuersa requiruntur medicamẽta. hæc enim elaterio, succo radicum sambuci, & similibus facilè educetur, illa autem turbit, & huiuscemodi, quæ pituitam subtiliorem, & aquosam educere possunt, euacuabitur; quare has optimè discernat Medicus, vt rectè indicare posit, quibus medicamentis agere debeat: quoniam autem talis materia nõ tantùm, cum est presens, est euacuanda, sed etiam ad tollendã fluxionem prohibendum est, nè noua generetur, huius cau *Curatio.*

sæ attendendum est: quæ quoniam vel ratione imbecillitatis viscerum, vel quia eadem sunt obstructa, generatur, ideò visceribus attendendo per propria medicamenta, de quibus omnes scribentes diffusè pertractant, eorum imbecillitas, vel obstructiones tollantur, eademq; roborentur. An autem, dum hæc purgatio administratur, sit cogitandum de sectione venę, dico, cum hic habeamus morbum longum, in quo vires sunt manutenendæ, cũ materia peccans sit frigida, & cum tales patientes vtplurimum sint habitus frigidioris, nequaquam venæ sectionem conuenire, vt quę magis corpus refrigerare, & vires labefactare possit, parumq; à loco patiente, cum iam materia ibi fixa sit, educere, & reuellere queat. Purgatione inita, ad localia deueniendum est, quæ materiã discutere possint. An his medicamenta repercutientia præmittenda sint, dicam hoc, cum patientes medicum ad hos tumores curandos aduocabunt, non erunt in illo primo morbi principio, in quo forsan quo quo pacto reprimentia conuenirent. vnde tum ratione primi principij transacti, tum ratione materiæ peccantis, quæ est frigida, tum ratione substantiæ membri, quę est neruosa, & dura, non credo posse repercutientia in vsum opportunum venire. quare his prætermissis ad discutientia deueniendum est. Discutientia sunt duorum generum, alia enim interius sumuntur, alia exterius applicantur. Quę exterius in hoc casu applicãda sunt, sint ea, quę discutiẽdo simul laxare, & emollire etiã possint, vnde butirum, pinguedines animalium, adipes, & medullę, in hunc vsum venire possunt; in principio autem imbecilliora assumantur, in processu autem sint validiora. quare in primis diebus assumatur butirũ recẽs, pinguedo suilla, pinguedo pullorũ, pinguedo anserina, medulla vitulina, & medulla ceruina, quę omnia sint recẽtia. in progressu autem morbi hęc eadem antiquata sumantur, & vbi validiori discussione egerimus, ascendemus ad pinguedinem taurorum, vrsorum, leonum, quę omnes prædictis sunt ma
gis

gis discutientes. Quoniam autem pars affecta non ità facilè exposita est medicamentis, sed intimas corporis partes permeat, ideo, vt profundius hæc medicamenta penetrare posśint, iubeo nonnunquam, vt lixiuio, & aceto simul lauentur. hinc enim maiorem partium subtilitatem adepta altius penetrare valent. cum his possunt commisceri olea discutientia, sicuti camomelinum, anethinum; possunt ex ijsdem formari emplastra additis radicibus althææ, maluę, liliorũ alborũ, seminibus lini, fœnugręci, & similibus, commiscendo aliquando styracem, therebentinam, ammoniacum, & cętera gummata, quæ emollire possunt. Nonnunquam vsus sum cum fęlici successu emplastro de meliloto, quòd valde profuit. perfusiones etiam ex oleis prædictis, & decoctionibus rerum enarratarum, quoniam altius penetrare possunt, maximè in hoc casu conuenirent. quæ modò validiora, modò imbecilliora parentur, prout occasio, & status morbi indicabit. & hæc de discutientibus exterius applicandis. Interius autem sumenda sunt ea, quæ simul partes naturales roborando posśint discutere, in cuius vsum præcipuè veniunt confectiones magnę, sicuti theriaca, & Mithridatum, sed ego aliquando ad aliud remedium nobile deueni, coniecturam faciens me ex hoc posse hosce tumores discutere, analogia desumpta à cæteris tumoribus etiam præduris, quos aliquando experientia ab eo solutos vidi. Hoc fuit decoctum salsæ periliæ, quo nonnullos ab hoc morbo liberaui, prius tamen præmisśis vniuersalibus purgationibus exquisitisśimè factis, nec dimisśis etiam localibus, & particularibus iam enarratis remedijs. In aliquibus tamẽ hoc idem decoctum exhibui, qui nullo pacto releuari potuerunt, vel quia in his iam tumor occalluisset, vel quia nimis tardè administratum fuisset, hiq; tabe consumpti, angustiatiq; tum à dolore illo continuò partem anteriorem thoracis affligente, tum à spiratione admodum parua, & densa continuè tandem cum maxima calamitate perierunt

rierunt. De altera intentione, videlicet de euacuatione materiei in loco affecto contentæ sensibiliter facta, hoc dicā, quòd nullo modo expectanda est, cum diaphragma à parte superiori membrana costas succingente, à parte autem inferiori peritonio vestiatur, vnde ad extra nihil eius materiei resudare potest, nisi forsan disrupto abscessu, materia in cauitate thoracis deducta per tussim educatur, quem casum aliquando vidi cum maximo laborantium discrimine accessisse; quo tempore medicus excretionem materiæ faciliter abstergendo, & leniendo, sique dabitur occasio (hinc enim ego vidi mortem subsequi) discusso tumore ad consolidantia deueniat. Victus in talibus tumoribus non tenuis, cum morbus futurus sit longus, attenuans tamen, imperetur. cibariaq; præter cætera non sint excrementosa, nec difficilis coctionis, abstineatq; ab omnibus, quæ aquosos tenues, & serosos humores abundare faciunt. Vnde multa etiam iura fugiantur, & potus sit, quàm maximè fieri poterit, parcus; omnis enim potus modicus sit, dicebat Gal dū de orthopnæa ageret, in ijs, qui alicubi abscessum habēt, & maximè in his, qui in profundo corporis existūt. Abstineāt ante purgationē factam à vino; quoniam vinum omnes fluxiones proritat, adauget, & accelerat, tuncq; vtantur aliquo decocto parato cum saccaro, vel melle admixtis aliquibus attenuantibus, sicuti vel seminibus odoratis, vel Issopo, vel origano, vel similibus. celebrata autem purgatione bibant vinum tenue, album, oligoforō, & ad dulcedinem decliue. Excrementorum alui maxima habeatur ratio; quoniam in omni difficultate spirandi fęcum retentio molæsta est, hisq; conueniunt clysteria, mollia quidem pro maiori parte, tamen per interualla possunt etiam venire in vsum acria, quæ & reuellere, & calefacere, & euacuare pro parte materias illas crudiores possunt. quæ eædem materiæ diureticis ad expulsionem proritentur. quod fieri facilè pro earum tenuitate poterit. diuretica autem in hoc casu non sint illa

Lib. 7. de med. secundū loca.

aquosa, & frigida, sicuti semina illa communia, sed sint verè diuretica, quæ caliditate, & facultate propria lotium prouocare possint. & hæc de tumoribus à frigida materia genitis dicta sint.

Cum diaphragma tumorem à materia patitur calida, æger acuto detinetur morbo. hic enim est inflammatio, qua posita communes omnium inflammationum indicationes desumendæ sunt; materia enim inflammationem faciens euacuanda est. euacuabitur si retrocedet, vel discutietur retrocedet autẽ, si repellatur, vel reuellatur, & euacuetur. quoniam autem nec repelli, nec discuti potest pleno existente corpore, ideò totius euacuatio præmittenda erit; postea repellendum, & discutiendum est. Has indicationes cum maxima difficultate Medicus exequi potest; quoniam, & ratione membri affecti, & ratione colligantię, quam cum omnibus principalibus visceribus habet, cuius meritò hæc acutissima est affectio, citò deducitur æger in extremum vitę periculum. quod eò promptius euenit; quoniam huiuscemodi ægrotantes adeò desipiunt, & delirant, vt nec ad oblata, nec ad cætera, quæ opportuna fierent, remedia benè se habeant. hincq; , cum facilè exoluantur vires, in vltimum vitæ discrimen incidunt. Quapropter proposito tali ęgrotante, pro prima intentione, dum adhuc vires constant, nec admodum delirant, statim in primo huius morbi principio, lenita aluo clysteri molli, & refrigerante (quoniam hic acria ratione affectionis, & febris acutę non conueniunt) secetur vena interna brachij dextri. quantitas sanguinis ea sit, quæ pro ratione habitus, temperaturæ, aeris, & virium potius copiosa, quàm mediocris iudicari debeat. repetaturq; , si vires tolerabunt, morbusq; non cedat. loco affecto applicentur, quæ partim potentialiter refrigerare, partim reprimere possint: sint tamen actu subcalida, non autem frigida, ratione partis, quę & duræ est substantię, & in continuo persistit motu. à frigidis enim actu potius rigeret, indeq; ad motum

Diaphragmatis tumorum à materia calida curatio.

Prognosticum.

pro-

proprium difficilius se haberet. vnde à principio inungatur locus patiens oleo rosaceo completo, vt minus adstringat, subcalido. cui postea in processu morbi addatur parum camomelini. ad quam eandem intentionem possunt parari perfusiones ex decoctionibus herbarum frigidarum, sicuti ex endiuia, violis, lactuca, semperuiuo, & similibus, quibus epithimetur etiam locus affectus. his autem, cum discutiendum erit, addatur malua, althea, flores camomeli, meliloti, semina lini, fenugræci ex ijsdem herbis contusis, & earũdem succis, addita farina hordei, & oleis prædictis possunt parari emplastra, quę in principio sint potius refrigerantia, in augmento autem admisceantur refrigerantibus aliqua discutientia, quorum maior copia in statu esse debet. in declinatione autem sint fere simpliciter discutientia. ad quem vsum pinguedines, & cętera, quæ proposita sunt in antecedenti casu ad discussionem, accedere, & administrari possunt. Cum autem morbus est in augmento, si symptomata validiora molęstent, morbumq; non remitti, sed grauiorem fore timeamus, laudo præcedente iam, & facta ex interna vena sanguinis missione, vt sedi admoueantur hirudines, à quibus maximam ab illis internis partibus reuulsionem sperare possumus. Interim, dum hæc fiunt, commendo, vt extremis partibus balnea, & lotiones adhibeantur, quæ sint paratæ ex herbis refrigerantibus, admixtis nonnullis discutientibus; ita enim actuali caliditate poterimus reuellere à loco affecto, & potentiali frigiditate demulcebimus affectum ipsum. Siq; instet delirium, cuius ratione subsequãtur vigilię immoderatæ, syncipiti oxirrhodinum ad refrigerandum, temporibus, & naribus ad somnum prouocandũ nonnulla leuia stupefacientia applicarem, eiusq; ordinis nõ nulla lotionibus prædictis adderem; & ne exacerbetur in his delirium, multitudinem hominum, luminum, imaginum, sermonum, & huiuscemodi interdicemus. Quò ad victum sola ptisana exhibeatur. potus sit aqua, alui excremẽ

ta

ta quotidie excludantur, si non sponte, arte. Declinante autem morbo victus sit plenior, augeaturq; pro ratione virium,& declinationis morbi, tuncq; vinum exhiberi potest debile, album, & tenue,& dilutum.

De hydrope ex colliquatione. *Cap.* *IX.*

HYdropem refrigerato iecore,ab eiusq; intemperie frigida generari omnes scribentes docuerunt, eiusque curationem hoc supposito fundamento tradiderunt. solus Alexāder Trallianus locū Galeni positum lib. 3.de sympt. caus. cap. 2. considerans censet hydropem aliquando generari ab intemperie calida. dicebat enim Galenus colliquari quandoq; succos in venis existentes, qui,si non per renes ad vesicam transferantur, sed ad ventrē, vel ad totum corpus transmittuntur,subitaneos hydropum status inducunt. Si autem vi colliquationis tales hydropum status introducuntur, ergo aliquando ab intemperie calida, cum ab hac sola colliquatio fiat, generabitur hydrops. quare hinc duo habebimus, primò quòd aliqua species hydropis cōtra Galeni principia ab intemperie calida causabitur,secūdò quòd aliquandò hydrops, quoniam omnis intemperies per contraria tollenda est,per refrigerantia curari debeat. Hāc difficultatem nonnulli tetigerunt, sed rem ipsam non explicarūt,nec huius affectionis curationem tradere conati sunt. Ego autem rem istam aggrediēs primò hanc veritatem suppono,quòd aliquando colliquato sanguine, & succis, qui in venis sunt, non attrahentibus renibus, sed à venis ad ventrem vel ad ambitum vniuersi corporis hac colliquatione transmissa,serum hoc subitaneos hydropum status inducit, tumente statim ex hoc vel ventre inferiori solo,vel etiam reliquo totius corporis. hoc suppono pro vero, quoniam hoc vidi aliquando factum in febribus,quæ naturam ardentium seruabant, in quibus vnica, vel altera die factos ex colliquatione vidi hos subitaneos hydropum status, hincq; intuimuisse

Hydrops ex colliquatione.

Hydrops ab intemperie calida an detur.

fuisse adeò ventrem, ac si ascite per menses plures ægrotantes laborassent. His addo hydropis tres species esse, quæ ratione materiæ principaliter distinguuntur, nam vel materia pituitosa, & cruda, vel flatus, vel aqua, quæ omnia frigida sunt, vnde vel anascha, vel tympanites, vel ascites fit, generatur: hæq; species & materiæ peccãtes genitæ semper vitio hepatis immediatè ex intemperie frigida male affecti, vnde amplius perfectum sanguinem gignere non possit, siuè hoc fit per propriam passionem, & primariam, siuè per consensum, & secundariò, generantur, hæq; non subitò, sed sensim, & sensim fiunt. His suppositis dico casum illũ Alexandri ex Galeno desumptum nõ esse veram hydropis speciem, primò quia non magis generatur vitio hepatis, quàm ex mala totius corporis intemperie; febris enim, in qua cõtigisse vidi casum hunc, totius corporis est passio, illaq; intẽperies calida, cuius violentia succi, qui continentur in venis, colliquantur, non tantùm est hepatis, sed etiam omniũ aliarum corporis partium. Secundò quia in casu isto materia aquosa, quæ vi colliquationis gignitur, potius est calida, quàm frigida: at in hydrope omnis materia, quæ huius vitio gignitur, est frigida. Tertiò quia vera hydrops sensim generatur, tumorq; in hac vel ventris inferioris, vel totius corporis sensim adaugetur: at hic casus generatur subitò, ita vt intra terminũ morbi acuti patientes admodum intumescãt. Cui consimilis est casus Hippocratis positus lib. 7. Aph. 56. vbi habetur. Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, ijs venter aqua repletur, & moriuntur. Quẽ affectum, licèt in eo sit tumor ventris à materia aquosa, sicuti est in hydrope, tamen cum subitò fiat, nec vitio intemperiei hepatis gignatur, Hippocrates tamen hydropem non appellauit. & Galenus in commento cum à vera hydrope per ea verba. Si quando igitur contingat eas vesicas rumpi, effunditur aqua ad locum membranæ abdominis interioris parti supra ventrem positæ respondentem, in quo etiam aqua hydro-

Tumor ex colliquatione non est vera species hydropis.

hydropicorũ congregatur, clarè distinguit, qui nõ à tumore vẽtris & à materia cõtẽta, sed à modo generationis, & à causa, quia fiat vitio refrigerati iecoris, & sensim generetur, semper appellauit. Quare sicuti in casu isto Hippocratis, ita & in eo Galeni nõ erit vera hydrops, ad quod alludens Galenus in explicanda ea sententia vsus est his verbis. Subitaneos hydropũ status inducunt. quasi dicere voluisset, inducũt tumores vel vẽtris inferioris, vel totius corporis eo modo, quo in hydrope fiunt. addit q; subitaneos, vt clarè ab hydrope eos distingueret. Si.n. verã hydropem intellexisset, non vsus fuisset hoc verbo, status hydropum, sed subitaneas hydropes absolutè dixisset. Quod non cõsiderans Alexander credidit Galenum admisisse veram hydropem ex colliquatione fieri, hincq; contra propria principia censuit fieri aliquam hydropis speciem ab intemperie calida, quæ postea per refrigerantia curari debeat. Quod nullatenus admittendum est, cum ex colliquatione vera hydropis species non generetur, nec vi calidioris hepatis, cuius meritò, cum refrigeratũ fuerit, vera hydrops tantùm generatur, gigni possit aqua. Vbi enim iecur supercalefactum est, bilis, non aqua, & si adhuc magis incalescat, retorridi, & adusti, non aquosi generantur humores. Quapropter concludo casum hunc Galeni non esse casum hydropis, licèt eius verba hoc innuere videantur, nec ex hoc loco haberi posse, cum hic vi caloris colliquefacientis fiat, aliquam speciem hydropis per refrigerantia curari posse. quem Galeni locum sicuti Alexãder perfectè non intellexit; ita nec Arabes, qui hunc locum malè intrepretantes, alteram hydropis speciem vitio renum non attrahentium genitam introducere conati sunt, intellexerunt; cum loquatur Galenus in casu colliquationis succorũ tantùm, quam renes, vbi validi sunt, attrahũt, & ad vesicam transmittunt; vbi autem non ita valeant, vt hanc colliquationem trahere possint, transmissa hæc materia ad abdomum, vel ad cæteras corporis partes, ibi tumorem generat, qualem

Hydrops vitio renum non attrahentium andetur.

qualem in hydrope fieri videmus. Excepto hoc colliquatio nis casu, nunquam admisit Galenus vitio renum fieri talem tumorem, nec fieri potest, vt eorundem renum vitio nunquã generetur hydrops, nisi cum iecori consenserint, cuius ratio ne virtus sanguificandi labefactata humores crudi, & aquosi generentur. Qua de re concludatur, cum vi colliquatio nis genita aquosa materia ad ventrem inferiorem transmittitur, in eoq; tumorẽ parit, non ab hoc fieri hydropem; sicuti nec fit hydrops, cũ similiter intumescit abdomen, erũpente in idem materia aquosa ex vesicis genitis in ea, quæ iecur ambit exterius, membrana. Cum igitur hic tumor nõ sit hydrops, non erit contra principia Galeni, qui in omni hydrope calefaciendum esse docebat, si in hac dabitur indicatio refrigerandi. In hoc enim casu indicantur duo agen da esse; alterum, vt ratione causæ colliquefacientis, quæ est calor immodicus, & prauus, refrigeremus; alterum, vt ratio ne materiei iam genitæ, iam euacuemus. quibus indicationi bus difficillimum erit satisfacere; quoniam cum vehemens est colliquatio, cuiuscemodi est in casu isto, languescit corpus, viresq; omnes exoluuntur. quibus labantibus, quàm sit difficile ægrotantes morbis magnis laborare, omnibus est notum. Cum tamen dabitur occasio, statim medicus causæ omni conatu incumbat, vt, si fieri possit, eam inhibeat. hoc pluribus ingenijs exequi potest, scilicet victu refrigerãte, cataplasmatibus, epithematibus, inunctionibus refrigerantibus, & consimilibus rebus applicitis thoraci, & præcordijs, sed præ cęteris maximè prodesse poterit potus aquæ frigidæ, quorum omnium in sequentibus ex mente Galeni verba faciemus. Quò autem ad euacuationem materiæ, duplici via hanc tentabimus, scilicet vel eam insensibiliter discutiendo, vel sensibiliter, & hoc per aluum eam excludendo, vel per uiam lotij deriuãdo, quod est id, quod dicebat Galenus lib. 7. Aph. comm. 56. cum hæc habebat. Sicuti in illis per medicamenta aquositates purgantia, & im positio-

Colliquationis indicationes.

Prognosticum

Curatio.

positiones eorum, quę vim habent ciendi vrinam, & in vapores soluendi humorem talem, sic & in his fieri curationē. Quæ autem hæc debeant esse, ad propria capita recurratur, illincq; omnia, quæ opportuna in hoc casu erūt, desumātur. In quo hoc vnum animaduertatur, quòd ista ante causæ abscissionem non administrentur, ne vires in totum resoluantur, febrisq; ex prædictis generis remedijs augeatur, causa autem remota, vbi febris in totum quieuerit, tutò in vsum venire possunt. Si autem aliqua perseueret febris, cessante tamen colliquatione, & febri simul cum his, quæ materiam peccantem respiciant, attendendum erit. Quoniam autem præsentis casus occasione loquuti sumus de febribus, quæ corpus colliquefaciunt; ideo quid de his Galenus senserit, & scripserit, breuibus hic ad claram iuniorum intelligentiam subscribam.

De febribus colliquefacientibus ex Galeno. Cap. X.

FEbres colliquefactiuæ duplices sunt, nā quod colliquatur, in quibusdā sēsibiliter, in quibusdā insensibiliter colliquatur. Quæ habent colliquationē sensibilē, in duplici sunt discrimine; Alię.n. sunt ex genere febriū ardentium, & de his meminit Gal. lib. 10. Meth. in fine, lib. 3. regiminis acutorum commen. 12. & 13. lib. 3. Epid. sect. 3. commen. 34. & lib. primo de differ. feb. cap. 8. Aliæ autem sunt ex genere febrium pestilentium, & de his meminit Hippocrates lib. 3. Epid. sect. 3. tex. 55. 61. & 70. & eodem libro commen. 57. Galenus ponit colliquationem esse ferè perpetuam in febre pestilenti, quod idem affirmat exemplo eadem sect. comm. 74. Quæ autem habent colliquationem insensibilem, vel sunt febres hecticæ marasmodes, vel sunt putridæ, vel pestilētes. Febres colliquefacientes hæcticæ sunt illæ marasmodes, quę populantur, & consumunt partes carnosas, & solidiores corporis humani, & de his meminit Galenus lib. 10. Metho. cap. vltimo. Putridæ autem colliquefacientes cor-

Febrium colliquefacientium quot sint genera.

pus

pus insensibiliter sunt eæ, in quibus extenuatur, & contabefit præter rationē patientis corpus, vnde in huiusmodi ægrotantibus in primis diebus solent nulla præexistente, vel externa causa, vel sensibili euacuatione apparere facies illæ Hippocraticæ, habentes oculos cauos, adstricta tempora, aures frigidas, contractas, & fibras earum inuersas, cutem frontis duram, intentam, & aridam, coloremq; vel viridem, vel nigrum, & de his febribus meminit Galenus libro primo Prognost. commen. 10. & 11. & lib. 2. Aph. commen. 28. Tales esse possunt etiam nonnullæ pestilentes febres, in quibus ratione pestilentis affectus, primis diebus apparere solent ob insensibilem colliquationem prędicti generis facies; de quibus verbū fecit Gal. lib. 6. Epid. sect. 3. cōmen. 29. quo eodem loco monuit etiam de dictis putridis corpus ipsum impossibiliter colliquefacientibus, totque sunt febrium colliquefacientium genera. Causæ autem colliquationis in his febribus variæ, & diuersæ sunt secundum varietatem, & diuersitatem febrium; nam in febribus ardentibus causa colliquationis est ingens caliditas, quæ ita potens est, vt sicut carbones igniti colliquefaciunt carnem pinguē cicurum sensibiliter; pariter & ista colliquefaciat pinguedinem, & partes carnosas; cui nisi opportunis resistatur remedijs, hominem vel necat, vel marasmatum reddit, vt habet Galenus lib. 10. Meth. in fine. & lib. primo de differ. feb. cap. 8. In febribus autem pestilentibus causa sensibilis colliquationis est mala, & ingens putredo, quę partes propinquas contabefacit, & colliquat, causa autem colliquationis insensibilis est praua, & venenosa qualitas, ac eiusdem febris prauitas, & acuties. In febribus verò marasmodibus huius colliquationis causa est caliditas quidem, vt in ardentibus, sed non propter eius magnitudinem, quoniam febres marasmodes ingentem non habent caliditatem, sed quoniam ea caliditas fundatur in partibus solidis, in quibus residens tanquam in proprio pabulo, vt flamma in lichnio, eas depopulatur,

Causa.

pulatur, & consumit, & inde colliquat illas partes solidas, vt docet Galenus loco citato 10. Metho. in fine. At in illis putridis, in quibus insensibiliter vniuersum corpus colliquatur, & indè supra modum quàm citissimè extenuatur, causa est humorum tenuitas, & habitus ob corporis raritatem facilè resolubilis, ac qui facilè difflatur. cui si cōnectatur oris ventriculi debilitas, ægerq́; laboret sub cęlo æstiuo in regione calida, & constitutione simili, facillima, & promptissima erit huiusce corporis colliquatio, vt ab eodem Galeno libris Prognost. & Apho. citatis habetur. hæ autem febres aliquando validiores sunt, & periculum manifestum, quia imbecillitatem patiētis indicant, minantur. aliquando autem sunt paruæ, & hę magis periculosæ existunt; maiorę enim ægrotationis maleficentiam, vt verbo Galeni vtar, ostendunt, vt quæ cum debiliori causa symptoma verēdum inducant. hinc sæpè apparent febres, quę aspectu quidem ob earum paruitatem mites, sed tamen valdè perniciosæ existētes ægrotantes ipsos ad omnimodam virium prostrationem, nulla sensibili existente euacuatione, ob eorum malignitatem corpus insensibiliter, aceruatimq; colliquātes deducunt. & hæc de causis. signa autem, & indicia colliquationis in his febribus non sunt eadem. nam quod colliquatur in febre marasmode, animo tantùm deprehendi potest, & non cadit sub sensu: cuius ratio est, quoniam quod colliquatur in febre marasmode, sensim colliquatur, & semper vaporis vice digeritur, vt docet Galenus loco citato. At in putridis febribus, in quibus colliquatio insensibilis fit, quod colliquatur, non sensim, sed aceruatim resoluitur, & hinc velociter, non autem longo tempore, apparent in ægrotantibus corporis illæ extenuationes, quæ quomodo, & qua ratione à medico sint cognoscendę, docet Galenus lib. 1. Prognost. in medio comm. 51. vbi hæc habet. Cæterùm conuenit immorari diutius attrectando omnem manum non solū corpus ęgri, sed etiam superiores partes diligēter animad- Signa.

uertentes, si non solum acriorem, sed etiam si substantiæ cō piam vnà secum, & quidem corpulentam reportet, veluti flammulā quandam peruadentem cutem tuæ manus, quā cutim ægri contingis, seque insinuātem perspicuè in profūdū. & reliqua quæ sequūtur. Per quę clarè animaduertas differentiā eius extenuationis, quæ ex colliquatione insensibili causatur, ab eis extenuationibus, quæ fiunt vel ob viriū imbecillitatē, vel ob causā externā, & pręcedentē, vel ob debilitatē natiui caloris, qui non insuper extendi, vt inquit Galenus in cōm. 10. primi libri Prognosticorū in extremas corporis queat partes, sed in visceribus solis exiguus obseruetur, cuius meritò nō præterea affluat ad extremas corporis partes tātum sanguinis, aut spiritus, quantū antea affluebat habentibus per naturam; & ob eam rem in facie maxima extenuatio, ac mutatio naturalis habitus liquidò apparet. quod idem à graui interna inflammatione, vel à nimia humorum copia calorem innatum ad intra reuocantem, ac retrudentem, fereq; suffocantem quandoq; causari solet. hæ autem extenuationes sicuti ab ea, quæ per insensibilem colliquationem gignitur, valdè differunt, ita etiam à diuersis prodeunt causis, nec per eadem signa deprehendi possunt. Quod autem colliquatur in cæteris febribus, sensu deprehēditur; nam vel transmittitur per lotium, vel defluit in ventrem, & indè per secessum extramittitur; ex quo duplex est colliquationis principale signum in his febribus, scilicet, lotium, & deiectiones alui: lotium quidem hoc indicat, quando habet aliquid pingue desuper natans araneorum specie, vt habet Hippocrates lib. 2. Prognost. tex. 35. & Galenus ibidē, & lib. 7. Aphor. comm. 37. & lib. 3. Epid. sect. 3. cōm. 74. & hoc potest esse indicium commune & febribus ardētibus, & pestilentibus, at non omnis colliquationis, sed tantū pinguedinis. lotium etiam, si sit spumosum, potest esse colliquationis indicium, vt habet Galenus lib. 3. Porrhet. cōm. 10. Si etiam cū lotio aliquæ partes erui, vel hordei speciem

referētes

referentes vnà exeant, colliquatorum membrorum aut carnis pro colorum, & substantiæ differentia possunt esse colliquationis indicium, vt docet Galenus lib. 6. Epid. sect. 5. comm. 15. à iecore enim corpuscula veniunt, à renibus carnosiora, à vesica autem foliorum similia, hordeacea autem magnitudine quidem, & duritia, at non albida, colliquatę carnis notę sunt, sicuti & nigræ lienis magis. Deiectiones autē indicantes consumptionem, & colliquationē possunt esse diuersę. nā aliquādo sunt pingues, & hę indicāt colliquationē pinguedinis, vt habet Gal. lib. 3. Epid. sect. 3. cōm. 74. & 70. in fine, & 55. & lib. 3. Prognost. comm. 22. & lib. primo de Crisibus cap. 11. Aliæ autem sunt biliosę, vt habet Galenus lib. 3. Epid. sect. 3. comm. 34. & hæ deiectiones biliosæ solent esse spumosæ propter ingentem caliditatem, vt habet Galenus lib. 3. regiminis acutorum. comm. 12. & lib. primo de Crisibus cap. 11. prętere a sunt hæ sincerè biliosæ, & non mixtæ. & hę solent esse præcipuè signum febrium ardentiū colliquantium, vt habet Galenus lib. 3. regiminis acutorum comm. 13. & hæc sunt indicia maioris colliquationis factæ propter intensiorem calorem, ex quo vel colliquefit caro mollis, vel pinguedo ipsa quidem, sed intensius, & ab intensiori causa. solent etiam esse hæ deiectiones aliquandò subcroceę, aliquandò albæ. albæ apparent, quandò colliquefit pinguedo, & non à maligno, nec intenso calore: subcroceæ autē, quādo colliquatio fit ob vehementiorem calorem, vndè & colliquatur caro mollis: vel quandò materia colliquę facienda habet aliquam malam qualitatem, qualis est pinguedo vetusta, ac semiputris, vnde colliquata acquirit illum colorem, sicuti docet Galenus lib. 3. Prognost. cōm. 21. Hæ etiam deiectiones solent esse leues, non autem asperæ, nec inæquales, quod fit propter vehementem colliquationem, ex qua tota materia æqualem passa est alterationem, vt habet Galenus lib. 3. Prognost. loco citato. Solent etiam hæ deiectiones esse glutinosæ, & hoc propter caliditatem prę-

Lotiū colliquationē indicās.

Deiectiōes colliquationē attestantes.

dominantem materię, vnde fit lenta, vt habetur à Galeno eodem loco citato,& primò de Crisibus cap. 11. Verum in his deiectionibus hoc est notandum, quòd omnes tales deiectiones sunt corpulentæ, & non aquosæ, nec tenues, vt habetur à Galeno lib. 3. Epid. sect. 3. comm. 34. vbi loquens de febribus ardentibus, ponit colliquationem non esse signum pathognominum earum, & hoc probat ex processu Hippocratis, qui ait in illis febribus ardentibus eos excreuisse tenuia, & aquosa, quę (inquit ipse) non sunt colliquationes, vt confirmat etiam eodem loco comm. 40. & ita omnes deiectiones indicantes colliquationem sunt corpulētæ, & glutinosæ, vt apparet ex iam dictis à Galeno, & hę deiectiones tàm sunt, & contingunt in febribus ardētibus, quàm in pestilentibus, veruntamen non eodem modo. nam in febribus pestilentibus, in quibus valida fit putredo, istę deiectiones solent esse graueolentes, & putidæ, vt habet Galenus lib. 3. Epid. sect. 3. comm. 74. at in febribus ardētibus, & morbis acutis non semper sunt tales, sed tantùm, quando adest ingens putredo, vt habet Galenus lib. 3. Prognost. comm. 22. & hæc de signis colliquationis in febribus colliquefacientibus sumptis ex lotio, & ex deiectionibus. sed & his additur tertium, quod aliquando contingit colliquato carnoso genere, & sunt sudores multi; nā carne colliquata, excretio colliquationis, vel fit per ventrem, & hoc contingit, quando illa fluxio est crassior, vel fit per lotium, vbi minus crassa est, & ad renes transmittitur, vel per cutim: quod contingit, vbi in halitus resoluitur, & tunc contingunt multi sudores, vt docet Galenus lib. 3. de Sympt. caus. cap. 2.

Sudores colliquationes attestantes.

His addo, quòd aliquando euenit fieri colliquationem non pinguedinis, nec carnis, nec partium solidarum, sed tantùm sanguinis, & humorum, qui sunt in venis, & talis colliquationis signum est multitudo lotij. nam cum resoluantur humores in ichorosam saniem, si renes valida pollent vi attractrice, attrahunt ipsam, & inde multitudo lotij emergit. Si autem

tem renes non sint sani, nec valeant trahere hunc ichorem, vel si venæ ipsum ad ventrẽ transmittant, seu ad totius corporis ambitum, subitanei hydropum, quemadmodnm superius explicauimus, status inducuntur, & ita vel hydropis status subitò factus, vel lotij multitudo, & exuberantia erunt signa colliquationis succorum, qui sunt in venis, & ipsius sanguinis, quod docet Galenus loco superius declarato in lib. 3. de sympt. caus. cap. 2. & hæc quò ad causas, & signa sufficiant. Quò autem ad curationem varia, & diuersa harũ colliquationum secundùm febrium diuersitatem esse debet curatio. nã in febre ardenti pluribus rebus curatur, scilicet, victu refrigerãte, epithematibus eiusdẽ rationis, cataplasmatibus, & similibus rebus thoraci applicitis, vt docet Gal. lib. primo de differ. feb. cap. 9. Quare deueniendum est in hoc casu pro victu ad ptisanę cremorem, vt habet Gal. lib. 3. de ratione victus in acutis comm. 13. vel ad consimilem cibũ refrigerantem, & humectantem, vt docet lib. 10. Metho. in fine, sed præ cæteris præcipuum est in hoc casu remediũ, & omnibus prẹferendum, & maximè iuuantissimum, & sine quo ęgri vel ad mortem, vel ad tabem deueniunt, aquæ frigidæ potus, vt monet Gal. primo de differ. feb. cap. 9. & lib. 11. Metho. in fine, & lib. 3. de ratione victus in acutis comm. 12. & 13. Quo autem tempore exhibenda sit hæc aqua, notandum est, quòd est exhibenda, quando aliquod apparuerit signum concoctionis, vt declarat Gal. citato lib. reg. acut. comm. 13. vbi habet, quòd obseruandum est quodcunq; signum coctionis, quantumuis momentaneum: quo apparente, inquit, exhibendam esse frigidam, & sic exhibẽda est aqua eo tempore, quo aliqua concoctio apparuerit, nec requiritur perfecta, & exquisita materiæ concoctio, sed sufficit, quòd humores sint mediocriter concocti, vt etiam clarius habet Gal. lib. 9. Meth. cap. 16. in fine. ex quibus liquet hunc potum exhibendum esse in statu; nam in statu humores sunt aliqualiter, & mediocriter, non autem perfectẽ

Hydropum subitanei status colliquationẽ attentantes.

Curatio colliquationis febrium ardentium.

concocti; in statu enim materia, vt habet Gal. lib. 3. de crisibus cap. 5. perfectè cōcoquitur, & ideò non est perfectè cōcocta, quod postea habet in fine status: vnde possumus deprehendere hāc frigidæ aquæ potionē esse exhibendā in primis partibus status. & hæc de colliquatione febrium ardentium, quæ curatur tantùm per refrigerantia, quia per solam caliditatem causatur. Quò autem ad eam, quæ fit in febre pestilenti, notandum, quòd duplex potest esse febris, scilicet vel ardens, vel non ardens. si sit primi generis, in hac etiam conuenit potus aquæ frigidæ ad extinguendam flammam illam, vt docet Oribasius, & alij ex intentione Rufi. si autem sit secundi generis, cum in hoc casu colliquatio proueniat ex putredine, & pura qualitate, ac venenosa, curatur cum his, quæ resistunt putredini, ac prauam, & venenosam qualitatem propulsare possunt, siue sit cibus, & potus, siue medicamenta, & antidoti, de quibus in tractatu de febre pestilenti egimus. Colliquatio autem insensibilis, quę contingit in febre marasmode, curatur per refrigerantia, scilicet, per victum, aerem, medicamenta, & balneum, quæ refrigerātia sunt remedia adhibenda in curatione huius febris: quæ licèt non propriè curetur, cum siccitas sit insanabilis, curatur tamen aliquo modo, scilicet transferendo hominem ad melius, videlicet ad marasmum ex senio; nam cum febres marasmodes consistant in duobus, quorum alterum est caliditas, alterum siccitas, potest quidem remoueri caliditas, at non siccitas. Quomodo autem remoueatur ista caliditas, quæ, cum fundetur in partibus solidis, est causa colliquationis, docet Gal. lib. 10. Metho. cap. 10. & 11. dum monet ipsam remoueri ex quibuscunq; refrigerantibus, sed præcipuè ex solio aquę frigidę, ex quo remota caliditate, remouetur colliquatio. & licèt tunc temporis homo non possit dici sanus, diutius tamen potest viuere, ita constitutus in habitu senili, vt etiam docet Galenus loco citato 10. Meth. in fine. Si autem ista colliquatio insensibilis contingat in febre

Curatio colliquationis febrium pestilentum.

Curatio colliquationis febris marasmodis.

bre

bre putrida, intentionem habebit Medicus, vt monet Galenus comm. 11. lib. primo Prognoſt. firmare vires ventriculo idoneis alimentis adminiſtratis. præcipuè autem eam curandi rationem aggrediatur, quam idem lib. 12. Meth. cap. 6. docet. quo loco, & tenuitati humorum, & corporis raritati, & eiuſdem ſuperfluæ difflationi quibus, & quomodo reſiſtendum ſit, explicat. Si autem vltra cauſas enarratas adſit etiam prauitas humorũ, malignitasq́; in febre appareat, ea, qualia in febre peſtilenti agenda eſſe explicauimus, adminiſtret, quibus prauam qualitatem, & inde colliquationem inhibere poterit, & hæc de febribus colliquefacientibus ex Galeno.

Curatio colliquationis febris putridæ.

De Ileo. Cap. XI.

ILeos eſt affectio, quæ ſępiſsimè vnà cum ægrotantis vita terminari ſolet; de qua licèt omnes ſcribentes tradiderint curationem, tamen quia indiſtinctè, & confusè, quæ ad eius cognitionem pertinent, tractant, in hacq́; nonnulla ſunt diſcriminis plena, ideò prædictis addam etiã caput hoc de Ileo. quod eò libentius agam, cum videam plures ægrotantes ex inflammationibus, & cæteris membrorum principalium morbis, quàm ex Ileo, ſaluari: quod profectò non ex partis affectæ præſtantia, nec etiam ſæpè ex magnitudine affectus contingere potuit, ſed tantùm, quia debito tempore opportuna in hoc non adminiſtrantur remedia. hocq́; quia eius eſſentia, & cauſę, quibus obuiandum eſt, nõ ita medicis pateant. quas ego explicaturus ita exordiar. Ileos eſt ſuperfluitatum cibi, quæ per inferiorem aluum excernuntur, retentio, vt clarè habet Galenus lib. 3. Aphor. comm. 22. Cum retinentur iſtæ ſuperfluitates in inteſtinis, vel vt ſi quid in eis boni chyni remanſerit, ad iecur per meſarçi venas attrahatur, vel vt ob maiorem hominis commoditatem ad debitum tempus excerni poſſint, iſta retentio nõ dicitur Ileos, ſed tantùm cum præter naturam, nec ad di-

Ileos quid ſit.

ſtributionem, nec ad commodiorem excretionem retinentur. Retentio autem hæc præter naturam à læſa virtute expultrice generatur, quæ dupliciter lædi ſolet, ſcilicet, vel aboleta, vel impedita. aboletur ab exceſſu intemperiei frigidioris, ſicuti & cæteræ omnes facultates ab exceſſu ſimili abolentur, & tunc nihil ad infernas partes tranſmittit, vt habetur lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 2. quod idē Galenus lib. 1. de locis aff. in fine. aſſerere, & confirmare videtur. impeditur, cum intercluduntur inteſtina; intercluduntur autē duplici ratione, ſcilicet, vel ratione tumorum præter naturam, vel ratione excrementorum obſtruentium. tumores hi poſſunt eſſe inflammatio, de qua Gal. lib. 3. Epid. ſect. 2. cōm. 7. & lib. 6. de loc. affect. cap. 2. & lib. 3. Aph. comm. 22. & lib. 6. Aph. comm. 44. vel abſceſſus in ſubſtantia inteſtinorum collecta materia, vel duri tumores, vt ſcyrrus, de quibus. Galenus hoc vltimo citato loco meminit. Cancer etiā hoc idem cauſare poteſt, cuiuſcemodi vidi ego in Fabro ferrario, qui cum in colo per plures menſes cancrum paſſus fuiſſet, ex quo in tranſitu fæcum quotidie vehementi crucia batur dolore, maximas perſentiens punctiones, perindè, ac ſi acubus perforaretur, tandem acuto cancro, ab eodemq; obſtructis inteſtinis factus Iliacus, præcedentibus ſtercoris vomitibus miſerè vita functus eſt. Excrementa autem obſtruentia ſunt, vel fæces induratæ; vt habet Galenus lib. 6. de loc. aff. cap. 2. & lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. primo, & lib. 6. Aph. comm. 44. vel pituitæ copia, quam licèt videatur ponere Galenus hoc vltimo citato loco ſub dubio, tamen eam in fine, ſi vnà cum ingente frigiditate iuncta fuerit, admittit, hancq; cauſam veram eſſe teſtantur hiſtoriæ à Viris celeberrimis enarratæ. hæc de eſſentia, & cauſis, quibus ſigna ſubſcribo. Signa alia ſunt præſentis morbi, alia moris morbi, alia differentiarū morbi. Signa præſentis de ſe patent, quoniam cùm à prædictis cauſis alui excrementa, quæ per ventrem inferiorem excerni deberent, retinentur, clarè

Cauſa.

Ileos an poſſit cauſari à pituita ſola.

Signa.

apparet factum esse Ileon.addebat Galenus lib. 7. Aphor. comm. 10. huic proprium, & inseparabile esse, nihil inferius descendere, & lib. 6. Apho. comm. 44. subdebat, etiã si acerrimo vtaris clisteri. Hoc Galeni dictum omnes scribentes acceptauerunt, tamen Hippocrates contrarium testatur lib. 3. Epid. sect. 2. tex. 7. in historia mulieris uoluulosæ, quę apud Tisamenum decumbebat, dicens. Deiectiones tenues, crudę, paucę. quę verba sicuti Galenus in commento neglexit, ità posteritas conniuentibus oculis pertransiuit, & tamen hæc in Iliaca passione aliquid descendere affirmant. Ego diu locum hunc consideraui, remq; ipsam obseruaui, tandem experientia, & ratio me docuit in Ileo aliquid descendere posse. Vidi enim plures Iliacos, in quibus nonnulla, licèt pauca, excernebantur. hocq; tantùm, dum generaretur morbus, animaduerti fieri; facto autem, & completo morbo, nihil postea descendisse vidi. hoc autem non sine ratione factum iudicaui; quoniam, dum fieret Ileos infra locum affectum, descenderant excrementa, quæ vel à natura, vel ab arte excludi poterant, antequam omnia intestina in consensum affecti ducta essent, propriamq; naturam, & facultatem omnem amisissent. hinc Hippocrates in lib. de morbis tertio, in Ileo ex inflammatione genito, ad extrudendas fæces infra locum affectum contentas suppositoriũ ex mele taurino fele oblinitum, decem digitorum longitudine imperabat, quę non post morbum factum, sed antea in inferioribus intestinis congestæ erant. Cum autem oppositum Galenus scripserit, intelligatur de morbo completo loquutum esse, & in eo casu, in quo omnia intestina in consensum loci affecti deducta, adeò aliquando angusta reddũtur, vt nec amplius flatum, nec stercus, nec podex etiam specilli acumen admittant. hęc de signis præsentis morbi. Signa moris hęc erunt. Omnis Ileos licèt periculosus sit, attamen non æquè, cum hic non ita exitialis sit, vt ille: nec ille, perindè vt hic, sit mali moris; quare hi per hęc signa distinguan-

In Ileo an sit ĩseparabile, nihil inferius descendere.

Signa moris Ilei.

ſtinguántur, Ilei exitiales, & mali moris erunt omnes hi, quibus vomitus ſuperueniunt à principio quidem materierum billioſarum, & pituitoſarum, ſed poſtmodum, cum magis diſtorquentur ægri, ſtercoris ſuccedunt, vt habet Galenus lib. 7. Aphor. comm. 10. & ab his vix vllus ſaluatur, vt docet lib. 6. de loc. affect. cap. 2. aliqui enim interdum huic vomitui ſuperuiuunt, ſicuti nos in aliquibus Iliacis ex fæcum retentione, & ſcroti delapſu contigiſſe vidimus, in quibus Ileis ſolent etiam adeſſe dolores vehementiſsimi, vt ibidem habetur. Quòd ſi etiam in Ileo non ſit ſtercoris vomitus, ſed vel reſpiratio, vel ructus, vel flatus, vel totum corpus graue oleat, hi etiam (vt docet tertio commentario Prorret. comm. 63.) erunt mali moris, & pernicioſi, licèt non æquè, vt ſuperiores. In quibus autem non erit vomitus, nec reſpiratio, vel ructus, vel flatus, vel corpus malè oleat, nec vehementes erunt dolores, hi ilei ex ſe nec mali moris, nec exitiales erunt. dixi, ex ſe, quoniam ſi cum tales ſunt, cito, & rectè non curentur, poſtea & in his omnia ſymptomata mala occluſis inteſtinis, & nihil recipiẽtibus ſuperueniũt. Signa autem differentiarum, quę maximè aduertenda ſunt, (quoniam hinc omnis recta curandi ratio auſpicari debet) hæc erunt. Cum fuerit Ileos ratione abolitę virtutis expultricis, aderit retentio excrementorum alui, nullo præſente dolore, nec ad tactum tumor molæſtus perſentietur: nulli aderunt diſcurrentes per ſuperiora inteſtina flatus; quoniã hi à diminuto calore, non ab inſigni frigiditate generantur, his nec vomitus ſuperueniunt ſtercoris; quoniã virtus abolita nullum intentat motum, nec deprauatè operari poteſt, ad ſuperiora id, quod infernè deſcendere deberet, detrudens, ſuperueniunt tamen, cum perſeuerant hi Ilei, malæ ventriculi affectiones à prauis vaporibus materierum retentarum, & quia non fit diſtributio, cauſatę. Vnde ſubſequũtur inappetentiæ, ſubuerſiones, nauſeę, vomitus tum cibi, tum aliquarum ſeroſitatum. &, ſi diutius perduret morbus, reſpira-

Ilei ratiõe virtutis expultricis abolitæ ſigna.

respiratio, & ructus malè olent. quo ingrauescente, totum etiam grauè olet corpus. quod indicium est proximi exitij. In his præcessere causę refrigerantes, sicuti victus, & potus refrigerans, & præcipuè aquæ frigidæ potio, medicaméta, vel venena eiusdem ordinis, cruditates multę, & diuturnæ, exercitium in aquis frigidis, deambulationes per niues, sub dio, sub cęlo hyberno, & gelido, pedum vehemens frigus, quod facillimè intestinis communicatur, corporis hyemali tempore nuditas, seu indumentorum leuitas, vel quid simile, à quibus omnibus causis vidi tales Ileos generari. Cũ autem causabitur Ileos ratione interclusionis intestinorum, si hoc erit ratione tumoris scyrrosi, præcessit diuturna intestini durities; quoniam à puro scyrro nõ potest citò hoc fieri, quæ ad tactum, & maximè si sit in his, quæ exterius locata sunt, facilè persentiri potuit. Si autem in his, quæ interius distribuũtur, factus fuerit, maiori compressione ad eã sentiendam indiguit in his, licèt non extiterit dolor, tamen semper adesse solet grauitas consideratione digna, qua continuè intestina, & abdomen ipsis inferius, potissimum cum stant, detrahi videtur, ad excernenda què, & detrudenda inferius excrementa non ità faciles sunt, cum ab hoc semper in transitu angustientur. Si erit in causa cancer (quemadmodum ego dixi aliàs factum fuisse) præcessere signa cancri, Videlicet, punctiones ad compressionem, durities, & inęqualitas ad tactum, dolor ferè continuus, qui in trãsitu fæcum valdè exacerbatur, & diuturna fuit hæc affectio, quę tandem intestinum intercludens Ileum causat. Si sit abscessus, dolor in parte læsa aderit, & febris quandoq; huic, cum ad suppurationem declinauerit, connectitur, tumor ad tactum præsentietur, non ità citò ab hoc intercluduntur intestina, & præcessere ea, ex quibus abscessus generari potuit. Si autem ab inflammatione (quod vt plurimum contingere consueuit) generetur Ileos, acutissimus fit morbus, & qui velociter ad statum properet. huic additur

Ilei ex scyrroso tumore signa.

Ilei ex cancro signa.

Ilei ex abscessu signa.

Ilei ex inflammatione signa.

tur febris, & vnà cum ea dolores, qui in hoc sunt vehementes, & qui multum ægros distorqueant. hinc facilè ventriculus in consensum trahitur, vndè vomitus biliosi, & pituitosi citissimè succedunt, siq; non cedat morbus, & augeatur, cum id, quod phlegmone laborabat, intestinum, nec pōdus, nec acrimoniam, vt habet Galenus lib. 3. de natural. facultatibus cap. 13. toleret excrementorum, eò excernere, expellereq; ea quàm longissimè à se nititur. cumq; hoc prohibitum sit inferius ob phlegmonem occludentem persequi, ad supraposita intestina, & ad ventriculum extrudit, hincq; vomitus stercoris, signum admodū exitiale succedit. tunc quia nec cibum, nec potum continere possunt, singultiunt, sudant, aliquando conuelluntur, extremaq;, cum in deterius labuntur, refrigerantur, & omnes vires languent, in locoq; dolente nonnunquam apparet tumor eminens, cuius ratione, vt docebat Galenus lib. 6. de loc. affect. cap. 2. nonnulli hunc morbum Chordapsum vocauere, quoniam in eo tumore apparet intestinum ad similitudinem chordæ conuolutum. Præcessere hunc morbum causæ calefacientes, sicuti vsus aromatum, eduliorum acriorum, vini generosi ingurgitatio, cruditates nidorosæ, ciborum corruptiones, & similia, quæ etiam occasione sumpta à causa extrinseca, & potissimum à frigiditate externa, & vehementi, potuere hāc inflammationem causare: quod idem, non præexistentibus his causis, plaga, medicamentum, venenum, & prolapsio intestini in scrotum, indeq; violēter retrusum causare potuit.

Ileos quare dictus Chordapsus.

At si fiat Ileos à stercore indurato obstruente intestina, cuius ratione materierū ad infra descensus prohibeatur, & per plures dies in his aluus nihil egessit, à principio non est dolor, qui postea accedit, cum diuturnitate temporis fæces retentæ mordacitatem insignem acquisierint. nam per plures dies hic pertrahitur morbus, nec adeò est acutus, vt qui ex inflammatione, nec dolor erit ita vehemens, & cruciās, vt in priori. aderit grauitas vētris à copiosa materiæ, & sæpius

Ilei ex indurato stercore signa.

prius ipsis videtur distendi abdomen, ac si vi detrhatur, ad tactum persentiuntur intestina, si corpus non fuerit ad modum carnosum, & obesum, stercore duro turgida. his, cum pertrahitur morbus, intestinaq; sunt plena durioribus fæcibus, succedunt vomitus bilis, & pituitæ. & si magis distorqueantur, stercoris etiam. nam ab intestinis, in quibus talis passio existit, hic vomitus causatur, à se expellere stercus appetentibus, cum longitudine temporis molestare cœperit, & non potentibus se exonerare propter eam, quæ facta est in partibus inferioribus, obstructionèm, sed coactis contra naturam violenter moueri, & ad loca superiora materiam noxiam extrudere, vt habet Gal. lib. 7. Aphor. commen. 10. hiq; similiter, cum malè habent, singultiunt, & aliquandò conuelluntur, rarò febricitant, & tandem refrigeratis partibus ex tremis vita decedunt. hic morbus gigni consueuit in his, qui à natura adstrictioris sunt alui, quiq; intestina parum sensitiua habeāt, & prçcipuè si vsi fuerint cibarijs crassis, excrementosis, adstringentibus, austeris, si vixerint otiosè, cum gulæ indulserint, si vel negotijs, vel curis impediti, & maximè cum equitauerint, fæcum excretionem vel neglexerint, vel necessitate coacti retinere voluerint, & in his fæcibus gignitur morbus, cum intestina ab intemperie frigida, quæ eis communicata fuerit, vel ratione frigoris externi, vel ratione interius sumptorū labefactata fuerint. Si autem à pituitæ copia vnà cum ingenti frigiditate (quod fieri possç experientia ipsa testata est) gignatur Ileos, nulla morbi ratione in hoc erit febris, hic erunt vehementissimi dolores tū ratione intemperiei, tum ratione materiæ geniti, qui cum ad modum vrgeant, ægrotantesq; valde crucient, citò deducūt partes superiores in cōsensum, hincq; citò superueniunt vomitus biliosi, & pituitosi: quòd si non cedat morbus, etiam his stercoris vomitus succedunt, tentantibus intestinis hoc à se expellere, nec potētibus ad inferiores partes ob occlusā

Ilei à pituita signa.

viam

viam detrudere, vnde tandem, motu contra naturam concitato, ad superiora stercus ipsum violenter transmittitur, in his semper corpus friget, nec admotis calefacientibus facilè incalescit, & à dolore vexati loco stare nequeunt. murmurant partes superiores, adsunt rugitus, & flatus ascendentes, qui tamen dolorem leuiorem non faciunt. In his praecessere, quae pituitam aggregare, & crudos humores cumulare potuerunt, sed praecipuè ab externo frigore passi sunt. Hęcq; solet esse potentissima occasio, qua & pituita in vno, & eodem loco aggregatur, & qua intestina adstringuntur, & magis conniuent; frigidi enim est constipare, haec de signis differentiarum Ilei. Qui sicut à diuersis praedictis causis generatur, ita an in diuersis fieri possit intestinis, considerandũ est. Omnes scribentes ex Galeno lib. 6. de loc. affect. & lib. 6. Aphor. & alijs locis habent hanc affectionem intestinis tenuibus, ex quibus pręcipuè in hoc morbo intestinũ Ileon patitur, propriam esse: cuius ratione hic morbus à laesa parte nomen desumens, vt habetur lib. 2. Metho. cap. primo, dictus est Ileos. Huic sententiae non acquiesco, quoniã video omnes praedictas causas, quae in intestinis tenuibus Ileum, & superfluitatum cibi retentionem facere possunt, eandem in crassis etiam producere posse. nam in his, & virtus ex intemperie aboleri potest, & tanta gigni inflammatio, seu aliud tumoris genus, quòd totum eius spatium intercludat. potest etiam in his tantum stercoris, quod propriè in crassis aggregatur, vel pituitę cumulari, vt ex toto obstruantur. immo vomitus faecum in omni Ileo exitiali superueniens potius attestatur crassa intestina in eo affici, quã tenuia; in tenuibus enim materia succosa, & coctioni, & distributioni, & alimonię apta, in cuius gratiam haec condita sunt, continetur: at in crassis materia verè stercorosa coadunatur, in hisque alui faeces speciem primùm, & nomẽ habẽt; si quidem ab alimentis, dum per tenuia intestina ferebãtur, sucta puriori, & vtiliori substantia, horum residuum sunt

Ileos an sicuti fit in tenuioribus intestinis, ita etiam fieri possit in crassis.

faeces.

fæces, quæ hoc nomen assumunt, cum ad crassum intestinũ peruenerint. huic sententiæ adstipulatur Gal. lib. 3. de facul. natur. cap. 13. vbi docebat in Ileo stercus à loco infra Ileon intestinum existente, quod erit crassum, ascendere ad partes superiores, & hinc vomitum causare, per hęc verba. Quãquam nisi pertransito tum tenui intestino toto, tum ieiuno, tum pyloro, ventriculoq;, ac gula omninò nequeat per illius os eijci tale vllum excrementum. crassa etiam intestina pati in Ileo, locus dolens significare potest, in his autem vt plurimum dolor est ad præcordia, vt plures testantur, & præcipuè Hippocrates lib. de Morb. 3. quod idem asserit in historia mulieris Iliacæ lib. 3. Epid. dum dicebat, præcordia dolebant. circa præcordia autem est colon intestinum. quod per caua iecoris permeat, folliculum bilis attingẽs, fundóq; ventriculi adhærens lieni in sinistro hypochondrio accũbit, hincq; ad renes deuergẽs eos cõtangit. quapropter ad omnia præcordia insternitur. quod intestinis tenuioribus nõ ẽ datũ, vndè sumi potest, intestina crassa affecta fuisse. Quod idẽ mihi persuadent verba illa Hippocratis, & infra secundũ ventriculũ tormina perpetua; per secundũ. n. ventriculũ intelligo intestina tenuia, cũ crassa nõnulli, vt hãbet Gal. lib. 4. de vsu partiũ ca. 18. & Oribasius in collect. Med. ca. 19. lib. 24. inferiorem ventrem nuncupent; quare primus ventriculus erit ille, in quo deuoratum alimentum statim ingeritur, in chylumque mutatur. Secundus tenuia erunt intestina ad distributionem, & coctionem eiusdem parata. Tertius & inferior erunt crassa ad excipiendas fæces formata. Quare per ea verba, infra secundum ventrem, innuit Hippocrates tormina, & dolorum exacerbationes fuisse in intestinis crassis. Hanc sententiam acceptauit Alexander Trallianus lib. 10. vbi agens de dolore colico ab inflammatione genito, & reprehendens eos, qui à principio pharmacum exhibent, dicebat in his exacerbari adeò ex pharmaco inflammationem, vt ægri in Ileum morbum incidant; nõ enim (subiunge-

biungebat) aliud est Ileos, quàm colici affectus intensio, ac incrementum; cum autem in colico dolore crassa intestina afficiantur; etiam in Ileo eadem affecta erunt. Galenus etiam in commento historię mulieris voluulosæ non negat fieri Ileum ex affectione intestinorum crassiorum. immo sup ponens fieri & in tenuibus, & in crassis intestinis, adinuicé ea comparans, censet eum, qui in crassis fit intestinis, illo, qui in tenuibus generatur, hac ratione deteriorem esse, quia hic contagio afficit & iecur, & lienem. hocq; facilè facere potest; quoniam, vt dixi, vtrunq; hoc mẽbrum contangit colon intestinum crassum, quod tenuibus nõ est datum, indeq; nõ ità facilè membra hæc in consensum trahere possunt, & hic locus Galeni animaduertatur, quoniam à multis perperam, & in contrario sensu intelligitur. Cum autem subiungit Galenus. Qui stercus si vomãt (aduertitur etiam hoc fieri) clarissimum sit signum tibi esse subtilia intestina affecta: si intel ligit semper hoc euenire ipsis intestinis tenuioribus primariò affectis, ex prædictis indicetur, an sibi cõstet, & rectè sen serit. si autem intelligat in vomitu stercoris semper affecta esse tenuiora intestina vel primariò, vel secũdariò tracta in cõsensum ab inferioribus intestinis, experientiæ, & veritati, & sibi ipsi cõsonus erit. Vidimus enim nos Iliacos, qui labo rantes hoc morbo propter fæces obstruentes vltra vigesimam secundam diem tantùm euomuerunt fæces. quod fieri nõ potuisset, si hæc affectio fuisset in tenuibus, quoniam tenuia non possunt tantam stercoris copiam continere per tot dies, & citius trahunt ventriculum in cõsensum, vnde fiunt postea vomitus cibi, potus, & aliarum rerum assumptarum. verum cum talis affectio fuerit ob retentionem fæcum in crassis, potuit tardari vomitus per tantum temporis, cùm crassa intestina magnam habeant capacitatem, & multam possint continere materiam, quibus etiam ad maiorem capacitatem coniunguntur tenuia, quę simul per aliquod tẽporis spatium aliqualem materiæ copiam cõtinere possunt; cuius

Ileos in crassis intestinis factus an sit deterior eo, qui in tenuibus est.

cuius ratione potest his vomitus per tantum temporis protrahi, quod fieri non potuisset, si in tenuioribus fuisset affectio. Quare si aliquando in Ileo, vt communis omnium est sententia, intestina tenuia sunt affecta, non est, quòd crassa etiam aliquando non afficiantur. Et si Galenus hoc in 6. Aphor. & 6. de loc. affect. semper tribuit intestinis tenuibus, hoc non ex propria, sed antiquorum medicorum sententia, & opinione, vt optimè consideranti patere potest, affirmauit. quam postea lib. 3. Epid. sect. 2. comm. 7. non acceptauit, clarè asserens, Ileum etiam in crassis fieri intestinis: cui etiam opinioni vltra ea, quæ nos vidimus, & notauimus, adstipulatur historia à Ioanne Famelio, quem ætas nostra, & venerari, & admirari debet, enarrata de eo, cui intestina ex copia pituitæ obstructa Ileon, & omnimodam fecũ retentionem induxerunt. hoc enim secto, inuentum est colon ipsum, non intestina tenuia, hac materia oppletum, & obstructum. Quapropter concludo in Ileo posse & tenuia, & crassa intestina affici, præcipueq; ex tenuioribus intestinum Ileum, ex crassis colon voluulum causare assero. Quibus autem signis adinuicem hi duo affectus distinguũtur, docet Galenus loco citato, dicens, hoc ex vomitionum assiduitate, & vehementia, & quòd potum continere non possunt, sed reddant, discerni. nam vbi intestina tenuia affligantur, vomitus crebriores, & vehementiores sunt, & potum continere non possunt. quoniam ab his facillimè ventriculus in consensum traducitur, citoq; materia ad locum affectum permeat. quem pertingens, & molæstans violento motu præter naturam concitato à virtute expultrice statim ad partes superiores retruditur. cum autem crassa intestina magis à ventriculo distent, longioriq; ductu assumpta ad locum affectum permeare, & ab eo remeare debeant, hinc vomitus in his nec sunt ita assidui, & frequẽtes, nec ita vehementes sunt, & potum aliquo modo cõtinere possunt. Cum autem addit Galenus adhuc magis ex eo, quòd nihil

Signa distinguentia iliũ in crassis ĩtestinis ab eo, qui est in tenuibus.

per aluum deijcitur, animaduertatur, quòd affectis intestinis superioribus infra locum affectum solent subsidere fæces, quæ in principio morbi spontè educi possunt, & si non spontè, arte saltem. at affectis crassioribus, parum quid subest, & inferiora magis cum loco affecto consentiunt. vndè quò ad excretionem alui consequitur hoc, quòd affectis crassioribus intestinis, omnibus excrementis citius, & validius, quàm affectis tenuibus, via præcluditur, in hisq; Ileis minus aluus, quàm in cæteris, deijcit. his habitis curationẽ aggredior. Si curandus proponatur Ileos ratione virtutis expultricis abolitæ ex intemperie frigida genitus, hic indicatur, vt omni ingenio calefaciamus, excretionemq; excrementorum retentorum prouocemus. quod licèt difficile sit, cum hæc affectio sit tanquam intestinorum paralysis, tamẽ si citò, & rectè pertractetur, poterit Medicus sanationem sperare. Calefacimus dupliciter vel per interius assumpta, vel per exterius applicata. per exterius hoc tentabimus cum inunctionibus ex oleo anethino, camomelino, rutaceo, laurino, costino, de piperibus, de castoreo, & similibus, cum fomentis factis in vino ex floribus camomeli, anethi, ex herbis, & seminibus odoratis, ex baccis lauri addita galanga, zedoaria, aristolochia, pyrethro, & huiuscemodi, cum balneis ex prædictis, & similibus decoctionibus paratis, vel ex oleo calido, in quibus patiens infundatur, cum emplastris ex herbis, radicibus, seminibus, oleis, & pinguedinibus calidioribus confectis, additis aromatibus: & si hęc non sufficiant, cum sinapi puatibus, & dropacibus, quos maximè in tali casu commendo. & præcipuè, vbi his admixta fuerint piper, sulfur, pyrethrum, & similia, in ea tamen moderatione, qua cutis non exuratur, & tale medicamenti genus tolerare possit. Interius exhibeantur ea, quæ vel per os assumuntur, vel per inferius infundũtur, & imponuntur; per os exhibeantur vina generosa, aromata, species ex his paratę, confectiones magnæ, aqua ardẽs vitæ dicta, vel simplex, vel

Ilei ratiõe abolitæ virtutis curatio.

vel in aqua aliqua admixta, seu infusa fuerint, castoreũ, olea calidiora, & pręcipuè aromatica, si ea ventriculus ferre possit. his omnibus addo, vt præcipuum remedium, vel decoctionem, vel infusionem in vino potenti factam, vel aquam in duplici vase paratam ex radicibus Rafani, quæ optimè potest calefacere, & penetrare. per inferius imponantur suppositoria notabilis longitudinis ex melle, addita galanga, castoreo, nigella, & similibus parata. Infundantur etiam clisteria, quæ componantur ex decoctionibus herbarum, florum, seminum calidiorum vnà cum oleis calefacientibus, quæ sola aliquando infundi possunt, admixto vel diaphinicone, vel Benedicta, vel aliquo eiusdem ordinis medicamẽto, quod simul posit educere, & calefacere, & hæc sæpius iterentur: quibus peractis, & pro maiori parte administratis, poterit medicus aliquod medicamentum soluens exhibere ad tentandam excremẽtorum alui euacuationem; quod, antequam calefaciat, non ita tutum est propinare. Ad quam eandem intentionem exhibeat etiã Medicus aquas thermales calidas, quę sulfureæ, & salsæ sunt. his enim non tantùm intestina calefacere, sed & expurgare potest, & non tantũ in potu conueniunt, sed etiam infusa maximè prodesse valent. quod cum ratio me docuerit, dum plurima antea incassum administrata forent, in nonnullis vsus sum Iliacis fęlici cum successu aqua nostri Balnei diui Christophori, ex qua pristinam sanitatem recuperarunt, dum eisdem per potum exhibita, & per sedem infusa fuisset. Vbi autem fuerit Ileos ex interclusione intestinorum, si ex scyrro, cancro, vel consimili tumore euenerit, non recipit curationem; quoniã res eò ducta est ex his, vt ars medica nihil polleat. hi enim affectus, dum ad omnimodam occlusionem intestinorum deueniunt, vel ex se curationem non admittunt, vel si admitterent, hoc diuturno tempore esset peragendũ. at morbus hic celeri indiget medicatione. Si verò ex inflammatione intestinorum fuerit Ileos, hic habemus morbum magnũ, *Ilei ex scyrro, cancro, & simili tumore cu ratio.*

Ilei ex Inflãmatione curatio.

& acutissimum, quare stantibus viribus statim secanda est interna brachij dextri vena, sanguisq; copiosè pro ratione habitus, temperaturæ, & cæli status educatur; repetaturq; venæ sectio, si morbus vrgeat. hoc facto statim ad remittendam inflammationem deueniendum est. quare adhibeãtur repellentia, refrigerantia, & quæ mitigare possunt. vnde inunctiones ex oleo rosato completo fiãt continuè in eo infusis pannis, & adhibitis: vel applicetur lana succida vino adstringẽti, & debiliori, præcipuè autem nigro, ac oleo rosaceo imbuta, quibus etiam parum quid aceti addi potest. formentur etiam emplastra ex plantagine, solatro, endiuia, portulaca, & similibus coctis: quibus contusis, earundem succi, & oleum rosaceum, & ouorum recentium lutea cruda admisceantur: aut mala cidonia in posca dilutiore cocta, oleoq; mellino, vel rosaceo cõmixta applicentur. his tepidioribus vtimur; quoniam inflammatio calidiora nõ tolerat, frigida autem actu intestina lędũt, nisi fuerit inflãmatio erysipelatis particeps. quo casu omnia subfrigida apponãtur in principio morbi. In augmento autẽ addantur nonnulla, quæ aliquã vim discussoriã, & lenientem habent. vnde inunctionibus addatur oleũ camomelinũ; emplastris, semina lini, fęnugræci, & camomelũ ipsum; & farina fabarũ, Vnde remedium Alexandri maximè prodesse potest, quod recipit ceræ vncias quinq;, olei camomelini vncias duas, & semis farinæ fabaceæ, olei rosacei singulorum vncias duas, & semis, lutea ouorum quinq;, aut sex mucilaginis seminũ lini, quod satis est ad formandum emplastrum; hoc ita paratur. Oua, & farina lenigantur, atq; tunc ceratum refrigeratum inijcitur, & omnia adinuicem subiguntur, quousque mixta omnia adinuicem fuerint, & in vnam formam coijsse videãntur. hoc potuit inflammationem remittere, aliqualiter discutere, & simul lenire. Interim per sedem in morbi principio infundantur clysmata ex cremore ptisanæ, oleo rosaceo, succo plantaginis, luteis ouorum recentium, & si-

milibus

milibus admixtis. quibus in progressu addatur oleum camomelinum, succus seminum lini, camomelæ decoctum, fœnugræci, & huiusmodi, hæcq; sæpius repetantur tum ad remittendam inflammationem in intestinis existentem, tū ad tentādam excrementorum euacuationem, & hoc præcipuè, vbi inflammata erant intestina inferiora. quo casu clisteria, & suppositoria acria damnanda sunt, quoniam augere inflā mationē possunt. Quòd si non admodum acria fuerint, inflammatis intestinis superioribus, & maximè in progressu morbi ad excludēda excremēta in inferioribus intestinis cō tenta, cōuenire possunt. Victus in his sit tenuis, & refrigerans, quare sola ptisana contenti sint, tum vt victu refrigeranti agamus, tum etiam ne copia alimenti, & excrementorum indè gignendorum grauetur, & exasperetur inflammatio, cui admisceri nōnunquam poterit pauca quantitas vini granatorum. abstineant à vino, & ab omnibus calefacientibus, præcipuè autem pharmaca soluentia, quorum vsum nō nulli in tali casu admittunt, omnia vitanda sunt, dum inflā matio viget. Vltra enim, quòd locum exasperare possunt pharmaca, & per eundem met materias peccantes educant (quæ duo mala in omni inflammatione vitāda sunt) hoc admonet Alexander in cura doloris colici ex inflammatione non esse agendum. quod idem præmonuerat Hippocrates lib. 4. reg. acut. tex. 22. in quacunq; inflammatione cauendum esse: & licèt sint vrgētia ratione retentionis excrementorum pondere, & acrimonia partem læsam irritantium, tamen maius nocumentum ex violenta inflammatione à pharmaco illata succedet, quàm iuuamentum ex irritatione eiusdem pharmaci, quod incassum renitente inflammatione tentabitur. quod tamen eadem declinante commendo; cum eo tempore & excrementa excludere, & inflammationem aliquo modo soluere possit, tuncq; omnia exteriora discutientia, lenientia tamen, sint, & clisteria acriuscula imponantur; perfusionesq; & infusiones, & insessus in decoctis, quæ

eiusdem inflammationis resolutionem præstare possint, administrentur, victusq; tunc augeatur, & vinum debile, & tenue exhibeatur. Fiant, dum viget morbus, omnia reuulsionum genera ad reuocandam materiam ab internis partibus, sicuti frictiones, ligaturæ dolorosæ, cucurbitulæ scarificatæ, & non scarificatæ artubus, non autem abdomini (vt nónnulli malè sensere, quoniam hinc attrahitur materia ad læsum membrum) applicitæ. balnea ex rebus potentialiter refrigerantibus, admixtis nonnullis discutientibus, actualiter autem calidis, ad partes extremas fiant, & huiuscemodi omnia, quæ à membro læso materiam traducere, & remouere queant. Quoniam autem hic dolores aliquando sunt vehementissimi, si ea, quę exterius applicantur, non proderunt, aliqua dolorem lenientia conuenient, sicuti nonnulla leuiter stupefacientia, quale erit lac feminum papaueris albi, diacodion; & ad summum philonium, quod, vbi vires languidæ forent, non admittatur; quoniam in periculum extinctionis caloris innati deducens ęgrotantem mortem acceleraret. Hæc autem curandi ratio integrè in omni intestinorum inflammatione seruetur, præterquā vbi venenū huius causa extiterit, quo casu venæ sectio omittatur, medicamentisq; exterius applicandis nonnulla, quæ vim veneno aduersantem habeant, admisceantur. interius autem alexipharmaca, & ea, quæ venenosam qualitatem propulsare, ac superare valeant, exhibeantur. Vbi verò contusio (sicuti ex prolapsione intestini in scrotum succedere consueuit) fuerit inflammationis causa, cęteris integrè seruatis, hoc addatur, quòd in remedijs localibus semper nonnulla lenientia, & aliqualiter concoquentia commisceantur. Si autem Ileos ex duro stercore intestina obstruente genitus sit, in hoc stercus emollire, & humectare debemus, vt postea medicamentis excrementa excludentibus cedere possit; vndè exterius perfusiones, irrigationes, fomenta, cataplasmata, insessus, balnea ex rebus emollientibus parabimus, inter quæ præcipuum

Ilei ex duro stercore curatio.

cipuum habeat locum olei balneū, ita ab omnibus antiquis celebratum. Interius conueniunt iura pinguia, oleum dulce, oleum amigdalarum dulcium, butirum, mucilagines altheę, maluarum, seminum lini, fęnugræci; ex quibus iisdē clisteria primò ad emolliendum parentur. quibus adhibitis postea succedant acria, & fęces dissoluentia, & euacuantia, in quorū cathalogo iterum numerabo ea, quæ ex aquis naturalibus parantur; quoniam ex his ego præcipuum vidi semper iuuamentum, impositisq; clisteribus, sicuti & non impositis, semper foueatur sedes per spōgias calidas aliquo ex prædictis liquore prius imbutas, postea quoquo pacto expressas. Quod si his non cedat morbus, propono remedium Hippocratis ab eo enarratum, & lib.3. de Morbis, & lib. de passionibus, seu affectionibus inscripto. hoc fit follis, per quem ad intra sedem immissum adeò inflentur intestina, vt à stercore ea disparentur. quo facto, statim iubet imponēdū esse clistere ad dissoluendas, & excludendas fęces, simulq; spongia sedem obturandam, & ægrum in balneo locandum esse. hanc eandem curandi rationem admittit Alexander in cura doloris colici ex stercoris duri obstructione, vbi non adsit inflammatio, quam tamen ego nec expertus sum, nec alios expertos fuisse audiui, præter Amatum Lusitanum, qui, si ei credendum est, semel hanc curandi rationem fęlici cum successu vsus est. hoc autem ego proposuisse volui, vt remedia antiqua considerentur, siq; placeant, in vsum reuocentur. Cum verò Ileos à pituita crassa, & viscida, obstruente intestina, curandus erit, in hoc calefacere, attenuare, incidere, abstergere, & ad excretionem materiam proritare debemus. quapropter veniant in hunc vsum, quæ iam dicta sunt in Ileo ab intemperie frigida. Sed præcipuè hic laudo Rafani decoctum, vel infusionem, vel aquam. laudo vinum potens, in quo aromata, & herbæ incidentes, & attenuantes vel ebullierint, vel infusæ steterint. præcipuè autem commendo vsum vini potentis, admixta aqua ardenti,

Follis per sedē immissus ad īflanda intestina in ileo à duro stercore.

Ilei à pituita curatio.

& melle rosaceo. quod si hæc non sufficiant, exhibeantur medicamenta magna, quæ pituitam dissiccare, & attenuare possint, sicuti oleum vitrioli Romani optimè parati ad drachmam semis cum vino generoso, quale est Cretense, et hibitum, vel ex eis compositionibus (quæ Elyxir vitæ ab his modernis nuncupantur) drachma vna cum eodem vini genere imperetur. Clisteria sint calefacientia, & eiusdem ordinis, qualia subscripta pharmaca, quibus admisceatur in decoctionibus faciendis pulpa colochyntidis, agaricus, centaurium minus, & cætera omnia, quæ pituitam calefacere, & trahere possunt, sicuti Benedicta, & Diaphœnicon. laudo autem præcipuè in hoc casu clysma ex vino potenti, cui prædicta pharmaca incocta, vel admixta fuerint, addita aqua ardenti ad vncias duas, vel parum plus. Et in hoc conueniunt etiam irrigationes, insessiones, & balnea ex rebus calefacientibus, & discutientibus, & emollientibus, inter quæ super summoperè extollendum venit balneum olei. Quibus factis, ex iisdemq; tentata materiæ præparatione, si natura sponte obstructionem euacuando non tollat, deueniendum est ad pharmacum soluens, materiam peccantem respiciens, hocq; sit validum; quoniam leuia à propria operatione vi obstructionis frustrarentur. Quod idem animaduerto agendum esse in Ileo ex duro stercore intestina occludente genito; vbi enim emollitæ fuerint feces, parataeq; ad excretioné, si clisteria non sufficiant, medicamentum validum exhibeatur, quod simul feces excludere, & obstructione intestina liberare poterit. In hoc vltimo Ileo victus sit attenuans, & parcus, & bibant ægrotantes vinum potens, clarũ, & subtilium partium.

De Adstrictione Ventriculi. Cap. XII.

Adstrictio vẽtriculi.

AFfectus ventriculi plures sunt, à quibus diuersimodè affliguntur ęgrotãtes, de quibus omnibus scribentes satis cumulatè agunt, vno excepto, cuius solus meminit Aetius

Lib.9.cap.13.

Aetius, qui est ventriculi adstrictio: quæ adstrictio licèt non sit perinde exitialis, ac ij affectus, de quibus iam egimus: tamẽ quia molesta est hæc affectio, sæpè solet accidere, & inducere Medicos in maximas hæsitationes; ideò quid sit hæc ventriculi adstrictio, & quæ ei debeatur curatio, exponam.

Cum ventriculus laborat in coctione, necessariò plurimæ fiunt euaporationes. quòd si contingat ventriculum tũ quò ad meatum superiorem, tum quò ad inferiorem ita adstrictum esse, vt nec flatus, nec vapores ad extra possint erumpere, nihilq; extra corpus ob cutis adstrictionem, vel exsiccationem euaporare queat, tunc fit accensio horum vaporum, incalescuntq; hi adeò, vt vniuersum corpus æstuet, præcipuè autem pedũ, & manuum extremitates, vnde frigiditatem quærunt, & facies rubescit, pulsus mutatur in densitatẽ, & vt, vnico verbo rem expediã, præbent sensum febris, multiq;, qui hanc affectionem vel non animaduertunt, vel ignorant, patientes febricitare suspicantur. hæc affectio vt plurimum gignitur in aridis naturis, & condensatam carnẽ habentibus, soletq; sæpè conualescentibus accidere; quia in his solet esse exsiccatio cutis, vndè nihil potest euaporare: hoc Medici sępè affirmant ratione iecoris fieri: quod tamen non semper est asserendum, cum, vt iam dictũ est, hoc etiam fiat ratione ventriculi superius enarrato modo affecti, quæ affectio, celebrata coctione, & descendẽte cibo per se multoties solet quiescere. causa huius affectionis primò est imbecillitas ventriculi, secundò est adstrictio cutis: ventriculus debilis facit plurimas euaporationes, cutis autem nihil admittit exhalare; vndè detinentur spiritus, qui deindè accenduntur, & prædicta symptomata inducunt. *Causa.*

His positis clarè patet, quid à medico agendum sit pro curatione huius affectus: nam cum huius duæ sint causæ, scilicet ventriculi imbecillitas, & cutis adstrictio, non existente in hoc morbo vrgentia, causis attendendum est. qua de re debemus remouere ventriculi imbecillitatem, quæ vt pluri- *Indicationes.* *Curatio.*

mum fit ratione intemperiei frigidæ. pręterea est laxanda, & humectanda cutis: roborato ventriculo paucissimæ fient vaporationes, laxata autem, & humectata cutis genitas vaporationes admittere, ęasq; facilè discutere poterit. Pro tollenda intemperie ventriculi; frigida agenda esse, omnes scribentes docent: pro laxanda autem, & humectanda cuti præstantissimum erit balneum aquæ dulcis. ad idem faciét frictiones mediocres, inunctiones ex oleo camomelino, vel ex oleo amigdalarum dulcium. victus non sit excrementosus, nec ex edulijs difficilis coctionis, nec plurimus vnica vice exhibeatur, nò ab eo vlla ex occasione grauetur, & indè laboret ventriculus. potus sit mediocris tum quò ad quantitatem, tum quò ad vini generositatem. hæc est vera huius affectus curatio, quæ satis distat à cura Aetij. Aetius enim, quasi in hoc affectu sit magna vrgentia, attendit symptomati, non causæ: vndè in principio affectionis & constrictionibus, & ligaturis, & frictionibus, & compressionibus partium extremarum tentat retractionem caloris ad exteriora, vt calor naturalis non agens in nutrimentum nō faciat tantas euaporationes. ante augmentum autem, habita totius corporis cura, tentat carnem mollem, & humectā reddere, ad hocq; vtitur frictione olei cum nitro: quod remedium apud me suspectum est, cum nitrum oleo mixtum exsiccationem, non humectationem inducat. Vigore autem pręterito, & inclinante morbo, iubet infundi manus, & pedes in aqua, ad hoc, vt vaporationes ad cutim discutiantur. quo tempore laudat etiam balneum ante cibum, pluribusq; iuuamentum hoc præstitisse testatur. quę tota curatio, licèt conferre possit, tamen cum in hoc morbo non tanta sit vrgentia, vt medicum à recta curandi ratione distrahere debeat, dimittatur, causisq; incumbendo vera methodo affectus hic tollatur.

Curatio Aetij.

De Cholera ficca. Cap. XIII.

CHolera eſt duplex, altera humida, cuius curationem ſatis diffuſè omnes ſcribentes docent, altera ſicca, de qua tantùm Hippocrates lib. 4. reg. acut. à 104. tex. vſque ad 109. In vtriſq; eſt expulſio materierum per ſuperiora, & per inferiora. ſed in humida educuntur humores, & liquidi ſucci: at in ſicca nihil humidi expellitur, ſed tantùm ſpiritus flatuoſus acris tum per ventriculum, tum per inteſtina excernitur. illa eſt acuta, & periculoſiſſima affectio; hæc autem, licèt non ità diſcriminis ſit plena, tamen moleſtiſsima eſt, & valdè ægrotantes angit. vndè, ſicuti illa nequaquam eſt ignoranda à medico, ſimiliter & hæc nón eſt negligenda. qua de re propoſita eſſentia, cauſis, & ſignis, huius curationem etiam explicabo. Arida cholera eſt affectio genita à ſpiritu flatuoſo acri, qui & per ſuperiora, & per inferiora excernitur, quiq; cum ſit acris, & partes internas, in quibus genitus eſt, mordet, & eas, per quas in eductione pertranſit, exaſperat, & affligit. Vndè ſequitur, quòd in hoc affectu vēter propter ſpiritum infletur, & quòd partes propè ventrem neruoſæ, ſicuti latera, & lumbi, ob acrimoniam mordeantur, à flatuq; illo contento, ex quo aliquando diſcurrente fit ſtrepitus, intendantur, hincq; dolorem patiantur. quod idem in excretione huius ſpiritus flatuoſi, & acris euenit. nam extramiſſus & partes inferiores mordet, ac exaſperat, & ſuperiores, cū præcipuè os ventriculi ſit valde ſenſitiuū, admodū ob eius acrimoniā affligit. qua de re & ſi retinetur, ſiue educatur hic ſpiritus, valdè molæſtus eſt, in hacq; affectione aluus nihil liquidi deijcit, cū retineatur materia, à qua illi ſpiritus acres eleuantur, ſed adſtringitur. quapropter concludens dico, Aridā, ſeu ſiccam choleram eſſe effectum, in quo inflato ventre, & obſtrepente cum dolore laterum, & lumborum, nihilq; aluo deijciente, excernitur per ſuperiora, & per inferiora ſpiritus acris admodum molæſtus.

Cholera duplex, & earū differentiæ.

Cholera ſicca quid ſit, & eius cauſa.

Huius

Acris spiritus geniti in cholera causa

Huius spiritus acris causa quærenda est, quoniam hoc habito, causas siccæ cholerę habebimus. Acres vapores, & spiritus in corpore humano duplici de causa generantur .s. vel ratione vētriculi, vel ratione assumptorū. ratione vētriculi fiūt, cū ventriculus cibaria, licèt in his non sit peccatū, corrū pit, & ita corrumpit, vt ea conuertat in acerrimos vapores, quod nō alia fit ex causa, quàm propter eiusdem igneum calorem. quare igneus calor ventriculi erit altera causa cholerae siccæ. ratione autem assumptorum fiunt hi acres spiritus, cum in alimentū sumuntur cibaria acria, & flatuosa, seu quæ nidorulentam, & fumosam habent qualitatem, qui nidor in materia semiusta, & acri fundatur, sicuti sunt cępe, rafanus comestilis, & cęterę radices acriores, eruca, caro nimiū tosta, & assata, oua, & cætera in sartaginę nimium frixa, & cætera, quæ consimilis sunt qualitatis. hæc autem ingesta, vbi corrumpuntur, acerrimos procreant vapores, & sunt in cā choleræ siccæ. causis habitis, ad signa deueniendum. Signa pręsentis cholerę de se patent, cōsideratis his, quæ pro eius essentia explicanda superius declarata sunt. signa autē differentiarum à causis (quoniam considerandum est, an sit vitio vel ventriculi, vel assumptorum) habebimus, si percunctabimur, quali victus genere vsus sit ęgrotās. si enim optimò vsus est, iudicabimus hoc factum esse ratione ventriculi, in quo igneus vigeat calor. si autem cibaria praua assumpserit, ratione assumptorum coniectare poterimus factam esse choleram: quòd si ambæ concurrent causæ, vtrarumq; etiā indicia aderunt. his præmissis curationē aggredior. In hac cholera, quæ contristant, sunt flatus, & vapores acres; ergo his incumbere debemus, vt affectionem hanc remoueamus: quæ rēmouebitur, si hi flatus vel educantur, vel tēperentur, quod præcipuè fiet educta, vel temperata materia, à qua hi vapores eleuantur. temperabimus autem, si vel contemperantia adhibeamus, vel materiam, vndè generantur hi vapores, concoquamus, vel si eandem temperare, & concoquere

re non possumus,educamus: quare primò debemus tentare, an hi flatus, & hęc materia posit retundi, & temperari. quod si non detur,ipsam debemus euacuare. Hoc non erit difficile Medico perficere, cum in hac cholera non sit nec acuteis,nec discrimē illud,quod est in humida,& cum facile sit hos flatus, & has materias vel contemperare, vel à corpore educere, vbi recta methodo agatur, & non ea communi ratione, qua vtuntur vulgares Medici,qui in omni genere flatus semper eadem remedia calidiora administrare consueuere. recta autē agęt ratione Medicus, si ea,quæ docet Hippocrates pro curatione huius affectus, attendat.hic autē & pro discussione,& retusione, & eductione tū flatuū, tū materierū acrium ita plura præcipiēdo procedit. Primò, quoniā supponit materiam in intestinis contineri, parumq; eius existere in ventriculo,prohibet vomitum, & præcipuè cum materia peccans sit materia arida,& quæ facilè nō educitur per vomitum, & quæ, si educeretur, in transitu maximè mordere os ventriculi posset. Secundò iubet subduci ventrem oleo plurimo calido,& pingui. hinc duorum alterum habebimus; nam vel retundetur, & lenietur morsus, & acrimonia, vel subducetur materia, & flatus peccans. Tertiò ordinat Hippocrates balneum, & perfusionem olei, & aquę dulcis:quod facit ad concoctionem, & contemperantiam,& discusionem vaporum acrium. Quartò imperat somnum, & dormiendum esse. quod maximè conferre poterit ad coctionem concentrato calore,& pręcipuè cum somnus omnibus cruditatibus maximo esse remedio consueuerit. Quintò vinum tunc antiquum, & meracius exhibendum esse,proponit. quod vinum,& ad discusionem flatuum,& ad materiæ coctionem facere poterit. Sextò præcipit perseuerante affectione, propinandum esse oleum per os: quod cum supponat dulce esse, & pingue, facit ad siccitatem emendandam, ad acrium retusionē, & ad alui subductionem. Septimò, vt coctio faciliùs procuretur, iubet abstinen

Prognosticū.

Curatio secundū Hipp.

abstinendum esse à cibo, & ab omni motu. nam cum coctionem desideramus, cruda non sunt superingerenda. quiescereq; debemus, cum quies, si quid aliud, ad coctionem faciat. Vltimò alijs non conferentibus euacuandam esse materiam peccantem docet, & ad hoc exhibet lac asinæ. quod omnibus cæteris medicamentis in casu isto præfert; quoniam ex lacte maiorem, quàm ex prædictis, acrium temperantiam sperat, cum hoc, quod simul & euacuet, & refrigeret. hacq; via, & propositis auxilijs credit Hippocrates choleram siccam curari, & tolli posse. In qua arida cholera nonnunquam corruptio materierum acrium talis est, vt febrem accendat; & tunc fit febris diaria ex cruditate nidorosa. quam febrem curare docet Galenus lib. 8. Methodi cap. 5. in quo loco ponit curationem febris ex ea cruditate, in qua cibi in nidorulentam qualitatem conuertuntur. Vbi distinguit, quòd fit hæc febris ex tali cruditate, vel fluẽte aluo, vel non. posita primò cura quando fluit, secundò declarat, quomodo sit curanda ea, in qua non fluit aluus. qui est casus præsentis cholerę siccæ. Vnde ait primò considerandum esse, án cibus in gracile intestinum, vel in colon descenderit. quod habebitur ex pertractatis præcordijs, & ventre, & interrogato ægro, in qua parte morsum, vel grauitatem sentiat, & quos habeat ructus. Si in intestina tenuia tantùm descendisse deprehendatur alimentum, iubet diatrion piperion exhibẽdum esse, & præcordia, ventremq; perfundendum esse, quæ perfusio, & tempore diuturnior, & quantitate copiosior semper esse debet in his, in quibus alimẽtũ corruptũ est in superioribus, quàm in his, in quibus est in inferioribus intestinis. Ad quæ inferiora intestina si descẽdisse deprehẽdatur hęc materia corrupta, educenda erit vel glande supposita, vel clistere leui iniecto, hac habita distinctione, quòd ratione morsus, mitigantia, ratione flatus discutientia infundantur; si neutrum adsit, simplici & molli clysmate agatur. Vacuata aluo, monet statim nutriendum

Febris diaria ex cruditate nidorosa, qui est casus choleræ siccæ, curatio secundùm Galenum.

triendum ægrum cibo contemperanti, & leui, ficuti ptisana, alica, testiculis pullorum gallinaceorum, piscibus saxatilibus albo iure paratis, & similibus. quibus peractis, si planè desijt febris, balneum concedit: quòd si ea in totum non quiescat, sed quid febrile remanserit, etiam vsque ad secundam, & tertiam diem eodẽ genere victus vti præcipit. post quas similiter, cessante omninò febre, balneum admittit, & hæc est curandi ratio à Galeno tradita, quæ non multum distat ab ea, quam proposuerat Hippocrates. Verùm quoniam ex vtrisq; credo ego perfectam aridę choleræ curationem haberi posse, vt res integra habeatur, nonnullaq; discrimina tollãtur, rem ad actum practicum deducens, ita ego curationem explicabo. In casu isto intentio est contristantium euacuatio. quæ contristant, sunt flatus, & vapores acres, qui eleuantur à materia consimili corrupta, & genita vel ratione assumptorum, vel ratione ventriculi; quorũ euacuatio si haberi non posſit, saltem per contemperantia eorum morsus, & acrimonia retundatur; quare pro his intentionibus imponatur primò (supposito quòd materia ad inferiora extra ventriculum descenderit) clystere ex puro oleo admodum dulci, vel ex oleo seminum lini, vel ex camomelino, in quibus pro retundenda acrimonia aliquid pinguedinis anserinæ, vel pullinæ liquare possumus. quòd si magis flatus extensione, & multitudine, quàm acrimonia, infestent, in his oleis concoquantur semina odorata, & alia, quæ possunt flatus discutere, vel ex eisdem decoctiones parentur, quibus pro clysmate addantur olea, & pinguedines prædictæ. Inungatur etiam, & profundatur ventriculus, ac præcordia, & maximè vbi hæc affectio ratione assumptorum contigerit, oleo nardino, spicato, de absinthio, masthichino, & similibus. quòd si non ratione assumptorum, sed ventriculi vitio hoc factum sit, inungatis ventriculum, & prædictas partes oleo mellino, vel rosaceo cõpleto. quòd si adsit incendium, in ventriculoq; plurimum abundet

Choleræ siccæ curatio absoluta.

abundet ignei caloris, poſſumus eum perfundere omphacio, quod à Galeno lib. 4. de ſimpl. med. fac. cap. 3. & cap. 12. ad æſtuantia hypochondria celebratur. poſſumus etiam ad idem parare emplaſtra ex pulpa thamarindorum, vel ex carne citoniorum, additis roſis rubeis, ſandaſis, hypochiſtide, ænanthe, balauſtijs, farinaq; hordei, quæ omnia miſceantur, & impinguentur oleo mellino, & roſaceo: quòd ſi his actis, dolor, & morſus perſeueret, cogitandū eſt de remedio, quod ſimul poſsit euacuare, & contemperare; tale poterit eſſe oleum dulciſsimum epotum ab Hippocrate lib. 4. reg. acut. propoſitum, & à Galeno lib. 2. de ſimpl. med. fac. cap. 13. celebratum, ad cuius conformitatem oleum amigdalarum dulcium maximè probatur, & conſimiliter oleum ſeminum lini recens, quod valentius omnibus poteſt & euacuare, & diſcutere flatus. Quo oleo exhibito, ſi non cedat affectio, flatusq; abundent, ex Hippocrate ad diſcuſsionem, & coctionē vinum tenue, antiquum, & merum; ex Galeno autem diatrion piperion exhibebimus, hocque intelligatur, niſi ſummum adſit incendium; & hæc eſt mens Galeni, qui ſemper æſtuante ventriculo, & præcordijs, vt docet in curatione cruditatis nidoroſæ, in qua fluit aluus, calida abhorrens ad refrigerantia recurrit. quare non eſt, quòd in hoc reprehendatur ab Alexandro, ſicuti & in perfuſione ventriculi; quoniam vbi ſit ventriculi intemperies calida, in eoq; igneus abundet calor, refrigerantia adminiſtranda eſſe iubet: at vbi hoc non adſit, ſed facta fuerit corruptio iſta ratione aſſumptorū, calida exterius, & interius, tum ad diſcuſsionem, tum ad coctionem procurandam conueniunt. cuius ratione etiam Hippocrates merum imperat, quod, vbi adeſſet incendium, omnino cauendum eſſet. His non conferentibus, pharmaco hęc materia educenda erit. ad quam intentionem exhibet Hippocrates lac aſininū, quod ſimul poteſt tēperare & euacuare. ſed cum nos non habeamus in vſu tale medicamenti genus, ſi in vſum idem reuocare

Diatrion piperion an conueniat in febre diaria ex cruditate nidoroſa.

care non volumus, aliquid simile exhibeamus, quod vnà euacuet, & acrimoniam vaporum retundere possit; cuiusce modi erit Cassia, quæ in simili casu mihi maximè probatur: verùm ne ex hac lædatur ventriculus, flatusuè exacerbentur, admiscerem parum hyeræ, & ad leniendas simul vias adderem nonnihil succi liquiritiæ. Vacuato autem corpore, nullaq; præsente febrili accessione, si non quiesceret in totum affectio hæc, balneum valde probarem, & inunctionem totius corporis, per quæ contemperantiam acrium vaporum, & vnà digestionem sperarem. Interim victu contemperante vtantur, sicuti ptisana, lacte, chondro, ouis sorbilibus, testiculis pullorum, piscibus saxatilibus, & quæ huiusce sunt ordinis. Vinum à principio vitent, quod postea conuenit in declinatione, & vrgentibus flatibus, vbi non sit incendium. quiescant ab omni motu. somnum quærant, & omnia acria, frixa, assata, & nidorosa fugiant.

De ea lotij suppressione, in qua non descendit vrina in vesica. Cap. XIIII.

SVpprimitur duplici ratione lotium, aliàs plena, aliàs vacua existente vesica. cum plena est, appellatur hic affectus à Græcis proprio nomine Ischuria. cuius causas, & curationes disfusissimè omnes scribentes explicarunt. cum autem est vacua, suppresio quidem est dicenda, non tamen Ischuria, cum in hac vesica non sit affecta. cuius suppressionis tractationem omnes ferè authores intactam reliquerunt, paucissimi autem vix attigerunt, quæ tamen affectio à medico nequaquã negligenda, nec ignoranda est, cũ hinc plurima mala symptomata, & sæpenumerò mors ineuitabiliter succedere consueuerit. Hanc ego explicaturus, & eius causas primò exponam, deinceps harum causarum signis enarratis, ad curationẽ descendam. Suppressio hæc vel vitio pororum vritirum, vel renum, vel venarum emulgentium causari potest. Ratione pororum vritirum hoc contin- *Suppressionis lotij causa.* *Suppressionis lotij rõe pororum causæ.*

V git

git ipsis vel conniuentibus, vel obstructis. conniuent propter aliquam collectionem in ipsis factam, sicuti vel propter inflammationem, vel scyrrum, vel quempiam similem tumorem. obstruuntur autem vel à calculo, vel à sanguinis grumo, vel à crassiori pure, vel à viscida, & crassa pituita.

Supressionis lotij ratione renum causæ.

Ratione renum hoc euenit, vel deperdita renum actione cuius meritò à venis emulgentibus attrahere non possunt. quod erit ratione intemperiei ipsorum renum validę, quæ intęperies solet esse frigida. ab hac præcipuè enim oẽs virtutes labefactantur, & deperdũtur vel ipsis obstructis. obstruũtur autem potissimum à calculo in ventriculis earum existẽte, vel à copia arenularum mixtarum cum mucosa, & viscida pituita.

Supressiones lotij rõe venarum emulgẽtiũ causæ.

Ratione venarum emulgentium hoc contingere vtplurimum consueuit, cum obstruuntur; obstruuntur autem præcipuè à pituita crassiori, & viscida, ac tenaci. credo etiam posse obstrui à pure crasso, quemadmodum & ab eodem sępe obstruitur vesicæ collum, hoc tamen ita frequẽter apparet. possumus etiam imaginari ipsis conniuentibus ob aliquam collectionem hunc eundem affectum gigni posse: tamen cum non ita experimento hoc compertum sit, non ita hoc pro confesso assero. cuiuscemodi certè affirmo hoc sępe contingere obstructionis eorum merito. Hæc de causis,

Signa rõe pororum vritirũ.

signa hęc erunt. Si suppressio fiat conniuentibus meatibus vrinarijs ob inflãmationem, vel aliquam aliam similem phlegmonosam dispositionem, aderit dolor in partibus illis. qui dolor causatur quidem principaliter ab affectu ipso, sed exacerbatur etiam ab acrimonia vrinæ eò permeantis. & si patiens lotium habuerit calidius, & acrius, dolores erunt ex eiusdem locij acrimonia, locos inflammatos mordicante, sæuiores. aderit & febris simul, & cum his erit grauitas circa lumborum, & renum regionem, his lotio, quod permeare ad partes non potest inferiores, repletis existentibus. hicq; affectus solet vtplurimum habere causas præcedentes, & citò generatur. si autem hoc fuerit ratione scyrri,

præcessit

præcesſit alter affectus in partibus illis, à quo potuit succedere scyrrus ille: vel si ex materia eò collabente, & collecta factus est, paulatim generatus erit, nec dolor, aut febris eum concomitabitur; superueniet tamen & grauitas in renum regione, & circa lumbos ob retentum, & grauans in illis locis lotium. Si autem hi meatus obstructi fuerint, si à calculo, calculi aderunt propria signa, & dolor aderit sæuisſimus, & hoc maximè, vbi calculi non leues, sed asperi existent vnà cum grauitate prædictarum partium: nec in hoc ratione affectus vlla aderit febris, quæ tamen ratione exacerbationis dolorum, alteratis spiritibus, ac humoribus ipsis, sępe in his casibus succedere solet. Si à sanguinis grumo, lotium omninò pręcesſit sanguinolentum, hocque factum erit vel ratione casus, vel longę, seu validę equitationis, ac agitationis, vel percusſionis, vel vulneris: aut his non præexistẽtibus, ratiõe vel plenitudinis, vel acrimoniæ, vel tenuitatis, & superfluę caliditatis sanguinis aperientis superiora vasa. Si à pure, pręcesſit abscessus vel in renibus, vel in hepate, vel in alijs partibus superioribus, quo difrupto, lotiũ purulentum apparuit, fluente autem crasſiori, facta est obstructio. Si à pituita crassa, & viscida, non est dolor in parte læsa, non adest febris, apparent inditia abundantis pituitæ, & cõfestim facta est ista suppresſio, quam semper concomitatur grauitas in renibus, & lumbis. Si verò fuerit hæc suppresſiò vitio renum, vbi earum actio fuerit deperdita, apparebunt signa intemperiei frigidæ ipsorum renum, quæ per plures dies (nam intemperies subitò introduci non potest) pręcesſit, cuius signa erunt, vrinæ albedo præcedens, paucitas desiderij Veneris, languiditas earum partium, læsio à refrigerantibus; & infrigidantium forsan præcesſit occasio, sicuti aquæ frigidæ potus, eiusdem balneum, infrigidantia his partibus intempestiuè, & sine ratione adhibita, & quę huius sunt qualitatis, & similia, & ab hac causa non affatim, nec subitò supprimitur lotium; quoniam intemperies subi-

Signa ratione renum.

tò introduci non poteſt, ſed paulatim aucta eſt in cauſa, vt paulatim etiam earum actio deperdatur, cuius meritò fit, vt lotium continuè in quantitate imminuatur, non validè attrahentibus à venis, & vaſibus lotium deferentibus renibus ipſis. cum autem ad ſummum peruenerit, tunc omninò deperdita actione, nihil attrahitur, & inde ſeroſa ſanguinis pars ſupra renes ipſos retinetur. Vbi autem fuerint obſtructi renes. ſi à calculo, ſigna calculi præceſſere, & in his eſt ſenſus grauitatis, nullus tamen eſt dolor. dum enim lapides in uentriculis renum continentur, nec indè exturbantur, nullum inferunt, vt experientia compertum eſt, dolorē. Si autē ab arenoſa, & mucoſa materia ſimul mixta fiat hic affectus, earumdem præceſſere inditia, & aderit grauitas notabilis, & aliqui ſuccedent dolores, conuerſa aliquādo in flatus portione materiei viſcidæ, & mucoſę, ſed dolores hi non erunt nec graues, nec ſæui, nec continui. Si fiat autē ſuppreſsio ratione venarum emulgentium, vbi fuerit ab obſtructione. Si à pituita, obſtructio hæc confeſtim eſt facta. adſunt ſigna abundantis pituitæ; nullus eſt dolor, nec vlla adeſt grauitas in renibus. & hæc eſt ſignum peculiare, & certiſsimum, quòd retineatur ſanguinis ſeroſitas ſupra renes. Vbi enim vel ratione renum, vel pororum vritirum fiat confeſtim hæc ſuppreſſio, ſemper circa renes, & lumbos eſt grauitas; cum autem vitiò venarum emulgentium hoc contigerit, nullus grauitatis ſenſus, nec minimus quidē apparet. Quod idem verificatur, ſi a pure obſtruantur. cuius eadem aderunt ſigna, quæ in ſignis obſtructionis pororum vritirum à pure factæ relata ſunt. ſi autem conniueant propter aliquem tumorem, quod experimento non ita liquet, aderunt, excepta grauitate renum, eadem ſigna, quæ dicta ſunt in ſuppreſsione ex conniuentia pororum vritirum cauſata. His omnibus autem commune eſt, vt vtraque vaſa, ſcilicet & dextera, & ſiniſtra pariter afficiantur. Vbi enim altera pars illæſa eſſet, nunquam lotium in totum retineretur,

Signa ratione venarū emulgentium.

tur, altera fungente munere suo, per quod ad vesicam descendere vrina posset. Vbi autem vrina ad vesicam non descendat, rationeq; prædictarum causarum retineatur, Medicus omni vtatur diligentia, solicitusq; admodum sit in remouenda causa. hinc enim celeri indigent ægrotantes auxilio; quoniam si per plures dies retineatur lotium, ineuitabiliter pereunt. & hoc quoniam retenta illa serositate ad intra venas, & commixta sanguini, totalis humorum moles putrescit, & febres continuas, & prauas generat. hunc autem terminũ ego obseruaui, vt, si ante septimam mingant, saluentur. si vltra, licèt deinceps remoueatur causa, & lotium prouocetur, tamen accensa febre vtplurimum postea eos perijsse, animaduerti: quare non negligat hoc symptoma Medicus, licèt nec vllo dolore, nec vlla molestia hinc aliquãdo affligãtur patientes, sed sit solicitus, & sagax, omniq; industria vtẽs, citò, & quamprimùm vocatus fuerit, causis intendens, vrinæ retentionem hac describenda methodo inhibeat. Si fuerit suppresio ratione conniuentiæ pororum vriterum ob aliquam phlegmonosam dispositionem, lenita aluo per cassiam, quæ præcipuè in vsum veniat in affectibus membrorum vrinę deseruientium, statim secetur vena. sanguinis quãtitas sit pro ratione habitus, & plenitudinis, posteà loci patientes inungãtur oleis refrigerantibus, & laxantibus, quale pręcipuè est violaceum, & ijsdem sæpius perfundantur. epithimentur etiam ex aquis refrigerantibus, addita portiuncula aceti ad penetrationem, & quibusdam speciebus eadem facultate donatis, quales sunt illæ, quæ parãtur pro vnguento sandalino. possunt formari emplastra ex herbis eiusdem facultatis, sicuti endiuia, sonco, plantaginę, solatro, lactuca, semperuiuo, & huiuscemodi, additis earundẽ succis, & farinis cõsimilibus, quæ impinguentur oleis prædictis. & nisi ex his cedat inflãmatio, laudo, vt etiam secentur, his præmissis, venæ inferiores. vitẽtur interim omnia diuretica, & præcipuè in morbi principio: quorum ta-

Prognostica.

Curatio ratione pororũ vriterum.

men postea erit vsus, lenita inflammatione, & ex diureticis assumantur ea, quæ humiditate addita, & frigida existentia possunt & demulcere, & prouocare lotium, qualia erunt semina communia, sępiusq; infundantur clysmata refrigerãtia, & lenientia vel ex ptisana, vel ex lacte, vel ex decocto herbarum refrigerantium, quibus earundẽ succi, olea refrigerantia, & quæ huiusce sunt facultatis, commisceantur; mitescente autem inflammatione, admisceantur refrigerantibus aliqua leniter discutientia, & laxantia, sicuti inunctioni oleum camomelinũ, & oleum de scorpionibus. epithemati aquæ aliquæ leniter calefacientes, additis speciebus diarrhodon, quæ minus, quã prędictæ, refrigerare possunt, & spica, & squinanto, & similibus: emplastro autem flores camomeli, farina seminum lini, & quæ huiusce sunt classis; in declinatione autem sint purè discutientia. Reuulsiones continuæ interim fiant ad corporis extremas partes cum frictionibus, ligaturis, cucurbitulis scarificatis, & non scarificatis: quæ nunq; circa patientes locos applicentur, nisi in manifesta inflammationis declinatione, quo tempore supra locum affectum appositæ affectum ipsum discutiendo multum prodesse poterunt. Victus sit eius qualitatis, qua in internis inflãmationibus indigemus. Si autẽ conniueant ratione scyrri, purgãdo corpus, emollientibus agendum erit, & curatione scyrri tractãdi sunt, cuius tamen, si vnquam fiat, sanatio erit impossibilis, cum vrgentia excernendi lotij valdè instet, induciasq; non sit datura, scyrri autem curatio sit admodum longa. in qua tamen ad laxandum non prætermittatur balneum olei dulcis. Si autem hi meatus à calculo fuerint obstructi, hic veniant in vsu omnia, quę ad curationem calculi à scriptoribus referuntur, præcipuè autem laxantia administrentur, quale est olei dulcis balneum, vel ex decoctionibus herbarum idem pręstantium præparatum. Si autẽ hoc sit vitio grumorum, firmetur sanguis, & ea, quæ grumos dissoluere apta sunt, administrentur. Si verò hoc sit factũ à

pure

pure crassiori, abstergentia exhibeantur vnà cum incidentibus, exterius autem laxantia administrentur. Si hoc fuerit factum à pituita viscida, & crassa, hic assumantur ea, quæ dicam agenda esse in obstructione venarum emulgentium ab eadem materia genita. At cum causabitur hæc suppresio ex deperdita renum actione, hic earum frigida intemperies tollēda erit, quam difficillimum erit remouere, quoniam ad hunc gradum producta est tanquam intemperies in habitu redacta. Hæc autem præcipuè clysteribus ex calefacientibus medicamentis paratis erit remouenda, ad quam eandē intentionem exhiberi possunt aromata, pulueres ex his paratæ, species compositæ, confectiones aromaticæ, & etiam aliquando confectiones magnæ. quibus semper admiscean tur nonnulla, quę hæc medicamenta ad vias lotij deducere queāt. exterius autem administrentur epithemata, inunctiones, linimenta, & emplastra calefacientia; & vbi res vrgeat, etiam ad sinapismata, & dropaces ascenderem. in his enim omnia tentanda sunt, quoniam hic est casus paralysi consimilis. Vbi autem vel à calculo, vel ab arenis sint obstructi renes, in hunc casum, & curatio calculi, & hærenularum traducatur, quęrendo simul harum partium laxationem, & exhibendo ea, quæ renes mundificare, abstergere, & exobstruere, & ad expulsionem proritare possunt. inter quæ pro tollenda horum renum obstructione non dimittātur plantaginis radices, nec eius semina, quæ ad hoc efficaciora sunt, sicuti & asparagus, & pæonia, & alia huiusce qualitatis.

Curatio ratione renum.

Cum verò ratione venarum emulgentium non descenderit lotium ad partes inferiores, nec serosa sanguinis pars ad renes attrahatur ex earum impedimento, & lęsione; si fuerit ratione conniuentiæ harum venarum, fiant ea, quæ dicta sunt in conniuentia pororū vritirum. Si verò fuerit ratione obstructionis, vbi hoc cōtigerit à materia frigida, & crassa obstruēte, statim, nihil contra indicante, exhibeatur medicamentum, quod pituitam purgare queat: quo exhibito,

Curatio ratione venarum emulgentium.

& minorata materia, statim accedat Medicus ad ea, quæ validè incidere possunt. quorum licèt plurima sit sylua, tamen non omnia hæc, cum quibuscunq; ex antiquorum monumentis patere posint, recensebo, sed tantùm ea, quæ mihi, & vsu, & experientia comprobata sunt. Hæc autem erunt ista, iubeo ego aquas stillatitias, vt subtiliorum partium sit medicamentum, per Balneum Mariæ factas parari, quæ quinquies, & sexcies super easdem fęces distillentur, & vltima vice adeò violenter educantur, vt fęces, quantum fieri poterit, siccatæ remaneant. fęcum habeo vsum aliquando in puluere; sed aquam in potu exhibeo cum fęlicissimo successu. in hunc vsum assumo parietariam, ononidē, asparagum, solatrum, alchencheri, adiantum, elenium, pulegium, rutam, & alia similia; & si timeam hæc debilia esse, ascendo ad aquam Rafani eodem modo paratam, à qua nūquam frustratus sum, spe concepta, si citò, & continuè administretur. In huius defectu, necessitate vrgente, veniant in vsum cantharides integræ ad granum vnum, vel ad summū duo, exhibitæ vnà cum scrupulo vno seminum dauci Eretensis, & scrupulo dimidio seminis ameos, quod solet esse antidotus propria, & remedium potens ad defendendam vesicam à læsione cantharidum. Et quamuis ex hoc medicamento periclitemur de lædenda vesica, non tamen ab hoc remedio abstinendum erit; cum in casu desperato omnia temerè sint agenda, & ea maximè, quæ cum ratione administranda veniunt, quales sunt cantharides in casu isto: quæ, vt docebat Galenus lib. 4. de simpl. med. facul. cap. 19. cōmixtæ medicamētis vrinam cientibus ex veneno transeunt in antidoti naturā, vbi parcè, & in minima quantitate exhibeantur. Ad idem facere posset ius galli antiqui cum diureticis, & calidioribus, valdè tamen incidentibus medicamētis, præparatum, sed præstantiora sunt prædicta. quæ si etiā non proficiant, exhibeatur scrupulus olei ex Calchanto per sublimationem parati, summaq; cum ratione confecti: sed aliquo

aliquod generis Elyxir cum vino, vel iure ad eandem quātitatem propinetur. Dum hęc fiunt, optima habeatur victus ratio, quæ sit attenuans, & incidens, abstinendo à potu, quantum fieri poterit, ne ex multo potu plures aggregētur serositates. interim clysteria ex calefacientibus medicamentis infundantur, & exterius, qualia in deperdita renum actione agenda enumeraui, administrentur. si fiat autem obstructio hic à pure, conuenire poterunt ea, quæ superius inter leuiora exhibenda per os enumeraui. quæ si non conferant, ad vehementiora ascendat Medicus, laxando simul vias, tum per interius infundenda, tum per exterius applicanda, cauendo in hoc semper ab omnibus calidioribus, & acrioribus medicamentis, quoniam hæc potius incrassarēt, quàm attenuarent, & summam habendo loci affecti rationem. Victus autem pro vnaquaq; causarum differentia cōueniens, & opportunus imperetur; quoniam absque recta victus ratione medicamenta parum proficere possunt.

De nigris deiectionibus. *Cap. XV.*

QVemadmodum ea, quæ leuiora apparent, discriminis autem plena sunt, Medicus negligere non debet, similiter nec debet ea, quæ aspectu, & fama grauiora videntur, cum tamen periculo vacent, formidare; cuiuscemodi creberrimè euenit ex deiectionibus nigris, quibus apparentibus, ægri, astantesq; pariter à colore illo terrentur, & eò magis, cum communi omnium sententia ab Hippocrate lib. 4. Aphor. 21. desumpta, Deiectiones nigræ, siue febre prę-sente, siue eadem absente eueniant, semper pessimæ sint. Cuius oppositum cum ratio, & experientia me docuerit, in hac re Medicos commonefieri velim, nè semper nigras deiectiones, cum sæpissimè omni periculo vacent, timeant. Vbi enim excretiones istæ in morbis acutis non contingant; materiaq; educta non sit bilis atra, sed verè melancholicus humor, qui est sanguinis fex, quandocunq; eueniunt, omni

Deiectiones nigræ an semper malæ, et an sēper timendæ.

carent

carent discrimine, ad bonumq; terminantur, exonerata demum per has à graui materia natura ipsa. Cum enim splen ex propria naturali facultate humorem istum, qui est sanguinis limosa, & fęcalis pars, ad se attrahat, eumq; pro sui nutrimento conficiat, vtaturq;, si contingat vel ex intemperie imbecillum, vel à materia obstructum ipsum lien esse, plurimūq; huius limosæ superfluitatis in sanguine abundet, tunc materia hæc accumulatur circa viscera, in venisq; illis communibus & si abundantior colligitur, etiam in mensenterio, & circa pancreas, quæ totius corporis, veluti altera sentina, sunt, copiosè aggregatur: qui tandem cum grauis admodum naturæ fuerit, vel in ea copia, vt illis vasibus amplius contineri nequeat, insurgente virtute expultrice, natura eius excretionem tentat, hincq; deiectiones nigerrimæ, quibus aliquando & simul (sicuti creberrimè fieri animaduerti) connectuntur eiusdem superfluitatis vomitus, ita vt species cholerę videatur; supra enim, & infra eandem nigram materiam & per vomitum, & per sedē excernunt patientes: quos aliquando vidi ex solo aspectu huius limosæ, & nigrę superfluitatis in maximum incurrisse timorem, indeq; in syncopem incidisse, fereq; exanimatos fuisse, qui tamen in meliorem spem, me commonefaciente, & certè affirmante nihil indè periculi imminere, ducti, non tantùm laxatum à timore animum habuere, sed etiam pristinam salutem citò recuperauere. Vbi enim natura totam materiam eiecerit, licèt corpus ex euacuatione quoquo pacto languidum reddatur, tamen patientes in meliorem statum, quàm fuerint, redacti sunt. Quo tempore nihil aliud Medico agendum erit, quàm considerare, vt causis huius affectionis incumbat: nam terminata iam euacuatione animaduertat Medicus, an vitio hepatis, vel alimentorum, huius limosæ, & nigrę superfluitatis copia in sanguine cumuletur; & tunc si vitio hepatis hoc factum fuerit, huic succurrat. si autem alimentorum causa, rectam, & probam im-

Deiectionū nigrarum causa.

Curatio.

peret

peret victus rationem, circumſpiciatq́;, cum hæc materia non attrahatur à ſplene, cuius merito impurus remanet ſanguis, an hoc factum ſit ex ſplenis vel imbecillitate, vel obſtructione. imbecillitatem tollat, intemperiem, quæ imbecillitatis eſt cauſa, remouendo: obſtructionem autem, vias aperiendo, & materiam præſentem excludendo, conſumabit. Quibus remedijs hæc ſint peragenda, non referam, cum à proprijs fontibus hęc deſumenda ſint. hoc vnum tantùm dicam, quòd, ſi cauſæ huius affectus, iam terminata, & perfecta euacuatione, non remoueantur, eiuſdē fiet recidiua, per interuallaq; repetet, tandēq́; ęgrotantes vel ad hydropē (vt in nonnullis contigiſſe vidi) deducet: vel aliquandò ita ſæuiet hæc materia acredinem aſcita, ad naturamq́; atræ bilis conuerſa, vt vnica euacuatione demum ęgrotantes de medio tollat, ſicuti vidi factum in his, quibus me aduerſante vina generoſa, aromata, radices, & olera acriora erant in continuo vſu. quòd ſi hęc materia acredinem non acquiſierit, nec ad naturam atræ bilis vergat, in ſuoq; naturali ſtatu permanens ad vētriculum repat, per eumq; educi ſolita ſit, deducet patiētes ad malas ventriculi affectiones, ſicuti pręcipuè ad famem caninam, in quam ex tali materia per ventriculum ſępius euacuata, eoq́; decumbere ſolita nobilem Medicum deductum, & ex ea conſumptum fuiſſe, noui. Hęc dicta ſint, vt Medici huius affectus præſeruationem nō negligant, circa cuius curationem non ita laborabunt; quoniā tunc ſat erit munire inteſtina clyſteribus lenientibus, ne in tranſitu ab illa materia offendantur, & vomitum, ſi aderit, facilitare cum leuioribus, abſtinendo ab oximellite, & cæteris omnibus, quę acetum recipiunt, cauentes, ne ea, quæ ventriculū roborant, præterquam in caſu vrgēti, adminiſtrētur, omniūq; adſtringentiū rerū vſum tàm exterius, quàm interius vitent. optimam, opportunāq; pro ratione morbi victus rationem interim ægrotantibus præſcribant, certamq́; ſalutem, ſi errata nulla admiſerint, polliceantur.

Deiectionū nigrarū niſi tollatur cauſa, fit recidiua, & morbi graues ſuccedunt.

De Ischiade à materia biliosa. Cap. XVI.

ARthritim fieri à quacunq; materia, quæ transmissa vel ab vniuerso corpore, vel à determinato mẽbro per proprias vias in cauitatibus articulorum, & in circunstantibus partibus recipiatur, dogma est Galeni antiquũ, ab omnibusq; acceptatum. Contra hanc sententiam insurrexerunt Moderni, discrepantes de materia, de membro mittẽte, de vijs, & de loco, in quo hæc materia recipiatur. Materiam vnicam esse, hancq; pituitosam, subtilem, & serosam affirmant: quòd si in arthritide quandoq; sit rubor & calor, dicunt hoc fieri ratione doloris attrahentis, sicuti & afferunt febrem huic aliquãdo connecti, non ex se, sed quia hæc affectio contingat in temperatura impensè calida, & in corpore pletorico, quoduè ex leui occasione in febrẽ incidat. Membrum mittens dicunt esse solũ caput, in quo extra caluam sub cute talis aggregatur materia, quæ sensim transmissa ad partes inferiores modò ad hos, modò ad illos dilabitur articulos, negantq; à visceribus, & internis partibus hãc transmitti; quoniam syncerus humor per venas non potest ferri, nec sanguini permixtus potest syncerus in articulos excidere. ad quos si etiam cũ sanguine emanaret, phlegmonem, non arthritidem excitaret. Quapropter viam, per quam hæc materia in articulos descendit, dicunt esse sub cute tantùm, vbi laxæ, & amplæ sunt viæ, non autem per venas permeare. in medijsq; earum viarum regionibus dicunt eam non subsistere, quoniam cum sit subtilis, penetrat vsque ad loca densa, & compacta, quibus hæreat, & ideò in articulos tantùm firmatur. loca autẽ, in quibus hæc materia retinetur, dicunt non cauitates articulorum esse, sed in ligamenta, in periostea, & in tendones recipi, hoc argumento, quòd in tophacea podagra, aperta, ruptauè cuti plerunq; è digitorum articulis eruitur humor in tophum conuersus vinculo integro, & illæso, addito hoc, quod si in

Arthritis quo modo fiat.

De arthritide modernorum opinio.

in Ischiade, cũ ligamenta vel nullius, vel obtusi sint sensus, si in coxendicis pixide, in eiusq; cauitate materia reciperetur, nec tã vehementẽ, nec tam latè vagantẽ dolorẽ inueheret. sententia hæc sicuti Galeno, ita & veritati cõtradicit, nec digna est, vt à Medicis recipiatur. quòd non vnica sit materia, quę arthritidẽ generat, apparet clarè ex diuersitate coloris, tumoris, doloris, symptomatum, & modi curandi. color. n. aliàs est rubicundus, aliàs flauus, aliàs albus. tumor aliquando ẽ notabilis magnitudinis, quãdoq;. n. vix apparet dolor, quandoq; est molæstus quidem, sed non multum, quandoq; autem est acerrimus. hicq; nonnunquam citò soluitur, ille longius protrahitur. symptomata autem multoties sequuntur mala, vt caliditas ingens, & feruor in loco affecto; aliquãdo autem eorundẽ vel nulla est caliditas, vel frigiditas inest molæsta, illiq; ab aere calidiori, hi à frigidiori læduntur. modus curandi nonnunquam admodum variat, quoniam in his calida iuuant, in illis frigida, illiq; à frigidis, isti à calidis exacerbantur: prętereà quidam ex sanguinis, quidam ex pituitæ, alij ex bilis, nonnulli ex atræ bilis euacuatione sedantur, quæ omnia indicãt arthritidis causam modò calidam, modò frigidam, ac diuersam esse materiam. Nec responsum eorum ad hoc facit, cum dicunt hanc diuersitatem causari tum ratione doloris attrahentis, tum ratione subiecti recipientis; quoniam si ex colore, tumore, dolore, symptomatibus, & modo curandi diuerso diuersam materiam peccare non deberemus conijcere, ac iudicare, tota destrueretur medicina, omnesq; tumores pariter à pituita cõstituere possemus; quoniam ruborem, colorem, symptomataq; cætera ratione doloris attrahentis fieri, non autem ratione materiæ peccantis, esset affirmandum. Quòd membrum mittens aliquando sit cerebrum, non negatur: quòd autem semper ab eo in quacunq; arthritide materia defluat, falsum est; aliquando enim à toto, aliquando à determinato membro hæc transmittetur. nec semper præcedunt hunc morbũ

Arthiritidis an sit vnica materia.

An in arthritide membrũ mittẽs sit semper cerebrum.

capitis affectiones, hec semper in omnibus materiæ sensibi lis descensus à partibus superioribus ad inferiora persentitur. immo sępissimè nullo præexistente capitis, alteriusuè superioris partis, affectu subita fit arthritis, quod sæpissimè animaduertent, qui hanc artem consumabunt, videbuntq; modò hepar, modò lien, modò ventriculum, modo vterū, modò aliam internam partem, modò totum corpus, non autem semper caput, esse in causa huius affectionis. Nec est, quòd mirentur isti, quando per venas à partibus intimis, à visceribusq; ipsis in articulos humor aliquando feratur. quoniam virtus expultrix, vbi vigeat, à partibus interioribus ad exteriores materiam naturæ grauem detrudere solet, ac potest. & hæc per propria vasa, per quæ vniuerso corpori materię ingestæ communicantur, quę sunt venæ, & arterię, à quibus quomodo possint sanguini cōmixta per eorum ora in articulos pura excidere, non aliam quęrant viam, quàm eam, quam ipsi proponunt in suo casu, dicentes, venas ab externis iugularibus deductas extra caluam sub cute sua excrementa tenuia, & serosa deponere. quod idem cum cæteræ venæ terminantes ad articulos possint vi facultatis expultricis agere, non erit dubitandum, quo modo extra venas traduci possit syncerus humor. qui cum eis affirmantibus possit esse frigidus, nihil refragatur, quòd etiam possit esse calidus. qui ratiōe suæ tenuitatis facilius frigido in articulos deponi poterit. Nec est, quòd si vnus humor extra venas transmittatur cum eo, sanguis ei commixtus transmitti etiam necessariò debeat; quoniam hoc fit vi facultatis naturalis, quæ noxium, & superuacaneum tantùm excludit humorem. aliàs in quacunque expulsione omne humoris genus promiscuè, & vnà commixtum educeretur, nunquamq; daretur tumor purus vel à sanguine, vel à bile, vel ab alio humore. animaduertatur tamen, quòd cum concedimus syncerū humorē extra venas in articulos decidere, nō credatur ita syncerū semper esse, vt nullius mixtionē vnquā admittat.

An in arthritide materia possit ad articulos per uenas trāsmitti.

tat. sed dicitur syncerus à prædominio; quoniam vel nihil, vel parum quid ei commixtum est. vndè bili aliquando sanguis commisceri potest, & hinc causare arthritidem. Nec tamen tunc veram potest causare inflammationem; quoniam intra cauitates, non in substantia membrorum materia recipitur. Cuius oppositum cum contingat in cachexia, decumbentibus per venas in pedes humoribus crudis, est in causa, quòd tumeant quidem pedes, sed non hinc arthritim patiantur, & præcipuè cùm in his non sit articulorum imbecillitas, quæ necessariò ad arthritidem procreandam requiritur. quare certò affirmetur humores à visceribus, intimisq; partibus ad articulos per venas transmissos aliquando arthritim procreare: quam tamen quandoq; etiam à capite delabi, & per exteriora transmitti asserimus, & attestamur. Cum autem materiam recipi in ligamenta, in periostia, & in tendones docere nituntur, quid ad Galeni rationem; quam consultò tacuerunt; respondere possunt, cum inquit, argumento esse, materiã in substantia membrorũ non recipi, nec hinc veram inflãmationem causari; quoniam visus est nunquam podagricus pati conuulsionem, quæ frequenter solet in neruorum, ac tẽdonum inflammationibus aduenire? hæc Galeni ratio est demõstratiua, nec eam impugnare possunt, quæ in contrarium adducuntur, Videlicet, quòd si in Ischia de materia esset in pixide, & cauitate articuli coxendicis contenta, cum ligamenta obtursint sensus, non posset dolorem nec vehemẽtem, nec latè diffusum causare; quoniam hæc sententia Galeno non aduersatur, qui docuit materiã non tantùm in cauitatibus articulorum, sed etiam in cauitatibus circunstantiũ membrorũ vsque ad cutim recipi. quia verò articulationes hac materia implentur; ideò circunstantia ligamenta; idest, nerui, & tendones extenduntur. cuius extẽsionis meritò necessariò dolent. quare docet fieri dolorem, nõ ratione materiæ intra cauitatẽ articuli existẽtis, sed meritò extensionis neruorum, & tendonum circunstantium.

In qua parte articulorũ materia recipiatur in arthritide.

In ischiade in qua parte articuli recipiatur materia.

Vndè

Vnde in Iſchiade verè quidem dolor non cauſabitur à materia contenta in pixide;quoniam in ea nulla pars ſenſitiua locata eſt, ſed ab ea materia, quæ circunſtantia loca occupans,neruos, & tendones offendit. Quòd autem intra cauitatem articuli coxendicis in Iſchiade recipiatur materia (quod negare hi audẽt)ſola Hippocratis authoritas eos monere debebat, dicentis. Quibuſcunq; à coxendicum dolore

Lib.6. Apho. 59.& 60. moleſtatis excidit coxa, & rurſus incidit,ijs mucores ſuperueniunt. Qui mucores cum laxiora reddant articulationis ligamenta, facilè articulus ex cauitate excidit: quod fieri non poſſet, niſi in cauitate illa mucores cõtinerentur,quod idem ex ſequenti aphoriſmo dicente. Quibuſcunque à coxicũ dolore moleſtatis diuturno excidit coxa,ijs crus tabeſcit,& claudicant,ſi non vrantur,elici poteſt;quoniam excidere non poteſt ex coxendico dolore coxa, niſi ratione materiæ intra cauitatem articuli exiſtẽtis,eundemq; vltra, quã deceat, madefacientis, cuius meritò aduſtionem adminiſtrandam eſſe docet. Pro confeſſo igitur habeatur in Iſchiade contineri ad intra pixidem coxendicis materiam, ſed nõ ab ea cauſari dolorem, qui ſolum ab illa, quæ circunſtãtes partes occupat, neruoſq;, ac tendones extendit, generatur. hincq; fieri, quòd dolor ſit vehemens,& cum ad inferiores partes hi nerui deſcendant, quòd dolor hic latè, & longè diffundatur. qua de re dolor Iſchiadicus nullo modo argumento erit,quòd materia in arthritide non recipiatur in cauitates articulorum, & circunſtantium membrorum vſque ad cutim, cuius ratione apparere in tophacea podagra ſtatim aperta cute poteſt humor in tophum conuerſus, & euelli vinculo integro, & illæſo. quoniam non tantùm in cauitate interna articuli, ſed etiam in circunſtantium partium cauitatibus vſque ad cutim recepta materia, & in tophum conuerſa poteſt immediatè ſub cute cõtineri,& apparere: quod non excludit materiam in cauitatibus articulorum recipi, nec demonſtrat eandem in ſubſtantiam penetrare

trare. Hęc adnotasse volui de arthritide, ne sententia hæc, quam in pernitiem laborantium, si admitteretur, inuectam esse dubito, indiscriminatim, & sine examine recipiatur: quare arthritim à quocunque humore in cauitatibus articulorum, & in circunstantibus partibus vsque ad cutim recepto verè generari ad mentem Galeni constituo.

Ab hac vniuersali positione analogia sumpta, in eam de ueni sententiam, quam etiam in libro de internis affectionibus, in quo habetur coxendicum dolorem quandoq; à bile generari, recipit Hippocrates, vt Ischiadicũ affectum non solum ab humore frigido, & à sanguine, quemadmodum in proprijs libris declarat Galenus, eius curationem ex professo tradens, cæteriq; omnes scribentes simul, sed etiam quãdoq; à bile fieri censeam, quòd cum me non tantùm ratio, & Hippocratis authoritas, sed etiam experientia docuerit (vidi enim aliquando Ischiadas factas à bile acerrima) arbitratus sum huius curationem ab authoribus neglectam fuisse, non quin ab hac fieri possit, sed tanquam eius affectus, qui rarissimè eueniat. cum vtplurimùm à pituoso, & crudo humore procreari consueuerit. licèt autem rarò hic eueniat affectus, non debet tamen Medicus eius curationem negligere; quoniam, vt dixi, quæ rarò eueniunt, si rectè pertractentur, præstantem Medicum ostendere possunt. Qua de re Medicus Ischiadicum curaturus dolorẽ, optimè animaduertat hæc, quæ possunt eum manuducere in cognitionẽ peccantis materiei, sicuti qualitatem doloris, tempus exacerbationum, prægressam diętam, exercitia, habitum corporis, temperamentum, ætatẽ, regionem, anni tempus, applicationem remediorum, excrementorum vel abundantiam, vel retentionem, morbos patiẽti assuetos, & omnia alia, quę huiusce sunt ordinis, quæ omnia possunt speciem materiæ peccantis attestari: verum quoniam nos tantùm loquuturi sumus de Ischiade à materia calidiori, & biliosa; ideò huius tantùm signa ponemus, quibus positis, ad curationem descẽdemus.

Ischiadicus affectus à bile genitus.

Ischiadis à bile signa.

demus. In tali Ischiade dolor erit acerrimus, & similis pungitiuo, exacerbationes erunt sæuiores alternis diebus, victus ad calidum, & siccum vrgens præcessit, exercitia fuere valida, habitus vtplurimum erit gracilis, temperaturæ erit biliosæ, ætas iuuenilis ad hoc plurimum faciet, sicuti & regio calida, tempus anni æstiuum, dolor à calefacientibus exacerbatur, quod maximè me manuduxit in cognitionem huius affectus, in tali patiente solēt abundare biliosi humores, vel ijdem, qui excerni consueuerant, retenti sunt, solitusq; est pati morbos à bile, quæ in hoc morbo magis qualitate, quàm quantitate lædit, facilè irascitur, excandescentiamq; animi facilè incurrit. His ductus Medicus in cognitioné materiæ biliosę audacter curam aggrediatur; quoniam morbus hic non ità difficulter, si rectè curetur, soluitur, vt ille, à pituita. Quare statim dimissis purè repellentibus, quæ in coxendicum dolore non conueniunt; quoniam, cum pars affecta in profundo sita sit, sanguis, & humores ex vicinis & ambiétibus vasis, ac musculis ad illam à repellentibus medicamétis compellerentur, debet tentare, vt materiam à loco affecto educat, causamq; fluxionis inhibeat, & si dolores exacerbentur, lenientibus agat. Vndè primò ad totius corporis euacuationem descendat. Quare lenita aluo Cassia, vel Thamarindis, vel alio simili pharmaco, vbi contra indicantia nó æquipolleant, stante totius & hepatis, cuius ratione generetur bilis, intemperie calida, secetur vena. Vena autem sit interna, seruata rectitudine loci patientis, vbi sit plenitudo. quòd si hæc non adsit, secetur vel poplitis, vel tali vena postea materia his, quæ bilem respiciant, & temperare possunt, concoquatur. hæc concocta euacuãda erit pharmaco, quod bilem ducat, in quem vsum plurima venire possunt, tamé cum materia è longinquis partibus euocanda sit, ea assumãtur, quæ in substantia solida formantur; cuiuscemodi sunt pillulæ aureæ: quæ, quoniam plurimum recipiunt scammonei, in hoc casu prodesse valent. repetaturq; hæc euacuatio,

Curatio.

quoniam

quoniam vnica vice affectus tolli non poterit, qui tamen ex repetita euacuatione maximè sedabitur; mirum enim est, quoniam in talibus affectibus conferant bilis euacuationes, ex quibus maximè leniri solet dolor, qui si aliquando exacerbetur, inungatur locus affectus, perfundaturq; oleo rosaceo, cui admixtum sit dimidium olei camomelini. possunt etiam formari emplastra ex lactuca, solatro, endiuia, farina ordei cocta in posca, quibus olea prædicta ad impinguandum admisceantur. Infundantur etiam clisteria, quæ simul lenire, & refrigerare possunt, cuiuscemodi sunt formata ex decoctione radicum altheæ, seminum lini, foliorum maluarum, violarum, hordei, quibus addatur oleum violatum, saccarum rubeum, lutea ouorum, & casfia pro clysteribus parata. aliquando loco prædictæ decoctionis assumatur lac recens. & si indicium sit, bilem acriorem esse, possunt etiam admisceri succi endiuiæ, lactucæ, portulacæ. & similiũ herbarum, in quo casu etiam maximè probarem balneum, & aerem balnei tum ad temperamentum, tum ad discussionem: quòd si dolor vehemens admodum esset, hincq; valde angerentur, & cruciarentur patientes, si prædictis non leniatur, applicentur tum exterius tum interius aliqua leuiter stupefacientia, quæ in hoc casu, stante & materia, & intemperie calidiori, poterũt maximè, nullam inferendo noxam, conferre. His peractis, & ijs administratis, quibus superetur morbus, si quid residui remanserit, vel inunctionibus, vel fomentis, vel emplastris leniter discutientibus agatur, semper in hoc casu cauendo ab omnibus acrioribus, & calidioribus medicamentis, à quibus aliquando vidi adeò exacerbatos hos ægrotantes, vt miseri hinc claudicantes, & ad motum impotentes redacti maximis cruciarentur doloribus, quę omnia deinceps lenientibus, contemperantibus, & refrigerantibus administratis remedijs lenita fuere. ad quã intentionem faciunt etiam plurimum frictiones in parte opposita adhibitæ, sicuti & cætera deriuationum, & reuulsio-

num genera, Interim patientes victu vtantur refrigeranti,& contemperante. Vnde ptisana maximè probanda est, lactuca similiter, & omnia cicoracea, cæteraq; olera refrigerantia, quæ non tantùm veniant in vsu pro cibo, sed etiam vt cum his alterentur iura, & carnes assumendę, quæ sint elixatæ, non tostæ, sintq; ex pullis domesticis, ex hædis, ex vitulis, & similibus animantibus, non autem ex syluestribus, & quæ durioris sunt substantiæ; caueant omnia aromata, radices, herbas acriores, fugiant mel, & omnia, quæ ex eo parantur. Vinum in totum interdicatur vsque ad perfectam morbi declinationem. Motùs sit lenis, somni sint longi, & degant in locis temperatis, omnem aeris excessum vitantes, iramq;, & omnem animi excandescentiam fugiant, aluum lubricam, si non sponte, arte saltem habeant. sique hi præseruari ab hoc eodem morbo desiderant, inhibeatur bilis generatio, quæ refrigerato iecore tolletur. Vnde ad hoc balnea naturalia refrigerantia, cuiuscemodi sunt. S. Marini, Lucenses, & similia, imperanda sunt: quòd si hæc non admittant, serum caprinum, vel lac, præcipuè asininum, in emaciatis, & gracilibus corporibus optimè conferre poterit, multaq; alia cõsimilia tentanda erunt, quorum plurima est sylua in locis illis, in quibus de intemperie calidiori hepatis tractatur.

De Ischiade, & arthritide à siccitate, Cap. XVII.

QVemadmodum in libro de passionibus, seu de affectionibus internis Hippocrates coxendicum dolorem generari à bile affirmauit, ibidem pariter eundem dolorem à siccitate articuli procreari testatus est. cuius causæ nec Galenus, nec alius post eum author vsquam meminit, dum Ischiadis vel cognitionem, vel curationem tractarent. per siccitatem autem non intelligas intemperiem siccã partium solidarum articulum ipsum constituentium, videlicet, ossium, ligamentorum, & tendinum, sed consumptionem

Ischias, & arthritis à siccitate.

eius glutinosæ humiditatis, qua naturaliter nutritur, & ad faciliorem motum subungitur articulus ipse. talem humorem continuè natura articulis subministrat, nè exsiccati ad motum inepti reddantur. Cum autem contigerit humiditatem hanc aliqua ex causa, quæcunq; ea extiterit, exsiccari, tunc articuli motus impeditur, difficultasq; in motu, ac dolor vnà succedit. huiuscemodi affectum, si in coxæ articulo fiat, vocat libro citato Hippocrates Ischiadem, coxendicumuè dolorē, perinde ac vocet eos, qui à fluente generantur materia. quem eundem affectum ego non in solo coxæ, sed in quocunq; alio articulo gigni posse animaduerti, hincq; fieri alteram arthritidis differentiam notaui, si per arthritidem omnem articulorum dolorem, ac impeditum motum intellexerimus: consumpta enim ea humiditate, quæ ex naturæ præscripto articulos subungit, & humectat, coguntur, ac in vnum compinguntur articuli: vnde ad motum inepti, ac impotentes redacti dolore ex quocunque leuissimo motu cruciantur. Tales articulorum dolores in constitutionibus siccioribus Hippocrates lib. 3. Apho. 16. fieri monebat: quoniam, vt docebat Galenus in eiusdem aphorismi commentatione, immodicæ aeris siccitates articulorum humiditatē consumentes, eos ad motum difficiles, ac impotentes reddunt, doloremq; hinc nonnunquam inuehunt. An autem tales affectus verè sub nomine arthritidis comprehendātur, visus est negasse ibidem Galenus, cum tamen rem indeterminatam reliquerit: qui cum de nominibus parum solicitus fuerit, ideò hanc partem, quę circa nomen arthritidis, & nō circa eius essentiam versatur, neglexit. Si autem nos per arthritidem morbum in articulis à materia fluente factum intellexerimus, tales dolores, ac articulorum impedimenta sub nomine arthritidis non erunt recensendi. Si verò omnem articulorum impeditum motum, ac dolorem per arthritidem audiamus, hi proculdubio arthritidis nomine vocandi erunt. Quam sententiam Hippocratis libro citato

Arthritis à siccitate an detur.

de affectionibus internis clarè admisit; pariter coxendicũ dolorem hunc, ac eum, qui à materia articulos occupante causatur, appellans. Qui dolor à sola humiditatis naturalis articulorum consumptione, non à sicca partium solidarum, vt iam dictum est, ipsum articulum constituentium intemperie pendet; quoniam quandocunq; illa naturalis humiditas abundauerit, præstoq; sit, non adeò insigniter exsiccari poterunt partes articuli solidiores, vt hinc impeditus motus, aut dolor succedere queat: deficiente tamẽ hac humiditate, ac supra modum exsiccata, nonnunquam etiam communicatur hæc exsiccatio partibus ipsis solidis; & hoc potissimum cum à causa externa, & valida ortum ea habuerit. hincq; supramodum exsiccatis circa articulum tendonibus, & partibus neruosis, in hac affectione consueuerunt aliquando, vt notauit Hippocrates, succedere conuulsiones: quas aliquando sequuntur & febres, quæ ratione doloris, & cruciatus accenduntur. Hæc de nomine, & essentia huius affectus, nunc causas recenseo. Quęcunq; humiditatẽ articulorum naturalem resiccare, & consumere apta sunt, ea omnia talem coxendicum dolorem, talemuè arthritidẽ causare poterunt. Vnde & diuturnum, ac vehemens exercitium sub sole factum, vt habet Hippocrates libro de affectionibus internis, & siccitates aeris immodicæ, vt habetur lib. 3. Aphor. 16. possunt esse eorundem causæ. pariter & victus exsiccans hoc idem causare poterit; quoniam hinc consumptis humiditatibus internis, etiam illę, quæ ad articulos naturaliter defluere solent, multoties consumuntur. cuius ratione, vt recitat Hippocrates, qui in Aeno leguminibus (quoniã talis victus est exsiccãs) vescebantur, infirma habebant crura. & qui orobos (quoniam hi leguminibus sicciores sunt) comedebant, genuũ dolores patiebãtur. Quod idem & longæ, ac diuturnæ ęgritudines, quæ corpus exsiccare aptę sint, agere poterunt: vnde videmus aliquando conualescentes, qui ex huiuscemodi morbis liberati fuere, malè

Causa. *Lib. 6. Epid. sect. 4. tex. 13* *Lib. 2. Epid. sect. 4. de venis.*

ince-

incedere, ad omnemq; motum ineptos esse: qui, si etiam cõguntur deambulare, non leuem articulorum persentiunt dolorem, qui, deficiente ipsorum articulorum naturali humore, succedere consueuit. Harum omnium causarum signa de se patent; nam omnes hæ causæ sunt præcedentes, quæ vel ex ægrotantis relatione, vel ex sola Medici inspectione nullo negotio comprehendi possunt. An autem, sicuti ab externis, ita ab internis causis possit talis affectio procreari, si quis quæreret, dixerim hoc pro possibili admittendum esse, cum huius humiditatis, pariter ac cuiuscunque alterius partis nihil sit, quod exsiccationem impossibilem reddat. hoc tamen non ità experimento comprobatum est; quare pro huius affectionis cognitione sufficiant ea, quæ de exterioribus causis exposuimus. de quibus hoc aduertatur, quòd ex omnibus molæstior ea est affectio, quæ à vehementi, & diuturna exercitatione sub sole facta, occasionem habuit. in hac enim dolores sunt multò, quàm in cæteris, sæuiores, ac ęstuosi vnà cum caloris sensu existunt, sæpiusq; his superueniunt febres, aliquando & conuulsiones. Quare quò ad prognosticum hæc erit cęteris difficilior, & periculosior: reliquę autem non ita sęuæ sunt, & minori cum discrimine affligunt ægrotantes, ac minori cum labore ab his ijdẽ liberantur. Quæ omnes affectiones quomodo præsentes cognoscẽdę sunt, superfluũ esset enarrare, cũ ex sola articulorũ resiccatiõe, & cõpactione, omni tumore absẽte, ac ex sola inspectione prudenti Medico patere possint. Qui Medicus has curaturus affectiones, istas indicationes habebit, scilicet, vt amota omni causa externa, & præcedente, tentet naturalis articulorum humiditatis regenerationem, eorundẽq; humectationem quærat. Hæc consequetur, si eam viuendi rationem ægrotantibus pręscribat, quæ & actu, & potentia corpus humectare queat, cuius merito regeneratis humiditatibus naturalibus adsit earum copia, apta ad subungẽdos articulos ipsos. Talis victus ratio perficitur tum per ea, quę

Signa.

Arthritis, & Ischias à siccitate an possit fieri à causa interna.

Indicationes.

Curatio.

interius sumuntur,tum per ea,quæ exterius administrātur. Interius conuenient cibaria humectantia, quæ sint boni chymi,quæq; nec difficulter conficiantur, nec superfluitatibus admodum scateant; talia erunt oua recentia, ac sorbilia, iura ex carnibus laudabilibus parata,qualis est pullorum domesticorum,hædorum,vitulorum lactentium, fercula in his parata, carnes eorundem animalium elixatæ, ptisana sola ex frumentaceis, lactis potus,caseus recens, & quæ huiusce sunt clasis.& vbi patientem ventriculi robustioris curā dū habuerimus, extremitates animalium optimè elixatas, vel potius eliquatas nonnunquam exhibere poterimus. Potus sit vinum tenue,album,aquosum,& ad dulcedinem decliue, vel saltem admodum maturitate saturatum. Exterius maximè proficit balneum aquæ dulcis:in quo si coquantur radices altheæ,& maluarum, earundemq; semina, capita castratorum,extremitates animalium, & quę huius sunt ordinis, & facultatis, mirum in modum prodesse poterit. post quod administratum balneum, quamuis ęger impotens ad motum existat, tamen modicè deambulet, hocq; singulis agat diebus;ita enim motus facilitabitur,& materia ad propria articulorum loca promptius attrahetur.Dum hæc peraguntur, caueant ægrotantes, ne frigus aliquod patiantur. hoc enim articulos valdè lędere poterit,& materiam intercipiendo, & eosdem in vnum cogendo, & rigidos eos reddendo:quare omnibus exterioribus vel calidis, vel saltem tepidis vtātur. Vbiq; à balneo abstinuerint, fomenta ex iisdem rebus parata in vsum habeant:in quorum administratione hoc animaduertant astantes, vt antequam caro detumescat, vel hominem è balneo educant,vel fomenta remoueant,aliàs in his administrādis ex succedēte humoris attractū resolutione restauratio deperditæ humiditatis non esset speranda. Possunt ad idem parari emplastra, quæ articulis apposita eos humectare possint,quę formentur ex axungia suilla recenti, butiro recenti, oleo amigdalarum dulcium,
medulla

medulla vitulina, & ceruina, mucilaginibus lini, altheę, fęnugræci, addita cera noua (hæc enim antiqua est humidior) ad pondus omnium prædictorum plusquam dimidium. Si autem in præsenti affectu sit periculum conuulsionis ob introductam ingentem articulorum exficcationem, vltra balneum, & fomenta, inungantur loca patientia, & eis communicantia aliquo oleo actu quidem calido, sed quod nullo pacto resolutionem notabilē causare valeat. tale erit oleū dulcissimum, narcissinum, mastichinum, camomęlinum, lubricatum, amigdalinum, & similia. hæc enim olea poterunt magis tueri articulos à frigore externo. & tendines, ac circunstantes articulorum partes laxando poterunt patientes à dolore, & indè à conuulsionibus præseruare: quæ si instēt, abstineant ægrotantes ab omni genere vini, & bibant mulsam dilutam, caueantq; ab omni euacuatione, quoniā hæ omnes possunt corpus ipsum magis exficcare. An autem, dū hæc peraguntur, vel purgandi sint medicamento electiuo patientes, vt docet Hippocrates, vel si hoc non conferat, clisteria acria, qualia ipse imperat, imponēda veniant, propter senis authoritatem quis ambigere posset. Attamē ego eius sum sententię, vt in tanta articulorum exficcatione omne euacuationis genus noxium, ac suspectum sit, dictante hoc ratione; Videlicet, euacuationes omnes, & præcipuè validas non tantùm prauas, & non naturales, sed etiam naturales humiditates disperdere: quapropter caueant in huiuscemodi affectionibus Medici ab omni valido medicamento soluente, nè humiditates ad articulos attrahendas dissipēt: nisi forsan ratione exficcantis cibi, quali habitantes in Acno vsi erant, hæc affectio inducta fuerit; in his enim potuit aggregari ex malo victu copia prauorum, & terrestrium humorum, qui exturbādi, & ante articulorum laxationem excludendi erunt. hoc tamē cautè agatur, semper hac habita ratione, nè in horū humorum deturbatione articuli vlterius exficcentur. ad quam intētionem poterunt satis, præter pharmacū,

An sint purgandi, & euacuandi arthritici dēficcati.

macum,facere clyſteria acria, eos ad vias communes deriuando, ac eoſdem ab articulis reuellendo. quo peracto facile erit homines renutrire, & humiditates naturales regenerare, ac articulos ipſos prædictis medicamentis, ac præ narrata victus ratione laxare. Quæ omnia dum fiunt, omnes cauſę, quæ talem articulorum ſiccitatem introducere, vel eandem conſeruare poſſunt, amoueantur. Vnde fugiāt hi omnem vehementem motum, æſtiuum cœlum, aeris ſiccitatem, Veneris vſum, animi accidentia moleſta, exſiccantem victum, externum frigus,& cætera omnia, quæ harum partium humiditates diſsipare, ac reſiccare queant;&, quan tum fieri poterit, cauſas prædictas per opportuna præſidia reſcindant, eiſdemq; per conuenientia auxilia reſiſtant.

De dormientibus, qui vigilantium munia obeunt.
Cap. XVIII.

DVm homines vigilando munia animalia exercent,ſpirituum opulentia in eis imminuitur, ac diſperditur: hinc labor in obeundis his functionibus ſuccedit, indeq; nō poſſunt mortales perpetua ſenſuum agitatione frui. Huius merito ex naturæ præſcripto animantibus irrepſit ſomnus, vt per eum quieſcēte omni animalis motu,ac ſenſatione deperditi ſpiritus regenerentur: at vires, quæ non tantùm per motum,ſenſationemq;, verum etiam per animales functiones obitas languent, reſtaurentur. In ſomno quieſcit cerebrum, primum omnium ſenſationum inſtrumentum, & eo quieſcente,ceſſat homo ab omni motu, & ab omni ſenſuū functione, dumq, hoc pacto ſe habet,in eo non tantū nerui, muſculi, membraq; omnia, & præcipuè cerebrum, verùm etiam omnes ſenſus conſopiri videntur:quare tunc nec mouetur homo,nec ſentit. Attamen hic in ſomno nō ita motu,ac ſenſu priuatur, vt nuſquam moueatur,aut ſentiat. Seruantur enim in dormientibus plurium muſculorum motus, vt clarè apparet in his,qui excretionibus ſuperfluitatum retinendis,

Somni cauſa.

In ſomno reſeruari aliquos motus, & ſenſus.

tinendis, & qui mandibulæ inferioris retractioni; & qui respirationi, & qui alijs huiuscemodi functionibus destinati sunt, sed clarius in his, à quibus purè, & simpliciter voluntarij motus dependent, quorum ratione dormientes sæpe brachia, & crura agitantes de loco ad locum mouentur. seruantur etiam in multis sensus exteriores, hinc aliqui vocē cantantis galli, vel latrantis canis dormientes audiunt, & dignoscunt, & lumen præsentis lucernæ verè agnoscunt, saporesq; rei gustum afficientis diiudicant, fœtentiaq;, ac malè olentia discernunt; aliqui autem clarè loquuntur, & alta voce quandoq; clamant, quidam etiam ad interrogata respondent, cuius merito nonnulli propria secreta in somnis cæteris aperuerūnt. In nonnullis tamen adeò exteriores sensus consopiuntur, vt nihil ad extra percipiant, sed tantùm interius, phantasia rerum idola repræsentante, apparēt dormientibus insomnia, in quibus sibipsis vidētur audire, videre, loqui, discurrere, comedere, currere, pugnare, & cætera omnia patrare, quæ vigilando operari consueuere. Hæc insomnia aliquando clara, & certa, aliquando incerta, & confusa videntur, prout rerum spectra, vel clarè, vel confusè imaginationi repræsentantur. Nonnunquam tamen in quibusdam hæc ita euidentia apparent, vt dormientes ipsi tanquam ex proposito, ac ex industria aliquid agentes è lecto surgant, & modò superiores domus partes, modò inferiores adeant, modò domo exeant ad exequenda ea, quæ verè imaginantur se facturos esse, hincq; in maximum discrimen alicuius præcipitij deducuntur. Hoc quamuis difficile sit imaginari, rarissimeq; contingant tales casus, cum in somno, quiescente primo sensiterio (idest cerebro ipso) debeat dormiens ab omni functione tàm motiua, quàm sensitiua destitui, & ideò videantur dormientes nec posse moueri, aut sentire. tamen testimonia habemus celeberrimorum virorum, affirmantium in somno aliquando seruari motum, aliquando cum motu sensus ipsos, quod idem experientia ipsa

Insomniorum causa.

ipsa in pluribus hoc euenire testata est. Galenus enim libro 2. de musculorum motu cap.4. narrat quosdam dormiendo deambulasse, & testatur se ipsum dormientem, & somniantem integrum fermè stadium peregisse, nec à somno, priusquam in lapidem impegisset, excitatum fuisse. quã causam affirmat eam esse, propter quam non queant dormientes, quia leuem viam exactè nancisci non possunt, iter lõgũ facere, innuens ex hoc multos, si per planam viam progrederentur, longè proficisci posse. Aristoteles autem lib.5. de Generatione animalium cap.primo affirmat in somno non tantùm motum, verum etiam sensus seruari posse, hæc verba habens. Accidit enim dormientibus etiam animalibus sensus non modò, quæ somnia vocantur, sed etiam præter somnia, vt ijs, qui dormientes resurgunt, & quidem pleraq; agunt sine somnio. sunt enim, qui dormientes resurgunt, & ambulent, videntes eo modo, quo qui vigilant. ijs enim, qui sensus accidentium contingit, quamquã non vigilantibus, tamen non vt somnium. Ex quibus verbis claram eius habemus sententiam, quòd in dormientibus quandoq; seruẽtur motus, & sensus, & hoc non per somnium, quasi dicat, quòd per somnium hoc eis non contingat, sed quòd dormientes, & non somniantes moueantur, & videant, tanquam sint vigilantes. Quod affirmarunt hi duo inter Philosophos, & Medicos celeberrimi Viri, idem mihi experientia comprobauit. Iuuenem noui, qui somnians se propter negotia sua equitaturum esse, è lecto surgens indutus vestimentis proprijs, cothurnisq;, ac calcaribus appositis, super fenestram (nam in tabulato degebat) conscendit, & hinc, indeq; diuaricatis cruribus parietem, perindè ac si equus esset, & voce, & calcaribus ad cursum incitabat, hic ex somno expergefactus tanto horrore correptus est, cogitans se per somnium mortem fere sibi ex præcipitiò consciuisse, vt me die sequẽti consuluerit ad prohibenda hæc insomnia, quæ ipsum ad obeunda vigilantium munia deducebant. Alterum curaui, qui

Dormientes quare longum iter facere nõ possint.

Historiæ.

qui cũ natura iurgiosus, & contentiosus cum alijs foret, vt plurimũ somniabat se cũ aliquo manũ conferre, indeq; surgẽs è lecto arma capiebat, gladiũq; euaginatũ furiosè vibrabat, perindeq; ac cum inimico pugnans vndiq; parietes, & circunstantia loca percutiebat. hunc solum in thalamo dormientem claudere, armaq; omnia indè auferre, nè vel se ipsum, vel alterum gladio confoderet, in posterum necessarium fuit. tamdiuq; solus permansit dormiens, quamdiu se cognouit à talibus insomnijs deprehendi. Præter hos artificẽ cognoui, qui dormiens è lecto surgebat, è thalamoq; exiens domum ferè totam peragrabat, scalasq; nullo discrimine ascendebat, & descendebat. hic semel nullis indumentis amictus domo exiens apothecam propriam adiuit, eaq; clauibus aperuit: à qua demũ expergefactus ab amicis, qui ei forte obuiam facti fuerunt, maxima cum verecundia, & timore, dubitans, ne indè stultus existimaretur, non amplius dormiens, sed vigilans rediuit. Dum hæc scriberem accersitus sum ad inuisendam adolescentulam, annum decimum nonum agentem, quę decima die à puerperio media nocte somnians se quædam domestica negotia acturam esse, è lecto hyeme sæuiente nullis indumentis amicta surrexit, & cũ è thalamo hac imaginatione ducta in partes domus inferiores descendere vellet, strepitu facto, dum ostium aperiret, matrem, quæ vnà cum filia in eodem lecto decumbebat, expergefecit: quæ mater nouitatem rei admirans filiam alta voce clamans eam increpando vocauit, ex qua voce expergefacta ipsa filia ad lectũ redijt, affirmãs se, nisi à somno excitata fuisset, è thalamo exituram esse. Hinc ad viginti quatuor dies cum marito dormiens similiter circa nonã noctis horam subitò è lecto exiliens, & ad ostium properans expergefacta à viro eam alta voce vocante, flens, & tremens ad lectum regressa est, narrans se somniasse fugere ex lecto tunc temporis voluisse ad euitandam vim sibi illatam ab homine, Venerem ab ea expetente. hæc eadẽ cum si-

 milia

milia insomnia sæpius passa sit, & hinc timeat, ne qu id mali ei ex hoc contingat, me ad eam curandam accersiuit. Alias his consimiles historias referre possem; tamen hę sufficiant vltra testimonia Galeni, & Aristotelis ad confirmandam hanc sententiam, quòd aliquando in dormientibus vel motus tantùm, vel simul cum motu etiam ipsi sensus referuentur. Qui dormientes quomodo contra formalem rationem somni (qui est ligamentum primi sensiterij, per quod animal ab omni sensu, & functione animali ad regenerationem spirituum, & ad restaurationem virium ex vigilia dissipatarum quiescit) vigilantium munia, quæ sunt sentire, & moueri, obire possint, non ita facilè est explicare, ac certam ratione reddere. Si tamen ad hoc ego probabilia (alij hanc rem demonstratiuis explicabunt rationibus) adducam, satis mihi fecisse videbor, ita horum affectuum causas expositurus.

Causa. Anima corpori annexa, vt docet Hippocrates in libello de Insomnijs, eidē, dum vigilat homo, ita inseruit, vt in multas partes distributa singulis corporis partibus, siue sensibus aliquam sui partem distribuat, videlicet, auditui, visui, tactui, gustui, gressui, actioni, ac omni corporis facultati. In hacq; distributione non sui iuris est anima, sicuti nec in cogitatione. non enim non potest corpori suas facultates impartiri, & non potest continuè aliquid non cogitare. Cum autem corpus quiescit, anima adhuc in motu est, & corporis partes omnes perreptans easdem gubernat, & omnes corporis actiones perficit. Nam corpus dormiens non sentit, ipsa verò vigilans cognoscit, ac visibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, tristatur, gaudet, considerat. & in summa quęcunq; corporis, aut animæ munia sunt, ea omnia anima ipsa in somno obit. Dum anima siue vigilando, siue dormiendo hæc agit, semper omnia, quæcunq; agat, mediantibus spiritibus, qui sunt propria, & immediata ipsius animæ instrumenta, exequitur. Vndè in his, in quibus spiritus sunt perfectiores, semper anima proprias functiones, vbi orga-

na

na naturaliter disposita fuerint, excellentius operatur. in quibus autẽ hi sint imperfecti, diminutè, & imperfectè suas producit operationes. Spiritus perfecti, & imperfecti redduntur ex puritate, & impuritate sanguinis, & humorum. quales .n. sunt corporis nostri humores, tales sunt & spiritus. Qui spiritus in aliquibus sunt puri, subtiles, ætherei, & clari, in aliquibus sunt impuri, crassi, turbidi, & nebulosi; Qui hos habent, sicuti nec vigilando perfectè vel sensus, vel mentis munia obeunt; ita nec dormiendo somniantes clarè rerum imagines sensibus, & menti iam oblatas, & in phãtasia reseruatas circumspiciunt. in hisq; præ nimia spirituũ, ac humorum impuritate, ac humiditate vel nulla, vel pauca, & confusa videntur somnia; præ nimia enim turbatione, accrassitie tùm spirituum, tum humorum rerum idola clara, & euidentia repręsentari nequeunt. Qui autem spiritus claros, subtiles, ac æthereos habuerit, sicuti in vigilia perspicax, ad actionesq; promptus, & ad motum facilis existit; ita in somno rerum imagines clarè discernit, easque adeò euidentes, ac euidenter conspicit, vt perindè ac in vigilia, ea omnia, quæ cogitationi offeruntur, tamquàm vera imaginetur, eaq; sedulitate, qua vigilans in eisdem actionibus vteretur, hæc omnia mente exequatur eo ordine, quo imaginationi repræsentantur. Quòd si vltra spirituum tenuitatem, ac subtilitatem dormiens sit fortis imaginatiuæ, quales solẽt esse, qui melancholici sunt habitus, in quorum nonnullis rerum imaginationes ita fortiter, ac vehementer imprimuntur, & adhærent, vt nullis argumentis dissuaderi, aut ab his amoueri queant. in his hoc causatur, quòd eis dormientibus somnia ita euidentia, ac fortiter imaginata repręsentantur, vt vera magis hæc credant, quàm ea, quæ ipsis vigilantibus offeruntur. hincq; in his somnijs tota mente, ac totis viribus agentes eas functiones, dominante anima præ spirituum tenuitate, ac forti imaginatione ipsi corpori, perindè ac si vigilarent, operantur, & indè surgunt è lecto, ambulant, pugnant,

gnant, iisdemq; propriis operationibus, quæ somniantes imaginantur, se addicunt, ac operam nauant. Quòd si in his dormientibus, etiam somnia non repræsententur, vbi tanta fuerit cum forti rerum imaginatione spirituum tenuitas, & subtilitas, possunt in his ab anima ita sensibus ipsis propriæ facultates impartiri, vt dormientes quidem, non tamẽ somniantes videant, & audiant, cæterasq; sensuum functiones euidentes habeant. indeq; nonnulli dormientes iter inceptum prosequuti sunt; alij domus partes ipsis notas circumierunt, superioraq; & inferiora adire potuerunt, alij ad loca familiaria, quæ ipsi videntes ab alijs discernere potuerunt, progressi sunt. quod est id, quod Philosophus per ea verba testabatur, dicens. Sunt enim qui dormientes resurgant, & ambulant, videntes eo modo, quo qui vigilant. ijs.n. qui sensus accidentium contingit, quamquam non vigilantibus, non tamen vt somnium. Causa igitur, quòd in dormientibus vel motus tantùm, vel vnà cum motu etiam sensus ipsi reseruentur, erit fortis imaginatiua vnà cum spirituũ tenuitate, & subtilitate. Quoniam autem fortis hæc imaginatiua in melancholicis vtplurimum adesse solet, ideò animaduerto talia accidentia vtplurimũ causari in his, qui melancholici sunt habitus, testorq; me tales affectus in consimilibus hominibus curasse, in quibus etiam spirituum tenuitatẽ, & subtilitatem inesse conieci. hos enim loquaces, promptos, impigros, facilè irascibiles, & versatilis ingenij esse, obseruaui. Quos cognoui facilius in hæc incidere insomnia, & dormitiones, vbi quibusdã passionibus irretiti essent, in his enim omnis imaginatio repræsentat id, à quo ijdem facilè patiuntur, & afficiuntur. & hi ab omni leui imaginatione, & similitudine facilè in proprio affectu decipiuntur, ac circa eamdem supramodum soliciti sunt; circa enim sensus, vt dicebat Aristoteles in libro de somno, & vigilia, facile decipimur, cum in passionibus existimus, Vnde à modica similitudine trepidus imaginatur, & putat se hostem videre, aman

amans autem dilectum inspicere, iracundus stimulantem persentire, & hic quantò magis passibilior fuerit, tantò magis, à minori similitudine decipitur; Vnde huius ratione, qui fortem rerum imaginatiuam vnà cum spirituum tenuitate habuerint, si passionibus afficiatur, in hæc insomnia procliuis erit: ac etiam, vbi non somniauerit, dormiens poterit ductus à leui similitudine, & imaginatione vigilantiũ munia obire. Hæ penes me sunt eæ causæ, ex quibus conijcio dormientes, non præter rationem posse moueri, & sentire. Quas qui animaduertent, facilè nouerint, quibus præsidijs succurrendum sit ijs, qui talibus affectionibus detinentur. cum enim, vt ex prędictis liquet, tenuitate spirituum, ac forti imaginatione hi dotati sint, quibus etiam adduntur sæpè passiones; quibus irretiti sunt: quę omnia in melancholicis habitibus prõptius, quàm in cęteris quibuscũq;, reperiuntur, ac firmantur; ideò ad talia insomnia, ac dormitiones prohibendas & spiritus crassiores reddere, & imaginationem minus tenacem efficere, melancholicum habitum temperare, & affectus ipsos in talibus patientibus corrigere debemus. Quos curabimus, non quia hæ affectiones sint morbi, vel quia ab his malum aliquid simpliciter immineat, sed quia hi dormiendo possent ex insomnijs ad præcipitia deduci, vel ad aliqua peragenda concitari, ex quibus vel mortem incautè, ac inconsideratè sibi consciscerẽt, vel alijs inferrent: cuius ratione, non autem quia ex insomnijs, aut ex somno lædantur, huiuscemodi patientes cõsulere medicos ad tales somnos prohibendos, & ad talia insomnia profliganda consueuere. Quod vbi contigerit. Medicus hac via quatuor indicationibus propositis obuiabit. Primò nimiã spirituum subtilitatem corriget, eos crassiores reddens: hoc autem faciet, humores, ex quorum puriori, ac subtiliori parte hi regenerantur, incrassando. hos verò incrassabit, si alimenta crassi succi patientibus exhibẽda præscribat; talia erunt carnes bubulæ, leporinæ, suillæ,

Prognosticũ.

Ctratio.

cochleæ, casei omnes, oua ad perfectam concretionem cocta, fercula ex farina subacta, pisces molles, sicuti loligines, sepiæ, polipodes, anguillæ, legumina, castaneæ, rapę, nuces pineę, vina dulcia, & crassa, & quæ huiusce sunt ordinis. secundò imaginationis tenacitati, ac fortitudini prospiciet, cerebrum, ex cuius sicca intemperie hæc dependet, humectando: in quo casu pręter victus rationem humectantem præscribendam, maximè prodesse poterunt embrochæ, & lotiones capitis, vel simpliciter ex aqua dulci paratæ, vel ex decoctionibus rerum, quæ eiusdem sint facultatis, compositæ. Secundum locum ab his habebunt inunctiones ex oleis humectantibus, quale est oleum amigdalarum dulciũ, & violaceum, & præter hæc odoramenta ex aquis odoratis, quæ similiter humectare queant. Tertio loco habitum melãcholicum temperabit præscripta ea victus ratione, quæ nec retorridos, nec adustos, sed benignos humores generare possit. quare humectantia alimenta, quæ tamen boni succi existant, administrentur, & corpus ipsum ad humidũ alteretur, quod potissimum aquę dulcis balnea, quæ in simili casu cæteris omnibus medicamentis pręferantur, præstare poterunt; sique in his generati sint, abundentq; nigri, & melancholici humores, lenibus medicamentis prius expurgentur. Vltimò vehementes, intensosq; animi affectus corriget, si patientes à proprijs, & molæstis negotijs abducat, si hilarem vitam præscribat, si iucundas, & gratas societates adhibeat, si grauibus persuasionibus eos increpet, si solicitudines, & omnes laboriosas curas interdicat, in summaq; si hos in contrarium habitum traducat. His omnibus peractis, sperandum est, hosce patiẽtes a talibus insomnijs, & dormitionibus liberatos esse, vndè verè iucundissimum somnũ, qui omnium laborum, & solicitudinum eis certum existat perfugium, capere possint. si tamen ex prædictis non omninò, nec integrè res absoluta sit (in nonnullis enim vidi admodum difficile esse tales affectiones soluere) deueniat Me

dicus

dicus ad aliqua leniter somnum prouocantia: in quo casu feliciter quandoq; expertus sum post cænam ante somnum exhibere lac amigo.d. ad quantitatem quinque, aut sex vnciarum; hinc enim leniter humectatur cerebrum, & leniter consopitur, spiritusq; illi tenues quodammodo incrassantur. Quòd si nec hoc sufficiat, ad lenia stupefacientia deuenio, sicuti ad fercula ex seminibus papaueris albi parata, ex quibus prouocato profundiori somno, ac obtusis spiritibus ipsis, adeò consopiuntur homines, vt facultates sensitiuæ, ac motiuæ propriis organis ea viuacitate amplius communicari non possint, vt ex his dormientes vel deambulare, vel sentire queant. Validiora autem stupefacientia vitanda esse duco, non ꝙ hæc nequaquã sint apta talia insomnia stupefaciendo inhibere, sed quoniã in tali casu, cum patientes nõ sint insomnes, nec vigilijs crucientur, in somnosq; procliues sint, stupefacientia talia nocumentũ, quàm iuuamentũ, facilius inferre possent; vltra enim intentum, ac propositum terminum agerent, cerebumq;, ac omnes sensus nimis consopirent, vnde insomnia quidem prohiberent, sed vel in carum, vel in coma patientes deducerent: cuius ratione etiã exteriora stupefacientia, & cætera omnia somnum prouocantia omittenda censeo, solisq; prædictis, vel similibus præsidijs agendum esse iudico.

De Rabie. Cap. XIX.

RAbie hominem affici, indeq; periclitantem miserabiliter vita orbari, satis apertum est. quorum autem ratione hoc fiat, & quid sit rabies, & an curationem admittat, non ità in confesso est. Scio multa de hac materia ab antiquis monumentis literarum prodita esse: tamen cum ratio, & experientia, quam plurimam huiusce rei habeo, multa longè aliter, quàm ipsi docuerint, mihi persuadeant, hic decreui quæ in hac materia animaduertenda sint, explicare, vt cognoscant Medici, quanta cũ diligentia antiquorũ scri- *Rabies.*

pta in materijs abstrusis, & nō frequentibus sint perpendenda, & ad lydiū, vt dicunt, lapidē examinanda. Quicunque authores de hac egere materia, omnes sub titulo de commorsis à cane rabido hanc rem perstringentes, eius ordiuntur tractationem, primò declarantes, qua de causa canes rabidi fiant, secundò quibus hi deprehendantur notis. Hanc docendi formam ego diù considerans, cum vltra canes ex Aristotele camelum, & equum; ex Auicenna Vulpes, mustillas, & mullos; ex Cęlio Aureliano Vrsos, Leopardos, & Asinos; ex Alberto Magno Lupos tentari rabie sit certum, non potui non admirari, cur de rabie acturi, quæ homini per tot animalia communicari potest, solum de morsu canis rabidi agentes tractent, & inscribant de commorsis à cane rabido, cū de cōmorsis ab animali rabido inscriptionē ponere debuissent. Nec est, quòd dicas, iure ab antiquis hoc factum fuisse, cum vera rabies solum à cane communicari possit, cæteras autem non veras esse, sed per similitudinem ad hanc rabies dictas esse; quoniam quæ maior similitudo poni debet lupinæ rabiei ad caninam, quàm quæ ipsius canis ad lupi? cum à lupo, sicuti & à cane, vera, & exacta inducatur in hominem rabies. immo noui ego à lupo sęuiora, & magis horrenda consequi symptomata, quàm à cane rabido, magisq; hi & violentius cruciantur, qui à lupo rabido cōmorsi sunt, quàm qui à cane. Quod de lupo attestor, idem de cæteris animalibus prædictis asseratur, affirmeturq; veram rabiem ab omnibus his generari. Quæ tamē vera rabies à solis canibus primam fortasse apud antiquos sumpsit denominationem; quoniam hi magis, quàm cętera animalia, consuetudinem manifestam habent cum homine, clariusq; nobis eorum patefiunt accidētia, frequētiusq; cęteris rabie corripiuntur: quod tamen non tollit cætera prædicta etiam rabie vera deprehendi. Quam veritatem cū Galenus negauerit, credatur hoc ab eo factum fuisse ob non habitam ab eo huius rei experientiam, quam si vidisset, vel

An tractatus de rabie debeat inscribi de morsu canis rabidi

Quæ animalia rabiem incurrant.

Rabies uera an sit solius canis, & non cæterorū animalium.

Lib. 6. de loc. affect. cap. 5.

si eius testimonium fidum audiuisset, eam profectò sententiam ablegasset, nec dixisset, solum canem ex omnibus animalibus rabie corripi: quod cum falsum sit, pluraq; sint animalia, quæ rabie tentantur, de hac materia scribentes titulum non de cõmorsis à cane rabido, sed de cõmorsis ab animali rabido ponere debebant. hæc de inscriptione.

His addo, quòd nonnulli tentantes reddere rationem, cur potissimum ex omnibus animalibus canes rabie corripiantur, dixere hoc fieri; quoniam cum praua huius virus seminaria analogiam, & proportionem habeant ad humores prauos, & melancholicos, canis autem præcipuè sit animal cacochymum, & melancholicum, hinc fieri, vt hi potissimum in rabiem incurrant. quæ sententia ex toto falsa est; nam ante canis rabiem nulla sunt seminaria, per quę hæc rabies cani communicetur, nec ipso rabiente potest referri causa ad canis habitum, seu ad prauitatem humorũ eius naturalem, nec etiam ad id, quòd melancholicum sit animal; quoniã canis habitus, nulla extrinseca causa accedente, non est sufficiens rabiei causa: aliàs omnes canes rabiem incurrerent. cum autem dicunt canem esse animal cacochymum: si de propria specie sit sermo, absurda est dictio; quoniam nec serpentes in propria specie debent dici cacochymi. Si autem dicatur relatiuè ad hominem, non solus canis, sed lupi, & vulpes, & asini, & similia animalia dici debent cacochyma, & ita hoc proprietatẽ canis non consequetur. Quòd autem canis sit animal melancholicum, experientia oppositũ dictat, cum inter bruta ita gestire, colludere, dominis applaudere, blandiri, & in omnibus actibus lætitiam præseferre nullum animal, sicuti canis, videatur. quare nec ratione analogiæ, nec ratione cacochymiæ, nec quia sit animal melancholicũ, asseratur canẽ ex animalibus præcipuè rabie corripi, Quærentes autem causas, propter quas canis rabidus fiat, docent hoc fieri ex immoderata eorum intemperie calida, & sicca, quæ præcipuè in eis introducitur ex inclemen-

Canis cur potissimũ ex omnibus animalibus rabie tẽtetur.

Canis an sit animal cacochymum.

Canis an sit animal melancholicum.

Canis qua de causa rabidus fiat.

tia calidioris cęli. cuius vi cum adurantur humores in canibus, hinc insaniunt, & insaniam hanc rabiem vocari dicunt: hanc sententiam viri celeberrimi admiserunt: sed cum causæ suis effectibus adæquari debeant, notumq; sit experientia, & testimonio grauissimorum virorum etiam extremã hyemem, vehementiaq; frigora rabiem inducere canibus, si cuti & cadauera corrupta, ac putrida, potusq; consimiles, & nonnulla alia abominabilia degustata, & in vsum alimenti ab eis desumpta, nullo pacto asserendum est ex intemperie calida, & sicca, tamquam ex causa propria rabiem canes incurrere. At dices, quæ igitur erit causa, propter quam canes rabie corripiuntur? Declarauimus in tractatu febris pestilentis, in homine aliquando humores corporis nostri, siue hoc fiat ratione alimenti externi, siue ratione causarum internarum, ita corrumpi, vt hinc naturam nobis contrariam adepti deleteriorum venenorum vim, & facultatem consequantur. hoc idem censeo in canibus, cæterisq; animalibus, quæ à rabie tentari possunt, contingere, videlicet, quòd cum in eis nonnunquam eorum humores corruptionem, ingentemq; prauitatem patiantur, hinc euenire, vt in iisdem, cum ex corruptione venenatam naturam, & facultatem eorum humores acquisierint, excitetur, & formetur virus istud, quod petens eorum membra principalia eos in rabiem, tandemq; in mortem præcipitat. Cur autẽ ex corruptione hoc virus tantùm in canibus, & in alijs, quæ huiusce sunt classis, animalibus potissimum generetur, hoc ex proprietate naturæ eorum contingere assero. Quæ proprietas naturæ non in temperamento consistit; quoniam si hoc esset, omnia animalia, quę rabiem incurrunt, eiusdem essent temperamẽtiq; quod non tantum est falsum, sed etiam absurdum; cum enim sicut in homine mores temperaturam sequantur, ità in omnibus his animalibus animi eorum affectiones eiusdem essent ordinis, cuius oppositum sensus dictat, sed consistit in abstrusa, & occulta eorum proprietate,

ac

ac natura, quæ nobis ineffabilis, & imperceptibilis est, ſicuti & cætera omnia, quæ à proprietate aliquid vel patiuntur, vel agunt. Sicuti autem ex corruptione humorũ in canibus, cæterisq; animalibus ex propria eorum natura, & occulta proprietate hoc virus rabidum gignitur, ſimiliter & virus iſtud non conſequitur vllam temperamenti conditionẽ, ſed ſimpliciter eſt venenum à propietate, ac à tota ſubſtantia. hincque fit, vt & à calida, & à frigida cauſa poſsit excitari; quoniam omnia ea, quæ humores horũ animalium in corruptionem deducere poſſunt, facultatem habent procreandi rabiem. Vnde cũ & cęlum calidiſsimum, frigidiſsimumq; pariter (quoniã vtraq; extrema violentiã naturæ inferunt) poſſit vel in corruptionẽ humores deducere, vel corruptos excitare, facilè canes, & æſtate feruentiſsima, & hyeme prægelida rabiẽ patiũtur. quod nõ ex aeris tẽperamento alterãte ſolũ humores procedit; quoniã ſi hoc eſſet, vbi æſtas rabiẽ poſſet introducere, hanc eandẽ hyems nequaquã procreare valeret: nec aeris validæ in contrarium permutationes hoc idem agerent, quæ tamen ad inducendam rabiem experientia teſtante validiſsimæ ſunt; & hoc quoniam tales aeris permutationes facilè eorum humores corruptionem, prauamq; naturam traducunt. hanc humorum corruptionem, violentiusq;, quàm prædictæ cauſę, & cum maiori efficacia in canes inferunt alimenta corrupta, & putrida ab eis deſumpta, potusq; ſimiles hauſti, & nonnulla alia abominabilia, quæ in ſalutem hominum ſub ſilentio continenda ſunt, deguſtata. Hanc ego præcipuam cauſam rabiei canũ cenſeo eſſe, hancq; validiſsimam omnium adnotaui; cum enim omnia, quæ ad hanc materiam faciunt, diligentiſsimè inueſtigauerim, inueni ferè omnes canes rabidos, vel cadauera hominum corrupta, & putrida, vel carnes animalium putreſcentes comediſſe, vel potum conſimilem hauſiſſe, vel alia abominabilia deguſtaſſe. quæ omnia ab eis in alimenti vſum aſſumpta corruptionem humorum ingentem,

Corruptio humorum in canibus vnde cauſetur.

& prauissimam in ijsdem concitare possunt: cuius violentia naturam, & facultatem venenatam humores adepti non ratione alicuius intemperiei validę, quę ab assumptis intro duci non potuit, sed ratione prauæ eorum qualitatis, & merito proprietatis eiusdem canis abstrusæ, sensibusq; nostris reconditæ, virus hoc rabidum in eis excitant, quod factum venenum à proprietate eos in rabiem, & mortem deducit. Hinc non videbitur mirum, si lupus à venatoribus captus, in diuersaq; obsoniorum genera apparatus, & coctus fuerit in causa, vt qui eum gustarint, esitarintq;, rabie non multò post correpti fuerint; quoniam cum virus hoc sit venenum à tota substantia, vi ignis in totum deuinci non potuit, qui tamen omne temperamenti genus nulla cum difficultate domare potest, quiq; omnium rerum, quæ coctionem vi eius recipiunt, qualitates manifestas superare valet. Quare constituo, canes, cęteraq; animalia, quæ rabie tentari solent, non ex temperamenti alteratione, quæ nusquam est sufficiens causa (cum hinc æqualiter ferè omnia hæc animalia deberent morbo corripi) sed ex praua, & ingenti humorũ corruptione, quę ex violẽtia excessus aeris, & ex eiusdẽ validis in contrariũ permutationibus, sed potissimũ alimentis putridis, & abominabilibus ab eis desumptis generari potest, rabiẽ pati: quæ rabies ideò in his gignitur, quoniam cum humores ex corruptione deleteriam, & venenatam facultatem acquisierint; ex his ob proprietatẽ naturæ, & habitudinis horum animalium occultę generatur venenum, quod à tota substantia rabiem inducens ea tandem vita excludit. Quibus signis rabidus canis deprehendatur, non exponam; quoniam in claris non est immorandum, & præcipuè cum hoc exquisitissimè ab omnibus scribentibus declaratũ sit. cuius habitis signis, desumpta ab ijs analogia, facile erit dignoscere, quando cætera animalia, quæ rabiẽ incurrere solent, eadem correpta sint. hæc de canina rabie sufficiant, nunc de humana agamus.

Lupi rabidi caro tosta quare potuit rabiem communicari comedentibus

Rabien'iũ animalium signa.

Anima-

Animalia rabida, quæcunq; eis obuiam fiunt, violenti petunt morsu, tamq; animata, quàm inanimata mordent, canesq; dominum pariter, ac alienos, nulla habita distinctione, feròciter dentibus inuadunt. Ex hoc morsu, qui à morsu nõ rabidi animantis nulla sensibili differẽtia distingui potest, homini per contactum seu dentis, seu saliuæ, & spumæ rabidi animalis eiusdem virus communicatur. qui contactus ad hoc efficax non est, nisi aperta, ruptaue cuti; quoniam hoc virus integra ea existente, altius penetrare non potest. Vlceri communicatum virus per mortem nullum prodit signum perniciei, quam postea illaturum est. sed intro latenter subiens spiritus, sanguinem, humores, ipsasq; solidas corporis humani partes labefactans sensim modò paucioribus, modò pluribus diebus, modò per menses, modò per annos serpit ad principalia membra. quæ vbi attigerit, ad rabiem hominem deducere incipit. nisiq; statim morbo vix apparente, generosa ab arte administrẽtur remedia, patientes per rabiem in miserabilem mortem præcipitat.

Homini quomodo rabies à rabido animali communicetur.

Dum rabiunt homines, cor & præcordia eis villicãtur, mẽtis confusio accedit, labare res circunstantes ipsis videntur, loco stare nequeunt, inordinatè se iactant, oculis toruè aspiciunt, aspectu horrendi sunt, ipsis distenduntur membra, in inspiratione plurimum offenduntur, sitiunt admodum, ac continua querimonia lamentantur. Cum deterius habẽt, in furorem aguntur, spuma ad os eis apparet, dentibus alios petunt, vt canes latrant, vel vt lupi vlulant, dentibus strident, sudant, & conuelluntur. Sed his omnibus vnum maximum accedit incommodum, huic affectioni peculiare, & proprium, quòd aquam, & omnia liquida, & potulenta ita auersantur, & perhorrescunt; vt mortem sæpè facilius, quàm ista, admittant. mirumq; est, quãtum ex sola istorum oblatione agitentur, contremiscant, confundantur, cõcutiantur, angustientur, seque huc, atque illuc iactent, vt vix ab astantibus loco contineri queant. Huius ratione vo-

Rabientis hominis signa.

catus

Rabies quare dicta ὑδροφοβία ab antiquis.

Rabies quid sit.

catus est affectus iste à Græcis ὑδροφοβία, quasi quòd Rabies nihil aliud præcipuè sit, quàm aquę timor. diffinitusq; ab antiquis dictus est appetentia vehemens, atque timor aquæ sine vlla ratione. Author diffinitionum medicarum dicebat esse affectum ex morsu canis rabie furentis, addebatq; fieri cum potus auersione, conuulsione, & singultu, & cum superueniente delirio, cuius delirij meminit etiam author libri de Theriaca ad Pisonem. Alij autem rem hanc breuius perstringentes diffinierunt, hunc morbum esse affectum præternaturalem cum delirio, & aquæ timore irrationali, & vehementi. Horum authorum dicta, si experimento correspõderent, simpliciter admittenda essent, at longè aliter experientia dictat. Quòd homines, vbi rabie correpti fuerint, auersentur, perhorrescant, fugiãtq; omnia liquida, & potissimum aquam, clarum est: sed an ipsam verè timeant, & an timentes timeant sine ratione, & an cum hoc affectu sit semper delirium, conuulsio, & singultus, non ita constat. Pro huius rei euidentia præmittenda est causa, propter quam homines rabidi potum, & omnia liquida auersantur; quo habito, prædicta satis facilè innotescent, ac dilucidabuntur.

Rabidi quare aquã, & liquida auersãtur.

Huius rei causas diuersas prodiderunt antiqui. Alij dixerũt hos aquam auersari, vel quia propriam speciem in ea, tamquam in speculo, rubicundam, toruè tuentem, & ira plenã conspiciunt: vel quia in eadem canis, à quo cõmorsi fuerint, imago appareat, cuius violentiæ, & ferociæ recordati confestim immodico corripiuntur timore, causa hæc est fabulosa, nec vllo experimento comprobari potest, cum rabientes nec in aqua quid videant, vt pluries ego interrogans ab eis audiui, nec aquam solùm, sed omnia liquida, in quibus etiã nulla species repræsentari potest; cuiuscemodi sunt iura, & fercula, & alij turbidi potus, pariter fugiant. Quidã dixere, homines rabientes liquida, & humida formidare; quoniam, mutata eorum substantia, ad summam siccitatem, hincq; arefacta timent omnia humida, tanquam eis aduer-

ſantia, aptaq; ad eorumdem deſtructionem, & diſſolutionem. At ſententia hæc ſenſui contradicit; nam rabientes, dum liquida auerſantur, non propriam temperaturam, an vel humida, vel ſicca ſit, perpendunt, & dignoſcunt, nec ratione, ſed ſenſu ad fugiendos liquores ducuntur. Eam autē inſignem ſiccitatem, quam hi in rabidis hominibus ſupponunt, nec ex pulſu, nec ex habitu, nec ex facie, nec ex alio ſenſibili ſigno (quò ad ſenſum enim in his immutati nō ſunt) ego vnquam deprehendere potui. Quæ tamen, vbi ſumma eſt (vt in hecticis, & maraſmatis) facilè cognoſci poteſt. Nonnulli ab eadem ſiccitate auſpicati dixere hos formidare non ſolida, ſed liquida; quoniam hæc ſua ſubtilitate ingredientia meatus ventriculi exſiccatos, valde eos lædūt. ad cuius læſionem conſentientibus cerebri membranis, læditur imaginatio, quæ poſtea eſt in cauſa huius formidinis. Opinio hæc ſupponit maraſmatum ventriculum, eiuſq; penetrationem, cuius ratione lædatur, à liquidis, quę à veritate longè diſtant, cum tantæ ſiccitatis ventriculi nulla ſint ſigna: nec ea penetratio, ſi detur, poſsit tantam afferre læſionem, vt humida indè auerſentur, aliàs in maraſmatis, & in his, in quibus hectica eſt ventriculi, ſimilis fieret penetratio, ſimiliſq; læſio; cuius oppoſitum experientia docet. Alij probabilem adducentes cauſam dixerunt, quòd cum in rabie correptis ſpuma circa os obuerſetur, & corde liqueſcant, ſi his liquida offeruntur, phantaſia in eis excitat imaginationem liquidi ipſos extinguentis, cum ex paruis occaſionibus in ægris horribilium imaginatio excitetur, vt in febricitantibus apparet, qui ex paruis lineamentis parietum imaginantur animalia ſæua, vnde timent, & clamant: ad cuius cōformitatem ex imaginatione huius liquidi extinguentis dicunt excitari in rabidis formidinem humidorū. Porrò pulcherrima eſt hęc ratio, & ſatis probabilis, non tamen admittenda; quia ſpumam circa os non omnes rabientes habent. & qui habent, tantùm in vltimis horis habent. attamē

In rabidis an ſit ſumma ſiccitas.

Rabidi nō ſemper habēt ſpumam circa os.

antequam

antequam ſpuma ad os eorum obuerſetur, liquida abominantur, qua de re hoc non poterit eſſe ob imaginationem excitatam à phantaſia, mota à cauſa externa. Hi rem iſtam altius perſcrutantes aliam aſsignant rationem, dicētes, quòd corpora exſiccata, dum naturam propriam adhuc retinent, humidum quidem appetunt: ſed ſi eò res deducta ſit, vt propter nimiam ſiccitatem formam connatam, & naturalē amplius non conſeruent, ac ab ea ceciderint, non tantùm nō appetunt humida, ſed ea, vti cōtraria, abhorrent, & reſpuūt, ſicuti in morituris apparet, in quibus cū extincta ſit viſcerū natura, cibum, & potū renuunt, nihilq; quod eos alere poſſit, admittunt, omnia ſimilia, tamquam moleſta, & horribilia à ſe abdicantes. quod idem cum ſit in rabie correptis, videlicet, quòd cum his viſcera, & cætera principalia membra adeò exſiccata ſint, vt amplius naturā propriam non conſeruent, ſed ferè extincta ſint, hinc ſequitur, quòd omnia humida, & liquida abhorreant, & abominentur. Ratio hæc nihil dicit in caſu noſtro; cū enim vniuerſalis ſit, vniuerſaliter etiā concludere debet; quoniā vbi natura viſcerum extincta ſit, nō modò liquida, ſed etiam ſolida abhorrere debent. ſicuti in his, qui propè mortem ſunt, in quibus non potus tātùm, ſed & cibus, & omnia oblata, cuiuſcunq; ſint generis, reijciuntur: at in caſu noſtro ſolum liquida, & potulenta auerſantur ægri, cum ſolida accipiant, & aliquando auidè petant, & aſſumant; cuiuſcemodi in nonnullis vidi rabientibus, qui panem, & carnes, præcipuè autem ſaccarum in maxima quantitate, dum rabie cruciarentur, aſſumebant: quod tamen ſaccarum, ſi in vino, vel in iure, vel in aqua diſſolutum offerebatur, pariter & aquam ſimplicem auerſabantur. Quare cum hi ſolida cibaria promptè aſſumant, hiſque interdum delectentur, indicium ſit in his viſcerum propriam naturā nō extinctam eſſe, ſed conſeruari adhuc. cuius ratione cibaria ſolida appetunt, & aſſumunt. qua de re nec hæc erit aſsignanda cauſa, cur aquam, & omnes

Rabidi aliquā do ſolida alimenta libēter ſumunt, et petunt.

nes liquores rabie detenti abominentur. Exclusis tot grauissimorum virorum sententijs, quid in hac re sit sentiendũ, difficile est affirmare. si tamen ego ad hoc probabilia, & quæ vel nullam, vel minimam patiantur contradictionẽ adduxero, satis mihi fecisse videbor, alijs rem istam demonstratiuis rationibus discutiẽdam relinquẽs. Declaratum est, virus animantium rabidorum nullum consequi peculiare temperamentum, sed esse venenum à tota substantia. hoc vbi homini fuerit communicatum, latenter absq; noxæ sensu labefactans humores, pedetentimq; per partem post partẽ permeans, quàm primũ membra principalia attigerit, ea vellicat, maximoq; cruciatu affligit, sitim inducens. quo tempore si patientes quid liquidi hauserint, vltraquàm credi potest, maximam persentiunt læsionem, admodumq; ex eo potu internè cruciantur. Hoc non alicuius temperamenti ratione fieri potest (quoniam siue calida, siue frigida assumant, omnia pariter, cuiuscunq; sint facultatis, & temperamenti, æqualem proferũt molæstiam) sed ratione propriæ naturæ veneni. quod sicuti est venenum à tota substantia hominem lædens, ita antipathiam quandam ad omnia liquida habet, per quam ita à liquidis exasperatur, efferaturq;, vt inde maiori ferocia exultans sæuius petat, & cruciet internas partes. hanc noui ego causam, propter quam à principio abhorreant liquida; quoniam omnes vnanimiter assenserunt se à liquidis admodum lęsos prius fuisse. post quam læsionem adeò omnes liquores deinde abominati sunt, vt etiam ex eorum oblatione, & solo visu eundem, & aliquando sæuiorem passi sint cruciatum. Quod non sit mirũ. cum enim re vera hi lædantur à liquidis epotis, facile erit, quòd ad eorumdem oblationem, & visum idem sequatur incommodum, cum percepta iam læsione ex vero potu, ad oblationem tantùm, & ad eius solam imaginationem hoc subsequi possit propter maximum consensum, quem habet ventriculus cum rebus vel visis, vel imaginatis. Cuius consensus

Rabidi quare aquam, & liquida auersantur.

Rabidi quare ad oblationẽ, & visum rerum liquidarum lædantur.

ſus merito videmus ſæpe ob viſas res abominabiles, & fæti das multos vomitum incurrere, in quem pariter aliqui inter dum ex ſola imaginatione incidunt, in alijsq; ſubuertitur vẽtriculus ex ſolo audito ſermone de ijſdem rebus. cuiuſcemodi etiam nouimus multos, qui vel videntes, vel audientes alios comedere, ſeu ſermonem habere de comeſtione fructuum acidorum, & auſterorum, perſentiunt ſibi ventriculum commoueri, indeq; eis reſudante humore ex ventriculo ad gulam, os humida ſaliua repletur, & indè plura ſputamina fiunt. Quapropter cum tantus ſit conſenſus inter vẽtriculum, & res viſas, ſeu imaginatas, non ſit mirum, ſi prę uia exiſtente læſione, nõ tantùm liquida abominantur, ſed etiam eorundem viſionem tolerare non audeant, cum ex ſolo aſpectu eandem ferè calamitatem in ventriculo, & partibus internis perſentiant, quam ex vero potu perciperent.

Rabidorum virus non ſolum à liquidis aſſũptis, ſed etiam oblatis, & uiſis exacerbatur.

His addo, virus iſtud venenatum tantùm habere antipathiam ad liquida, vt non modò ab aſſumptis, ſed etiam ab oblatis, & viſis liquoribus exacerbetur. cuius merito videmus patientes in tali ſtatu conſtitutos, ſi ſæpius cogantur, tententurq; liquida aſſumere, & eiſdem eadem ſępius offerantur, citius perire, quàm illos, quibus iſta non offeruntur: cuius rei ratio eſt; quoniam in eis ex liquidorum aſſumptione, vel oblatione ſemper magis efferatur venenum. qua de re hoc ſæpius agitatum, & ſtimulatum, ferocius agendo mortem accelerat. Nec mirum ſit alicui, per ſolam oblationem liquidorum poſſe venenum internum exacerbari, cum inanimata quędam coram his, quibus cum antipathiam naturalem habent, ex ſola præſentia à propria forma immutentur. hinc cornu Vnicornis, & cornu, vel linguã ſerpentis oblato veneno ſudare, lapidem praſſinum, Plaſma dictum, eodem præſente, ſplendore proprio priuari videmus. quòd ſi in corpore inanimato hæc ſunt poſsibilia, cur venenum in corpore animato, in quo propriam exercet facultatem, non poteſt oblatis his, ad quæ antipathiã à ſub

ſtantia

stantia habet, vim suam acuere, magisq; patientes cruciare? sed quid magis? Apud nos per longa tempora obseruatũ est, quòd qui cõmorsus à rabido animali ante exactum annum tetigerit vel plantam cornus, vel sanguinariæ, ineuitabiliter incidet in rabiem. proditum etiam est eosdem, si sub sorbo dormiant, rabie corripi: ex quibus duo clarè habemus, alterum, quòd hoc virus à tota substantia, non ratione temperamenti agit; quoniam nec à tactu, nec ab vmbrà intemperies introduci potest. alterum, quòd hoc venenum, si dum sopitum est, excitari potest ab his, cum quibus antipathiam habent, tantò magis ab his exacerbari poterit, quibus, dum viget, actuq; lędit, eandem habet. Cuius antipathiæ nulla alia porest manifesta causa explicari, quàm ea, quæ omnibus his, quæ à propria substantia aliquam peculiarem facultatem habent, est communis; videlicet quòd à proprietate hoc agant. Vnde quemadmodum, quare cantharides vesicam, lepus marinum pulmonem, solatrum maniacum cerebrum lædant, nulla potest assignari alia ratio, quàm quòd à propria, & innata, & occulta facultate, non à manifesta, hoc habeant; ita cum hæc in rabidis læsio interna à liquidis rebus, eorundemq; auersio, & abominatio consequatur hoc venenũ à proprietate, nulla potest certa reddi, & manifesta ratio. Quemadmodum etiam, quare qui lepus marinum hauserunt, omne genus piscis auersantur, abhorrentq;, cum hoc ex proprietate veneni fiat, nulla potest naturalis causa adduci. Tantaq; huius proprietatis, & antipathiæ efficacia est, vt viderim cantharides non tantùm assumptas, & appositas, sed etiam exterius delatas vesicæ læsionem intulisse, sicuti & aquam exterius oblatam hoc virus rabidum exacerbare videmus, quarum rerum rationẽ quis naturalium manifestam reddere posset? At videmus etiam in naturalibus rebus nulla præsente venenosa, nec virulenta materia, ad solam oblationem alimentorum, quæ auersentur patientes, interius homines valdè affligi. hoc pateat

Morsus à rabido animali si tetigerit cornũ, vel sanguinariam, incidet in rabiem.

Morsus à rabido animali si dormiat sub sorbo, rabie corripitur.

Ad oblationẽ corũ, quæ auersetur homines eosdẽ interius affligi.

teat exemplo mulierum vtero gerentium, & virorum abstemiorum; nonnullas enim ego vidi mulieres grauidas, quę cum ex mala ventriculi affectione odissent carnes, ex sola earum oblatione in lypothymiam incidebant. quod non ex alia factum est causa, quàm ex antipathia, quam habet humor prauus in ore ventriculi in eis collectus ad carnes ipsas, sicuti & ex eiusdem sympathia ad alias res abominabiles, & alere ineptas vidi alias appetere, & comedere gypsum, alias calcem, alias carbones, alias vidi appetijsse, & comedisse carnem crudam. harum rerum causa est ex materia. In abstemijs autem, quorũ vidi nonnullos ex solo vini odore in syncopem incidisse, hoc factum est non ratione materiæ, sed ratione proprię naturę ab intimis substantiæ suæ facultatibus vino aduersantis. similiter ad horum conformitatem rabidi homines liquida auersantur, non ratione vanæ imaginationis, sed quia valde ex his læduntur ob antipathiam, quam habet hoc virus cum illis. Sed quid magis? Rabidi cum deterius habent; non modò ex assumpta, & oblata aqua, verum etiam vbi sonitum eius audierint, vel aliquis de ea coram ipsis sermonem habuerit, cruciantur, & læsionem sentiunt: quod non tantùm ex antipathia, sed etiã ex forti patientium imaginatione, per quam venenum internum excitatur, fieri potest, quę fortis imaginatio quantũ à rebus venenatis causata possit, ex hac pateat historia.

Rabidi cũ deterius habent, sonitum aquæ, vel sermonem de ea audiẽtes cruciantur.

Exhibitus fuit in ferculo puluis cuidã adolescẽti, qui ex eo in maximam incidit corporis iactationem, & in pruritum adeò molestum, vt vnguibus se laceraret, superuenitq; totius corporis tremor, & videbatur animo linqui. dubitarũt parentes de veneno, ego ad hunc accedens vidi eum maximè vociferari, altaq; voce inclamare, conquerentem se à patre tunc pręsente fuste percuti, in locoq; dolente statim apparebant pustulæ rubicundæ, ac si quis verè eum flagello cæderet, fugamq; indè quærebat, ac si è patris manibus fugere voluisset, nisiq; ab astantibus vi detẽtus fuisset, ex præcipiti

Historia pulueris mentem lædentis exhibitæ.

cipiti loco se dedisset, vt indè exiliret, hoc videns iussi, vt pater indè abscederet: quo remoto, non amplius se percuti, sed percussum fuisse, alta voce conquerebatur. cum autem denuò pater dolore filij anxius ad eum consolandum rediisset, statim iterum se ab eodem percuti altius clamabat. tādem remoto patre, cum per spatium trium horarum conquestus fuisset, ostenderetq; astantibus sæpè flagelli vestigia, vibicesq;, ac liuores, nullo adhibito remedio præter copiosum potum vini generosi (nullum enim aliud, omnia renuens, admisit) spontè incidit in profundissimum somnum; qui per mediam diem, & noctem integram perseuerans soluit hunc affectum superueniente copiosissimo sudore, vnde expergefactus sanus quidem, sed ferè mente stupidus euasit. Hinc pateat, quantum fortis imaginatio polleat ex uenenatis pharmacis causata. quæ cum fortissima sit in his, qui rabie cruciantur ob virus illud, non mirum, si ex solo aquę vel sonitu, vel sermone aliquando affligantur. His causis alteram addo, quæ si minus omnibus prædictis probabilis videatur, tamen vera erit. sciant omnes vim deglutiendi in rabidis hominibus prępeditam esse, & hoc ratione materiei pituitosæ, crudę, viscidæ, & virulentæ, gulam totam vsque ad fauces occupantis, non tamen omninò eam occludentis, à qua eleuatur, & resudat, cum deterius habent, ratione magnę cōmotionis, concussionis, agitationis, & vellicationis viscerum spuma ad os rabientium. hinc timēt isti extingui, & suffocari ab assumptis, præcipuè autem aliquibus succis, & omnibus potulentis. quapropter & hæc maximè omnium rerum potissimum abominantur, cum hæc difficilius deglutiantur, quàm solida, & ab his materia illa in via existens magis agitetur, indeq; magis deglutioni resistat: qua de re oppressa aspera arteria, suffocationis periculum impendet. quam lęsionem rabidi persentientes etiā liquida hinc præcipuè abhorrent, tanquam ea, à quibus suffocari debeāt, & quæ deglutire vix possint. interrogati .n. vt

Rebidi homines habēt vim deglutiēdi quo quo pacto impeditam.

pluries ego expertus sum, cur bibere non audeant, potúq; omnē fugiant, respondēt potulenta nec posse penetrare, nec permeare fauces, gulamuè ob eorū magnā angustiam, & cō strictionem. At quispiam parum in operibus naturæ exercitatus dicet. si ratione deglutionis læsæ incederet his timor liquidorum, potius solida, quàm hęc, formidare deberent; cum facilius liquidiora, quàm solidiora, ob substantię tenuitatem ingerantur: sed nouerit hic, quòd vbi degluciendi virtus impediatur non ratione tumoris, vlcerisuè, aut alicuius alterius instrumentalis morbi substantiam gulæ occupantis, sed vel ratione intemperiei, vel alicuius virosæ qualitatis facultatem oppugnantis, difficilius liquida, quàm solida ad ventriculum demandari; quoniam vbi quid degluciendum est, arctius gula constringi debet, vt contangens rem deglutiendam, quasi manu per fibras eam ad inferiores detrahat partes. vbi autem læsa hęc fuerit, facultasq; eius labefactata, non ita arctè constringi potest: cuius ratione tunc temporis (quoniam in absorbendis liquidis arctius adstringitur gula, quàm in assumendis solidis cibis) difficilius liquida, quàm solida degluciuntur. quod eò difficilius est in casu rabientium, quò in eis præsto est ea virulenta materia, obstruens partes illas. Tot igitur sint causæ, quare homines rabie correpti aquam, & omnem potum auersantur. Ex quibus pateat rabientes liquida omnia abhorrere non ratione vani timoris, nec merito alicuius falsæ imaginationis, sed quia verè, & sensibiliter ab his non tantum assumptis, sed etiam oblatis interius admodum læduntur, & cruciantur: qua de re præcipuus huius morbi character non erit aquæ timor, quemadmodum antiqui opinati sunt eum ὑδροφοβίαν appellantes, cum hi non aquam timeant, sed læsionem, & cruciatum internum ab aqua inductum, sed verus character erit ad humidorum assumptionem, vel oblationē magnoperè lædi, & angustiari, adeoq; affligi, vt hæc perhorrescant, & abominentur, ab his se suffocari putantes, vt

Rabidi an potius liquida, quàm solida ratione impeditæ deglutionis abhorrere debeant.

Rabientes aquam abhorrere non ratione vanitimoris

Rabies verus character.

hinc ea fugiant. Quapropter, vt rem concludam, vel in rabie non erit timor aquæ, cum aquam non timeant rabidi homines, immo valdè sitientes eam admodum desiderant: quam tamen, & vnà cum ea omnia liquida tantummodò auersantur ob læsionem in internis partibus ab eis assumptis, vel oblatis excitatam: quam læsionem si sensibiliter, eamq; validam non persentirent, aquam, & omnia liquida ob præsentem sitim libentissimè admitterent. Vel si in rabie aliquis aquæ ponendus est timor, quem succedere ob læsionem, non ob aquam, admitterem, saltem irrationalis, vt omnes sensere, non erit dicendus, immo maximè rationalis erit; cum enim ab ea vel assumpta, vel oblata persentiāt se admodum cruciari, eamq; ipsis aduersari animaduertant, si eam timent, iure, maximaq; cum ratione timent, non secus, ac sanus homo res virosas, & abominabiles noxam ab eis inferendam animaduertens timeat, auerseturq;, cum ei oblatæ fuerint. hæc de timore aquæ, & omniū liquidorū.

In rabidis an sit aquæ irrationalis timor

2. An autem in rabie sit delirium, hoc non rationibus; sed particularibus experimentis est declarandum. Non possum quidem ego negare, me nonnullos vidisse rabientes, qui nō tantùm delirarent, sed etiam furerent. plurimos tamen sció mente semper vsque ad vltimam vitæ horam constitisse, cuius meritò non possum delirium huius morbi pathognomicum signum constituere. quòd si à viris grauissimis aliter asseratur, hoc fuit, vel quia huius rei experimentum ipsi non habuere, vel quia tantummodò delirantes rabidi ipsis curandi se obtulerunt. Ego autem testor me vidisse & illos, in quibus nulla vnquam minima fuit delirij suspicio; immo persuasi ad bibendum dicebant, claudatis mihi oculos, ne videam, & omni conatu conijcite ad intra os aquam, & omnia alia, quæ in potu prodesse possunt. cumq; dentibus fremerent, moreq; canum alios morsu petere ob virus rabidū cogerentur, precabantur astantes, vt eos validè continerēt, ne è manibus eorum ad aliquem mordēdum exilirent. eos-

An in rabie sit delirium.

demq; admonebant, vt ad os eorum manum, vel aliam corporis partem non admouerent, nè ex ea propinquitate cogerentur eos dentibus petere. hos eosdem propriam miseriam, & calamitatem lamentari noui, conquerentes morbi principiũ non validè oppugnatum fuisse, seque in omnibus Deo maxima cum cõmiseratione commendãtes, ab eo peccatorum veniam, & vitam æternam implorantes audiui. hæc & similia vidi. quibus experimentis plena fide testificor, delirium necessariò rabiem non consequi.

An in rabie sit conuulsio.

De conuulsione autem, quam author diffinitionum Medicarum ponebat rabiei coniungi. sciendum est rabiem sine conuulsione sæpius videri: in qua tamen rabie distensio neruorum, & membrorum magna adest. distẽduntur enim sæpè, motumq; patiuntur pandiculationi similem. quẽ aliqui obseruantes forsan credidere conuulsionem esse, cum tamen conuulsio non sit, sed quædam membrorum distensio violẽta, & nõ continua, similisq; pandiculationi. conuulsionem tamẽ veram in nonnullis etiam noui factam vltimis horis cum maximo dentium stridore, genito ob musculorũ temporalium conuulsionem compatientium ratione cerebri affecti. Singultus etiam est signum non perpetuũ, nec omnibus commune, sed in aliquibus tantùm apparet, & hoc cum pessimè habent, morteq́ appropinquante postridie, vel eadem die perituri sunt.

Distensio neruorum rabies propria.

In rabido an sit singultus.

Visis symptomatibus rabiem consequentibus, ex quibus clara supposuimus, obscura declarauimus; reliquum est, vt prospiciamus, an affectio ista, vt docuit Galenus ex antiquorũ Medicorũ sententia, quam omnis posteritas sequuta est, in intemperie calida, & sicca, solidas hominis partes occupãte, in illisq; in habitum redacta consistat. Opinio hæc, quæ nulla fulcitur ratione, non minimam patitur difficultatem; quoniam & sensui, & rationi contradicit. Sensui quidem, quoniam nullus rabientium à proprio habitu, & temperamento ex aspectu immutatus apparet, cum nec in colore, nec

Lib. 2. prorrhet. com. 17.

Rabies an consistat in intemperie calida, et sicca.

nec in mole corporis,nec in facultatibus, nec in affectionibus, nec in vllis accidentibus sensibilibus, antequàm rabiẽ incurrant, vllam mutationem subierint. Rationi autẽ,quoniam ex hoc supposito sequitur,intemperiem inęqualem esse insensibilem,& innocuam; æqualem autem, & hecticam manifestè dolorosam, & sensibilem esse. Cuius tamen oppositum Galenus ipse docuit, experientiaq; dictat, à quibus habetur, quòd, dum fit alteratio, persentitur id, quod alterat. cum autem alterata sunt corpora, & intemperies est in habitu, nec sensus,nec dolor adest;cuius meritò hectici, nec febrire se sentiunt,nec ex ea dolent. Nec si dicas, intemperies ista sensim introducitur, ideò,quamuis inæqualis existat, indolens est; cum ea,quæ dolorem inuehunt, confertim agere debeant,difficultatem tolles; quoniam licèt nõ esset dolor, esset tamen aliqua sensatio illius permutationis; quoniam etiam in his, quæ sensim fiunt, licèt omnis absit dolor,tamen aliquis est sensus illius alterationis in corpore. Vnde qui ex intemperie frigida ad calidam sensim transmutãtur, temporis processu se calidos sentiunt; at homines rabientes, nec dum ad eandem disponuntur, nec dũ eadem corripiuntur, vllam talem sensationem persentiunt. præterea vbi in corpore humano introducta est aliqua intemperies insignis, eiusdem signa adsunt, nulla autẽ huius in tali casu indicia intemperiei reperiuntur.His alteram addo rationem manifestam. si hæc affectio in intemperie calida, & sicca consisteret, possent patientes per refrigerantia,& humectantia, sicuti per balneum aquę frigidæ,præseruari. quod nedum est falsum (cuius ratione in præseruatione nulli scribentium eius meminere) verum etiam totum oppositum operatur; cum per id venenum hoc introcludatur, & ad intimas partes violentius impellatur, sicuti omnia refrigerãtia exterius applicata hoc idem facere possunt. Quare intemperies hæc à rabie excludatur, & quemadmodum hęc, pariter & reliquæ omnes, quæ minorem analo-

giam ad rabiem habent,non admittantur in casu isto, tanquam eæ, in quibus rabiei essentia consistat.

An rabiem febris cõcomitetur.

Febrem validam concomitari rabiem, nonnulli docuerunt; alij paruam, & minimã dixerunt, cęteri autem nè huius quidem meminere. Non ratio, sed experientia discrimẽ hoc dirimere debet. Quidam commorsus à cane rabido vlcere iam sanato, in remediumq; veneni nullo adhibito præsidio, nisi pane,& aqua benedicta, vti consueuere vtplurimum nostri homines facere, à quodam sacerdote assumpta, exactis duobus mensibus, passus est ex vehementissimo ictu contusionem ingentem in imo ventre; hinc cum malè haberet,febre valida deprehensus est, simulq; paulò post rabie correptus tertia die delirans,furens, & insigniter febricitans, omniaq; symptomata rabientium patiens,miserè vita functus est. Mulier quædam cuius historiam inferius enarrabo, semper cum hac affectione febricula detenta est vsque ad mortem. Reliquorum rabientium,quos ego viderim, neminem sensi vlla conflictari febre, nec huius adesse suspicionem, nè dixerim signum,obseruaui. Hinc colligo rabientes ratione proprij virus non febricitare; si autẽ aliquando febriant, hoc ex corporis præuia altera indispositione fieri.

Rabida animalia vltra morsum an per aliam viam possint virus cõmunicare.

Animalia rabida per morsum homini proprium virus cõmunicare,omnes tradiderunt.an autem alia via eundem inficere possint, non ità constat. Quidam sensere canis rabientis saliuam,si humanum corpus tantùm contigerit, rabiem excitare posse,quod tamẽ nequaquam verum est, nisi aperta, fissaue cuti.non enim venenum istud eius est efficaciæ,vt per solum contactum hominem cute integra inficere queat. immo in aliquibus hoc est adeò debile, & segne, vt etiam per morsum non possit cõmunicari. hinc vidimus multos à cane rabido commorsos,qui etiam nullo auxilio euasere, & à rabie præseruati sunt.non enim omnes, quos petit canis, rabiem incurrunt,sed eos tantùm, quorum vlcera mul

ta saliua madefecerint, incidere in hanc affectionem ex patientium relatione obseruaui, cum enim virus hoc segne sit in penetrando, & in agendo, similiter, nisi notabilis sit quătitatis (quoniă etiam deleteria pharmaca in minima quantitate nihil lædere, sicut nec scintillæ ignis vrere possunt) vlceri non ita adhærere potest, vt altius permeare queat. hincq; multi à cane rabido commorsi nulla cum difficultate saluantur; illos autem, nisi valida administrentur remedia, vix præseruare queas. Quod saliua ista per vlcus aperta cuti facere potest, idem efficatius aget, si quis eam delibauerit. vbi enim labia, vel linguam tetigerit, facillimè penetrando rabiem introducet in hominem. ex quo casu narrat Hieronymus Cardanus Patritiŭ Mediolanēsem rabidŭ euasisse, cum rabientem canem, quem suffocandŭ destinauerat, osculasset. Ex consimili causa notat Cælius Aurelianus, Sartricem quandam, cum vestem à rabido cane cōmorsam ore, & lingua ad eam sarciendam contrectaret, hunc morbum incurrisse. quod non ex alia potuit fieri causa, quàm ex spuma pāno immixta, & ab ea delibata. huiuscemodi autem patientes, licèt citissimè validissimis curentur antidotis, & medicamētis, vix mihi persuadere queam, præseruari posse. quod tamen nequaquam impossibile esse attestor, cum etiam aliqua nouerim antidota, quæ deteriora, & validiora venena superare possint. hoc tantùm sit dictum, vt patientes, Mediciq; manifestum, & imminens conspiciant, & animaduertant periculum. An autem ex solo afflatu canis rabidi, & ex eiusdem solo contactu, & contrectatione possit homini cōmunicari rabies, vt notat Cælius Aurelianus, dixerim, me contactum, & contrectationem solam ad hoc impotentē existimare, qui nouerim sæpè eiusdem morsum ad hoc per agendŭ inualidŭ fuisse. Inspirationē autē nō ita facilè excludo, cŭ huius virus possit tanta esse analogia ad cerebrŭ, vt ex sola inspiratione, & odoratu ei labes ista impartiri possit, cuius tamen rei vllam nec vidi nec audiui experientiam.

Rabies per saliuam ore delibatam communicari potest.

Rabies an per solŭ contactŭ, vel afflatŭ possit cōicari.

Rabies quare tardat à morsu per menses, & annos.

Hoc virus per morsum homini communicatum adeò segniter agit, vt perniciem, quam illaturum est, non ita citò proferat, ac manifestet. hinc aliqui ad dies plures, alij ad menses, aliqui anno exacto rabie corripiũtur, in nonnullisq; proditum memoriæ ab antiquis habemus, hunc morbum ad quintum, septimum, & duodecimum annum dilatum fuisse. cuius rei si ratio perpendenda est, hæc erit. Venena deleteria, & quæ toto genere humanæ naturæ aduersantur, à calore nostro vnquam nec euinci, nec superari possunt, sed vel hausta, vel eiaculata in corpore humano existentia semper agunt, vitam oppugnantes, in perniciemq; tandem hominẽ ducunt. Actio ista aliàs citò, aliàs tardè perficitur. huius diuersitatis ratio ex duobus pendet, videlicet vel ex violentia, seu imbecillitate agentis, vel à fortitudine, seu debilitate patientis. Ratione agentis nouimus idem venenum, modò suam actionem citissimè, modò longo tempore edere ex eiusdẽ violentia, vel maiori, vel minori; hinc videmus, si sub sole ardenti, media æstate, vigente Canicula, quis à nõ cicurato aspide percutiatur, statim interire; qui idẽ si hybernis tẽporibus cicurato existente aspide feriatur, tardè peribit. hoc venifici agnoscentes venenũ id, quod velociter, paucisq; horis, vel diebus hominem enecare posset, ita præparant, vt idem remissa eius violentia longiori tempore efficiat. Ratione patientis, multos nouimus, qui eodem assumpto veneno, diuersis temporibus extincti fuerunt; quoniam ad omnem actionem patientis dispositio requiritur, cuius merito imbecilla corpora citius, fortia tardius à veneno necantur. His stantibus dixerim, cum ex sui natura virus rabidum in agendo segne sit, nullo pacto ex morsu posse citò agere. cur autem in aliquibus citius, in alijs autem tardius rabiem introducat, hoc ex patientis dispositione fieri assero. huius merito eorum, qui ab eodem cane cõmorsi sunt, alios vidimus duobus, alios quatuor mensibus, alios tardius rabie correptos fuisse; quoniam illi imbecilliores, isti

fortiores

fortiores existentes pro ratione dispositionis virus admisere. cum autem quædam corpora à natura robusta sint, partesq; solidas ita formatas habeant, vt facilè externis resistant causis, si his communicatum sit virus istud, quod sui natura segne, & tardum est in agendo, actio eius diu in eisdem protrahetur. cui si forte addatur, quòd victu hi vtantur, qui venenum hoc hebetare possit, eiq; resistere, sicuti est vsus vinorum potentium, radicum, & herbarum acriorũ, gulæ indulgentia, & satietas, in his per multum temporis potest tardari rabies. quoniam cum venenũ semper aliquid malè disponendo agat, sed robore corporis, & victus ratione reluctante ulterius progredi non ita facilè queat, res ad actum vltimum non, nisi per multum temporis spatium, deduci poterit. vnde in his, & per menses, & per annos poterit tardari rabies: quę tamen, nisi virus illud potentibus, & validissimis antidotis superetur, ineuitabiliter succedet; quoniam hoc venenum vi naturæ nec excludi, nec expugnari potest, sicuti & cætera deleteria, quæ nunquã à calore nostro superantur: cuius ratione nec è corpore ex naturæ operatione excernuntur, nec quò ad facultatem virulentam euincuntur.

Virus istud, quod in tot generibus animantium procreari, hominiq; per ea impartiri nouimus, considerandum est, an in homine ipso, nullo extrinseco accedente contagio, à principijs internis fieri possit. Dictaret ratio quidem, cũ omnium assensu venena deleteria in homine generari possint, etiam hoc virus non excludẽdum esse, non magis distante homine à fera, & serpente venenum eiaculãte, quàm ab animalibus, quę in rabiẽ procliuia sunt, immo maiorẽ cum his, quàm illis, analogiã habente: tamen cũ nulla antiquorũ authoritas hoc attestata sit, qui semper rabiẽ ex contagio, non spõtè homini accessisse docuerunt, nõ videtur hoc ita facilè admittendum esse, Si tamen experientia difficultatem istã dirimere potest, dicam, quid viderim ipse in particulari casu,

Rabies à principijs internis an in homine generari possit

fu, quem nunc explicabo. Mulier annum agens trigesimũ sextum, febre languens me ad eam curandam accersiuit; inuenio eam febre pestilenti detentam, curationem aggredior, sanitatiq; restitutam die vndecima eam relinquo. totidem diebus interpositis dysenteria admodum dolorosa, addita febre, affligtari cæpit. me iterum aduocat, morbũ oppugnare incipio, septemq; diebus morbum supero. febricula quædam remansit, quam cum curare delibero, superuenit mulieri maxima omnium liquorum auersio, tantaq;, vt non modò, quæ ipsi offerenda erant tum medicamenti, tum cibi ratione, perhorresceret, & abominaretur, sed etiã, vt astantes (nam media erat æstas) etiam bibentes coram ea sustinere non posset. hanc rabie correptam ex hoc solo symptomate deprehendi, quod adeò deinceps auctum fuit, vt nihil admitteret, etiam in thalamo, liquidi asportandum esse. & non modò potum simplicem, sed etiam omnia cibaria liquida abominaretur. cumq; solida alimenta ratione febris, & longitudinis morbi non ita facilè admitteret, in virium prostrationem delapsa est; non tamen citò periit, sed vltra septimam producta est à die, in quo humida auersari cæpit, octauaq; die defuncta est. in qua muliere nullum aliud symptoma ex his, quæ retulimus cōcomitari rabidos, fuit, præterquàm liquorum omnium auersio, menteq; semper constitit. nec de vllo vnquam conquesta est, nisi cum liquida admonerentur. quo tempore adeò affligtabatur, vt horrendum quid esset ipsam conspicere. reliquo tempore semper quieta fuit, interrogataq; à me, an vnquam à cane rabido cōmorsa fuisset, certò affirmabat, nunquam se à cane nedũ rabido, sed nec etiam sano tactam fuisse, cum nec domi vnquam canem educasset, nec externis vnquam communicasset. Mater autem præsens interrogata à me, an meminisset filiam, dum puella esset, & in ætate infantili, cuius ratione ipsa non recordaretur, vnquam commorsam ab vllo cane, attestabatur certissimè filiam nihil tale vnquam passam

sam fuisse. Quare hinc dubitare cæpi, an homo à principijs internis posset rabiem incurrere. cum enim hic de contagio nihil constaret, hydrophobiaq; ista non esset coniũcta cum his symptomatibus, quæ rabidos homines à rabientibus ani malibus cõmorsos concomitari consueuere, suspicatus sum factum esse à causa interna, & cum non fuerit communica-ta à furente, & rabida bellua, ideò eam extitisse cæteris mi-tiorem: nisi dixerimus remissam fuisse eius perniciem ob an tidota assumpta in curatione pestilentis febris, & propter notabilem prauorum humorum in dysenteria excretorum euacuationem. Vltra hanc experientiam ad idem suspican-dum me persuadebat Cælij Aureliani authoritas, docentis certò fieri nonnunquam in homine rabiem absque manife-stâ causa, Soraniq; historia narrantis se vidisse infantem vbe ra expauescentem nullo præcedente contagio, ad hoc idem arbitrandum me admonebat. Quid tamen in hac re sit sen-tiendum, certoq; affirmandum, ego non decernam: sed cæ-teri his propositis, animaduertant, iudicentq;, an homo à causa interna, nullo accedente cõtagio, posit ex se rabiem incurrere.

His ad declarandum huius affectus essentiam pręhabitis (ex quibus pateat, rabiem, nõ timorem aquæ irrationabilem esse, sed affectionem præternaturalem à uiru rabidi anima lis ex proprietate agente concitatam vnà cum auersione li-quidorum omnium ob læsionem ingentem, quam ijsdem assumptis, vel oblatis persentiunt patientes) reliquum est, vt ad curationem descendamus, eiusdem signis prius de-claratis, & expositis. non cogniti enim morbi nulla fidelis, & opportuna potest esse curatio. Signa hęc in triplici sunt differentia; alia futuri, alia præsentis morbi sunt, alia vel sa-lutem, vel mortem prognosticãtur. Per hæc signa futurã rabiem in his, quos cõmorsos nouerimus à rabido animan-ti, deprehendemus, videlicet, vbi in patiente insolita fuerit anxietas, impotentia ad omnem actionem, iracundia, siue *Rabiei futura signa.*

causa,

causa, stomachi vellicatio, mentis conturbatio, timor sine ratione, somni perturbati, aquarum abominatio, pluraq; alia similia accidentia. Sed vltra hæc signa vnum ego præcipuum, & infallibile animaduerti, quod omnibus ignotum ex minima huius rei experientia fuisse credo. & hoc signum est dolor quidā in loco iam cōmorso, licèt vlcus antea per dies, & menses integrè fuerit sanatum, accedens, qui intensus esse non consueuit, nisi morsus partem neruosam petierit. hic dolor à loco iam cōmorso incipiens, leuiterq; patiētem affligens per partem post partem spatio trium, aut quatuor dierum, aliquando paulò plus, aliquando paulò minus, ascendit ad cerebrum: cui cum communicatus fuerit, in eo quasi vertiginem causat, simulq; confusionem quandam, quorum merito modò ad hanc partem, modò ad illam declinantes recta progredi nequeunt, indeq; statim in rabiem homo deducitur. hoc signum animaduertant hi, quibus offeruntur cōmorsi à rabiente bellua: quoniam tunc res est in præcipiti casu, de proximoq; pernicies, quæ latuerat, propalanda est. & si prædicta omnia cōiecturam futuræ rabiei inducere possunt, hoc vnicum præ omnibus certam imminere declarat. Quæ vbi accesserit, omnia iam enarrata superius signa ipsam præsentem demonstrare possunt, quæ cū iam sigillatim explicauerimus, dum rabiem hominis perscrutaremur, hic non erunt repetenda. hoc vnum tantùm dixero, quòd facta rabie manifestè patientes aquam, & omne liquoris genus abominantur, ac fugiunt. & ab his tum assumptis, tum oblatis summoperè læduntur. hicq; est præcipuus character, quo dignoscere possumus certò factā esse, & confirmatam rabiem. Quo tempore solent vtplurimum omnia excrementorum genera retineri. In vno tamen vidi ego excretam maximam, & ingentem vrinæ copiam sine vllo ægrotantis sensu. Dum hi comedunt, cibariaq; solida assumunt, licèt quoquo pacto difficulter degluriant, auidè aliquando comedunt. Vidiq; aliquos simul carnes, & ossa

Rabiei præsentis signa.

apprehendere,& conterere, & ità facilè esitare, vt profectò non adeò facilè canes ipsi ossa edant. Arabes alterum addidere signum confirmatæ rabiei, videlicet, vrinam nigrā, in qua excernantur carunculæ, quæ viuas canum imagines repræsentent. Quòd hi vrinam mingant nigram, non possum ego attestari, qui viderim lotium in multis à sanorum lotio parum immutatum, in aliis autem immutatum quidem, sed non nigrum. Quòd autem in lotio istorum appareant viuæ canum imagines, credo meram fabulam esse, remq; poetis, non medicis dignam. omni enim diligentia adhibita hoc esse mendatium comperi; cum nec carunculas, nec imaginem aliquam vnquam perspexerim, nec alios, præter Arabes, hoc vidisse audiuerim. quapropter problema illud, in quo quæritur, quomodo in laborantibus hac ægritudine posit excerni lotium, in quo canum imagines appareant, mea sententia Medico, & Philosopho indignum est. Medico quidē, quoniā cū ipse artifex sit sensatus, nec sensu hoc deprehendatur, huius causa ab eo quærenda nō est. Philosopho autem, quoniam hic veritatem, non fabulas, indagare debet. Signa prognostica proponenda pauca erunt, quoniam duo solum pro prognostico sunt animaduertēda, videlicet, an tantùm sint præludia futuræ, & imminentis rabiei, vel an sit iam rabies ipsa facta. Stante priori casu sperenda est salus, posibilisq; est curatio, si morbus validis, non leuioribus oppugnetur medicamentis. quoniam nondum in totum virus istud membra expugnauit principalia. quæ vbi occupauerit, perniciemq; suam propalauerit, eius sum sententiæ, vt etiam sensere nobiliores artis nostræ proceres, imposibilem esse curationem. quam tamen vix apparente morbo tentandam censeo; cum eo tempore, dum incipit, nondum confirmata in totum sit labes ista; confirmatam enim remedijs nec oppugnari debere, nec expurgari posse, opinor. Si autē Dioscorides testatus est Eudemū vnicū hoc morbo laborantem curasse, Themisonemq; medicum

Vrina rabientium an sit nigra, et an in ea sint carunculæ canibus similes.

Rabiei signa prognostica.

ab hoc

ab hoc eodem euasisse, dum hæc vera existant, inter admiranda opera, & quæ supra hominum vires sint, adnumerentur. cum enim ab eo tempore citra per tot sæcula nullam habuerimus historiam attestantem, confirmatam rabiem sanatam fuisse, in dubium mihi renocatur de fide horum scriptorum. Quòd si verè hi ex hoc morbo saluati sint, in eã eo sententiam, vt incipienti, non progresso morbo reluctatũ sit. Themisoq; facilè potuit euadere, cum ex leui contagio (non enim à cane cõmorsus fuit, sed tantùm amico rabienti communicauit) in hunc incurrisset morbum. Noui quidem Scribonium Largum meminisse cuiusdam Barbari, qui in insula Creta mercede publicè accepta, cum hi liquores abhorrerẽt, & latratus ederent, spasmoq; vexarentur, remedium brachio sinistro alligato adhibebat, ita vt in posterum potionem acciperent, & vitio liberarentur. Sed cum ipse hoc pro verò non attestetur, immo dicat hanc fuisse opinionem, quę ad eum peruenit, in eadem persisto sententia, vt progressum, & iam factum morbum nullo pacto ars nostra expugnare posit. Signum illud ab Auicenna positũ, quòd in eis patientibus, qui propriam imaginem in speculo cognoscant, curabilis sit affectio ista, fallax deprehendi. qui enim non sunt delirantes, se ipsos agnoscent, & tamen exconfirmata rabie non saluabuntur.

Rabiei præseruatio, cum per morsum communicatur.

Positis signis, curatio superest declaranda: quoniam autem prę̨seruatio est quædam curatio, ideò ab hac auspicati, ita rem istam ordiemur. Virus suum homini animalia rabida duplici via communicare docuimus, videlicet vel per morsum, vel per contactum linguæ, & labiorum. Vbi morsu animal rabidum hominem petierit (quoniam non omnis morsus, vt superius innuimus, hanc luem impartitur) statim experiri debet Medicus, an per hanc virus istud sit communicatum, nec nè: quod percunctabitur, si nuces iuglandes optimè tritas, vel micas panis, vel triticum cõmansum vlceri imposuerit, postridie autem pullis gallinaceis edenda prę-

buerit

bĕrit; si virus vlceri impartitum fuerit, ex his intereunt pulli; sin minus, nequaquam morsus fuit virulentus. si tamen morsus fuerit prævalidus, carnesq; plurimum lacerauerit, vel si partem neruosam (per neruos enim facilius hoc virus suscipitur) tetigerit, licèt in eo minima morsuræ vestigia appareant, conijciendum est absque vllo experimento virus illud vlceri per contagium inhærere. Hoc cognito vel ex medici coniectura, vel experimento, duo præcipuè agenda sunt. primum omni conatu eniti debemus, vt venenum illud à vulnere extrahatur, antequàm altius penetrauerit. secundum, vt partes internas ita muniamus, & defendamus, vt venenum à se propellere, & superare possint. & si qua eius pars p ambitū corporis propagata sit, à partibus principalibus reuellatur, & educatur. Quibus autē medicamentis ambo hæc sint peragēda, Dioscorides, cæteriq; authores, qui in hac curatione plurimi fuere, adeò perfectè, & diffusè explicauerunt, vt superfluum esset ea omnia hic repetere. pauca tamen rem ipsam perstringens referam, & ea præcipuè, quę ego in tali curatione expertus sum. Pro prima intentione vlcus non consolidandum, sed dilatandum est, attrahentibusq; medicamentis exasperandum; ità enim agentes virus illud euocabimus, dissipabimusq;. pro dilatatione, vbi vlcus sit angustum, circuncidatur caro, pro attractione fiant scarificationes, & applicentur cucurbitulæ: quibus peractis, imponatur vlceri Theriaca oleo rosaceo eliquata, vel Diadictamum, vel Cerine, quæ potentissima sunt in tali casu. Si tamen locus tolleraret, coniecturaq; sit certa de communicato viru, statim inuratur vlcus candenti ferro. hinc enim vlla absque difficultate omnem venenositatē superabimus, vlcusq; deinceps tutò consolidare poterimus. Si autem locus cōmorsus, vel æger vstionem (quod sæpe contingit) non admiserint, prædictis agatur, vel saltem vlceri ad eandem intentionem applicetur emplastrum à Dioscoride desumptū, quo frequenter vsus sum cum fęlicissi-

c mo

mo successu in pauperibus, & corporibus durioribus, & in his etiam, qui chyrurgicam manum non admittunt, ex allio, cepa,& granis tritici cõmansis compositum. hoc attrahit, euocat, & exasperando etiam vlcus dilatat. quoniã tamen aliquando est valde dolorosum, interpositis diebus repeto, vel diluo cum oleo de hypericone,vel lumbricato, vel simili, extracto,& euocato veneno: quod conijcio tum ex experimentis supra expositis, tum ex appositione medicamentorum. vltra Diadictamum, & Cerine interdũ vsus sum medicamento Galeni ex pice, opoponace, & aceto, vt hinc diutius apertum detineatur vlcus, & vt si quid eius virus forsan latuerit, in totum absumatur. hac ratione per tractandum est vlcus,moneoq;, vt nullo vnquam pacto negligatur. Si enim hoc rectè curatum fuerit, nihil indè erit timendum. hęc enim est præseruationis potissima pars, tantaq;, vt neminem viderim, nec audierim, cuius vlcus recta cum ratione fuerit pertractatum, rabie correptum fuisse. Pro secunda intentione, & medicamentis opportunis, & recta victus ratione agendum erit. Victus ratio ea sit,quæ venenũ refrangere,& hebetare posit,& quæ idem ad viscera penetrare prohibeat. Vndè vinũ potens, & dulce, radices acriores,vt alliũ, cepa, porrũ, rafanus, smirniũ, olera acria, semina odorata, sinapi, aromata, cancri fluuiales, caricę, nuces iuglãdes, amigdala præcipuè amara, & similia in vsum veniant; cibus & potus sit copiosus; fames, & ieiunium,& omnia, quæ corpus exinanire possunt, vitentur; caueantq; a tactu,& vmbra earum plantarũ, quas diximus virus istud longa testante experientia excitare posse. Medicamẽta sint antidoti, quarũ plurima est sylua apud scriptores, ad quos legentes relego, inter quas Theriacam omnibus præfero. cuius in hoc casu frequentem, & fæliciffimum habeo vsum. Mithridatum etiam optimum erit. Gentianam sæpe exhibui, hisq; propinatis aliud medicamentum non desideraui. Cancrorum fluuialium,qui adeo in morsu rabi-

do

do ab antiquis celebrantur, vt his primas attribuant, vsum nec habui, nec vidi, cæterasq; antidotos vel antiquas, vel nouas nunquam expertus sum. Ea autem, quæ à propria substantia agere dicuntur, sicut hepar, vel dens canis rabidi, experiri non potui; cumq; hæc ex Galeno suspecta haberem, abominarerq;, nec quæsiui, nec inuestigaui. Sanguinis misſio, quam nonnulli in tali casu proponunt, omnino vitanda est, vt quæ exinanitis venis altius penetrare virus permittat. Purgatio autem, quam alij laudant, inconsultò, ac sine methodo iniretur. cum enim humores nondũ labe ista sint coinquinati, nulla datur iudicatio, vt eos euacuemus. quos tamen si qui audaces euacuare tentauerint, nouerint etiam maiorem veneno penetrationem dedisse, & vi medicamenti ad internas partes virus illud attraxisse. & hæc de cõmorsis ab animanti rabiente, qui statim medico se curandos exponãt. Cuius si oppositũ contigerit, videlicet quòd tardè, diebusq; pluribus transactis, & forsan mensibus, vlcereq; adhuc aperto medicos consulant, amplius nec vlcus inurendum, nec scarificationibus, cucurbitulis, emplastrisq; nullis exasperandum est; iam enim virus penitiores partes adiuit, ægerq; nullo modo ex illis cruciaretur. Moneo tamẽ, vt in partis cõmorsæ loco opportuno fiat exulceratio, vel actuali, vel potẽtiali cauterio, quæ diu aperta teneatur, per cuius continuatã euacuationẽ possumus aliquã sperare virus & euocationẽ, & vacuationẽ. Vnde pars cõmorsa nõ ita patietur, vt cõdolens facilè altius suũ virus communicare possit. Quòd si vlcus fuerit consolidatum, eò magis hæc exulceratio fiat, tuncq; validissimis antidotis agendũ erit, purgationesq; validæ maximè cõferre poterunt, prius pręparatis rectè humoribus peccantibus. concoquentia sint ea, quæ retulimus in curatione febris pestilentis; medicamenta autem purgantia sint validiora, qualis est hyera diacholochintidos, hyera logodion, pillulæ cochiæ, pillulæ de vitro, pillulæ de lapide lazuli, pillulæ fætidę, & omnes. quæ

Lib. 11. de simpli. med.

An in præseruatione à rabie sit secanda vena.

An in præseruatione à rabie sit purgatio tentãda.

Purgatio quãdo conferat in præseruation à rabie.

gummata recipiunt. omnium tamen horum validißimum, & vtilißimum medicamentum est Elleborus albus, de quo inferius agam. repetantur hæ euacuationes, & ad euacuandum venenum cum his veniant in vsu frictiones asperę, sinapismi, dropaces, exulcerantia, sudorem prouocantia, & omnia ea, quæ venenum ab internis euocare queant. An hic venæ sectio, sicuti pharmacia, conueniat. ego, qui in omni veneno siue hausto, siue eiaculato semper venæ sectionem abhorreo (vt quæ vires debilitare, venenum exagitare, eiusque violentiam, & venenositatem non refrangere potest) hāc euacuationem vitandum censeo, & eò magis, cum notum sit virus hoc rabidum: quod adeò segne, & tardum est, vt multo tempore egeat ad suam proferendam perniciem, & virulentiam, non ad spirituosam partem cōtentorum, sed ad crassam (qualis est pituita, & melancholicus humor) analogiam quandam habeat. & hæc de cōmorsis, dum adhuc non adsunt signa instantis rabiei. Si autem huius indicia accesserint, hic non segniter agendum est, sed raptim ad validißima deueniendum. quare hic adhibitis frictionibus asperis, sinapismatibus, dropacibus, præcipuè autem exulcerantibus, quæ potißimum ex cantharidibus formentur, cum in tali morbo multum celebrentur, & prodesse poßint, exhibeantur antidoti magnæ, quæ in dupla ad minus sint quantitate eius, qua vtimur in præseruatione prima. Vnde vel mithridati, vel Theriacæ non minus, quàm duarum drachmarum pondere, exhibeatur cum vino potentißimo dilutæ. repetaturq; singulis diebus summo mane, ante cęnam Gentianam, vel aliud opportunum medicamentū, exhibendo. si quid tamen in tali casu prodesse poterit, hoc vnum erit Elleborus albus ab antiquis valde celebratus, qui admirandus est in hisce affectionibus. quare statim, nulla interposita mora, administretur, & exhibeatur, prius tamē ad hunc quoquo pacto corpore præparato. Quoniam autem huius celeberrimi medicamenti ferè obsoleuit vsus, sciocq;

Elleborus albus.

AA plurimos

plurimos Medicos nostrorum temporum authoritate quorundam Arabum deterritos ab eo,tãquam à veneno, abhorrere, hic de eo verba facere decreui,vt omnes moneam tutò in pristinum vsum reuocari posse. quod meo periculo tẽtaui, fęlicemq; eius vsum comperi. Cum enim viderim diuinum Hippocratem,artis nostræ fundatorem, huius medicamenti quotidianum habuisse vsum, Galenumq;, eius sectatorem eodẽ vsum fuisse, cęterosq; antiquos scriptores hunc summoperè celebrare, admirabar, quare nostris temporibus ad purgationes à Medicis non admitteretur; cum hodie idem sit cœlũ, quod Hippocratis,& Galeni, aliorumq; ætate fuit, eademq; sint humana corpora, iidemq; morbi vagentur. quo stante,quid causæ esse potest; vt homines nostri hoc idem medicamentum hisce temporibus tolerare nõ possint? hac ductus ratione data occasione ausus sum eo vti. sed nè nouitate rei deterriti homines hoc auersarentur, incæpi primò eius infusionem exhibere. quam cum profecisse,nullo subsequente incommodo, comperissem, cępi eius decoctionem fęliciter propinare. tandem nullo deterritus exemplo eumdem in substantia,& in puluere comminutum administraui, experientiaq; testante,noui hoc medicamentum vtilissimum esse, omniq; periculo suffocationis, cęterorumq; accidentium ipsi ascriptorum, si rectè præparatum exhibeatur, carere. Hanc præparationem, & modum exhibendi, quo ego vtor tum in infusione, tum in decoctione, omnibus patefacio. Accipio drachmam radicis Elleborі albi electi, & optimi; quibus notis hoc deprehendatur, à Dioscoride, cæterisq; hanc materiam tractantibus habeatur, infundoq; in cyatho vini albi potentis, quod ad ignem calefacio, & per totam noctẽ quiescere sino. Summo mane vinum calidum exhibeo. hoc idem per acetum mulsum, in quo Elleborus per diem,& noctem ad Galeni imitationẽ infusus extiterit, facio; hoc.n. leniter purgat. si validius medicamentum desidero, eundem in simili quantitate vini

Elleborus quo modo exhibẽdus in infusione, decoctione, & in substantia.

 bullio,

bullio, postea hoc vinum reijcio. alterũ superinfundo, quòd iterum bulliat, per noctemq; ita maneant. summo mane vinum hoc colatum exhibeo. si autem adhuc potentius desidero, vinum illud primum non reijcio, sed ex eodem factã decoctionem assumo. Vbi verò maiori efficacia, & robore indigeo, Elleborum ipsum hac ratione præparatũ adhibeo. Collectis radicibus Ellebori albi, nostrate autem, quod non ita, vt externum, est validum, à quibusdam ministris hoc modo pręparato vtor, purgatisq; à terra, & ab omni superfluitate, acetum album optimum assumitur, in quo eædem radices decoquantur. quod vbi parum ebullierit, reijciatur, nouumq; superinfundatur, iterumq; in hoc illæmet radices decoquantur, quæ vbi molles ex coctione fuerint, satisq; coctæ appareant, percolentur, supra pannum in tabula extendantur, siccariq; sub vmbra sinantur. hæ siccatæ in puluerem, non tamen admodum tenuẽ, cõminuuntur. cuius si drachma, vel paulò minus exhibeatur, adeò copiosam per vomitum educit materiam, præcipuè autem pituitosam, vt sit mirum, nulloq; ferè tentat patientes incommodo, præterquàm eo, quod consueuere ęgrotantes in simplici vomitu pati. animaduertatur autem in huius exhibitione, quòd semel exhibitus in vehementibus morbis parum prodest. sed si interpositis tribus, aut quatuor diebus, vel paulò plus repetatur, adeò potenter rebelles humores educit, vt etiam ferè insuperabiles morbos soluat.

Ellebori albi vsus. Hoc vtor, habita semper ratione habitudinis subiecti (nam in debilibus, timidis, & extenuatis corporibus, & etiam in his, qui angustum thoracem, & iccircò pulmonem compressum habent, tale vitandum est medicamentum; quoniã hi & ad uomendum omnium sunt ineptissimi, & ex vomitũ in periculum diruptionis eorum vasorum, quę in instrumẽtis respirationi inseruientibus sunt, deducuntur) in maniacis, melancholicis, & his, qui à spiritu malo detineri existimantur, & in cerebri antiquis passionibus, quæ per con-

ſenſum partium inferiorum factę ſint, vſus ſum in quartanis, & cæteris ſimilibus morbis, in quibus prauæ fuerint ventriculi, & hypochondriorum à copia materiæ antiquę indiſpoſitiones, quas aliquando vnica exhibitione ſolutas vidi. in his tamen omnibus ante pharmaci exhibitionem materiæ peccantis præparationem procuro, aluumq; valdè lenio. euacuationis tempore vomitum, vbi ſit difficilis, iuribus pullorum pinguibus oleo addito, bis & ter iiſdem repetitis modò à cibo, modò ieiuno exiſtente ventriculo, facilē reddo. Quod idem pharmacum in thoracis affectibus ſemper vitaui, ab omnibusq; pariter vitandum duco, nam hoc ex ſe difficultates ſpirandi cauſat, & ſuffocationis periculum in aliquibus minari videtur. ex quibus liquet, quantum thoraci elleborus infeſtus ſit. vnde nec in tuſsibus moleſtis, nec in ſanguinis reiectione, nec in vlcere pulmonis, nec in ſuffocantibus morbis, nec in Aſthmate ipſo, licèt Auicenna in hoc affectu contra veterum dogmata, & aduerſus rationē hunc probet, nec in alijs pectoris morbis exhibeatur. ſupernæ enim euacuationes his affectibus, vt monet Oribas. lib. 7. collect. Med. cap. 26. ex Ruſo Ephes. infeſtæ ſunt, & præcipuè quæ ex elleboro fiūt. Quod idem Aet. lib. 3. cap. 121. expreſsè habet, & Paulus lib. 7. cap. 10. ſub nomine morborum ſuffocationem minitantium docuiſſe videtur. Hoc igitur medicamentum, habita prius & morbi, & ſubiecti ratione à medicis, in priſtinum reuocetur vſum, apparentibusq; inſtantis rabiei ſignis, ſtatim exhibeatur, interpoſitisq; paucis diebus, vt dixi, repetatur. quo ſi non ſuperetur morbus, res in anguſto eſt poſita, cum nulla ſpes in alio medicamento maior, quàm in hoc, reponenda ſit. Hæc remedia, quæ apparentibus rabiei ſignis, adminiſtranda docuimus, ſtatim eadem in his, qui labijs, vel lingua virus hoc delibauerint, agenda erunt. nam hinc morbus ſubitò imminet, qui non menſibus, ſed paucis diebus propalandus eſt. hæc de præſeruatione inſtantis, non inſtantiſue rabiei.

Rabiei præſeruatio, cum virus per labia, & linguā fuerit cōicatū.

curationem ipsam nunc aggredior.

Rabiei facta curatio.

Superueniente ipsius aquæ, & omnium liquidorum auersione, facta est rabies, morbusq; grauissimus euasit, qui adeò læthalis est, vt ni ope Diuina saluentur ægrotantes, auxilia humana incassum ab his imploranda esse censeam. Vnicum tamen propositum est ab antiquis ad hoc remedium; videlicet aquæ dulcis balneum, eiusdemq; potus. quo eorum authoritate fretus aliquandò expertus, nullam in eo vtilitatẽ inueni. immo cum plurimum huius nonnulli potassent, plurimum etiam detrimenti hinc eos consequutos noui. quam rem cum accuratè perpẽderem, ratio, & frustrata experiẽtia me vanum esse remedium istud, credere coegerunt. quæ enim potest esse causa, ob quam rabidi à copioso aquæ potu iuuentur? num quia cum hic morbus positus sit in intemperie calida, & sicca, hæc intemperies facilè à copioso potu extinguatur? at declaratum est, hunc morbum non in intẽperie consistere, nec tantam caliditatem, ac siccitatem in rabidis deprehendi posse, quam, si ea etiam adesset, cum sit in habitu, hecticaq; facta sit, vnico potu solui non liceret; sique hoc aliqui de caliditate existimarent, tamen quò ad siccitatem impossibilis curatio est iudicanda. Et si potus aquę solus posset morbum hunc factum superare, quantò magis cõmorsos præseruare valeret, cum multò facilius sit, intemperiem inęqualem, quàm æqualem, remouere? at nec ad præseruandum balneum, seu potus aquæ est potens remedium, nec ad curandum, immo cum ingens antipathia sit inter aquam, & virus istud, vt suprà monstratũ est, epota aqua semper detrimento erit patientibus. cuius meritò, & maxima cum ratione ab Auicenna dictum fuit. Et quandoq; sorbet ex ea, quare strangulatur per eam, & moritur. quapropter non fidant Medici huic remedio, vt potè vano, & contra rationem administrato. An autem illud medicamentum ex cantharidibus compositum ab Auicenna prodesse posit, alij experiantur. Ego hoc non sum ausus vti, dubi-

Balneũ aquæ dulcis an sit conueniens remedium in rabie, & eiusdẽ potus.

Lib. 4. Fen. 6. tract. 4. cap. 7

dubitans, ne ex ingenti introducta vesicæ læsione afflictionem afflicto adderem. Pillulas ex Castoreo,& lathyride à Galeno propositas aliquis exhibere posset,sed leuamẽ morbi,non salutem speret. sicuti nec ex elleboro albo, quem maximè in rabie cõmendo, omnibusq; præfero, si in primo morbi insultu,vixq; eo apparente, incipienteq;, non autem in cõfirmata aquæ auersione,exhibeatur;tunc temporis enim prodesse poterit, vt Dioscorides testatus est. quem tamen & eiusdem testimonio,& experientia approbante, vbi omninò ægri manifestè aquam, & cætera liquida fugiant, factaq; integrè sit rabies, nullo modo prodesse nouimus. Qua de re mea sententia omnia in vanum tentabuntur auxilia, nisi forsan quædam exhibeantur antidoti non ad soluendum morbum, sed tantùm ad remittenda symptomata,quę in his verenda, & horrenda sunt. ad quod idem facient exterius applicata, sicuti exulcerantia, sinapismi,inunctiones,& omnia ea, quæ ad extra virus euocare, & simul quæ omnia viscera, & præcipuè cor roborare possunt.

Antidoti quare aliquando exhibendæ in rabie facta.

Qui cogitarunt in hoc casu de sectione venę, proponunt remedium ad accelerandam mortem; tum quoniam in confirmata rabie vires labant, & languidæ sunt; tum quoniam ex hac euacuatione nullo pacto virus ipsum oppugnatur.

Sectio venæ an in rabie conueniat.

Amulcta proposita, sicuti aqua ea,in qua ferrum intingitur, artifice inscio, exhibita, dens canis rabidi alligatus, corium Hyenę, quod pro secreto habebat Topyrus Gordiensis Mèdicus, panno inligatum, & consimilia veniant in vsum his, qui credunt ea prodesse posse, & qui eorum certam habeãt experientiam. ego his parum fido,eiusq; sum sententiæ, vt in confirmata rabie omnia incassum administrentur.nullaq; sit in ea spes salutis.Quare nec alia proponam remedia,nec in imperanda victus ratione admodum ero solicitus.Sed vnicum hoc tantùm proponam præceptum, videlicet, vt cibaria laudabilia, & boni succi, nè exacerbentur morbi symptomata ex prauo victu, exhibeantur. quæ vbi in sub-

Amulcta proposita in rabie an prodesse possint.

ſtantia ſolida fuerint, à rabientibus in vſum alimenti, facilè vt interdum vidi, aſſumentur, nec tot ad facilitandam cibi aſſumptionem erunt paranda, quot docent, qui ſorbilia exhibenda eſſe iudicarunt.

De motu Conuulſiuo. Cap. XX.

Motus cōuulſiuus.

QVoniam de rabie agentes, eiusq; ſymptomata explicantes, poſuimus hanc ſemper concomitari diſtenſionem membrorum, affectum pandiculationi ſimilem, rarò autem conuulſionem, ſciendum eſt, inter hos duos motus dari tertium medium, qui ſine diſtenſione, & ſine conuulſione fiat. Hic motus fit, retractis ad propria principia neruis, & membris motui voluntario deſeruientibus, cum quadam concuſsione, & vibratione, vt videatur neruorū palpitatio, vel vibratio, correſpondens motui pulſus vibrantis. conſueuit hic motus admodum affligere patiētes, & eos detinet aliquando per menſes, & annos, ſed diuerſimodè; in aliquibus enim hic motus antiquatur, & cōſeneſcit continuè affligens, in aliquibus autem periodos habēs, vt contingit in epileptiſis acceſsionibus, per interualla repetit, & moleſtat, niſi factus fuerit in morbis acutis; hic enim morte præueniente citò terminari ſolet. Hic motus, qui aliquādo valdè doloroſus eſt, aliquando autem non doloroſus quidem, ſed valde molæſtus ratione concuſsionis, & vibrationis exiſtit, rarò occupat totum corpus, creberrimè autē modò dextram, modò ſiniſtram partem, rariſsimè autem vnicum membrum. qui cum violentior eſt, cauſat diſtorſiones membrorum ſæuas, & admodum doloroſas, à quibus ſummopere languentes cruciantur. quæ ſi inualeſcant, & partibus ſuperioribus, ac cerebro ipſi interdum cōmunicētur, ſolet inducere affectum epilepſiæ ſimilem; concidunt enim cum deperditione ſenſuum, & per interualla quaſi ſalientes conuelluntur, cum tamen epilepſia non ſit; in his enim non emittitur ſpuma ad os. nonnullosq; vidi, dum hoc detinerentur

tinerentur affectu, licèt omnes cæteros sensus amisissent, auditum tamen seruasse. Motus hic differt à distensione neruorum, quoniam in hoc non distensio, sed eorum contractio, licèt non continua, adest. differt autem à conuulsione; quoniam quamuis in conuulsione pariter, ac in motu isto, retrahantur nerui, & musculi à causa præter naturam ad propria principia, tamen hæc adest differentia, quòd in conuulsione vera ex retractione neruorum, & musculorum membra remanent rigida, sicuti fit in tetano, opisthotono, emprosthotono, risu sardonio, strabismo, & similibus cõuulsionibus: at in motu isto membra rigida non redduntur, sed quasi saliendo concutiuntur, & vibrantur, fitq; in neruis ipsis motus palpitationi similis. Hunc motum, & hanc differentiam non aduertentes multi Medicorum motum hunc conuulsionem appellarunt, cum tamen nequaquam conuulsio sit, & ab ea differat non tantùm essentia, sed etiam causa. Conuulsio enim duplici fit ratione; aliàs enim fit ex inanitione, aliàs ex repletione; fit ex inanitione, exsiccatis, & inanitis neruis; ex repletione autẽ, dũ materia, vel flatu ijdẽ replentur, & in vtroq; hoc casu semper tenduntur membra, & rigida manent vnà cum notabili dolore. At motus iste, de quo loquor, nunquam ab intentione; quoniam nerui exsiccati cuicunq; motui, ne dicam concussioni, ac vibrationi inepti sunt, sed nec etiam à repletione eorum; quoniam nerui repleti seu à materia, seu à flatu, cuiuscemodi fit in cordis humore aliquo madefactis, semper rigent, non autem concuciuntur, nec vibrantur. Cuius autẽ ratione fiat motus iste, hinc pateat, cum ex notis causis in cognitione eorum, quæ non ita in aperto sunt, deuenire possumus. In uulneribus capitis læthalibus solet hic motus, dũ deterius habent, superuenire in opposita loci affecti parte, his, quæ è directo sunt, paralysi deprehensis. hoc qua causa fiat, satis apertum est. nam vulnere malè habente, superataque ab eo iam, & euicta partis natura, & temperie, putredo ingens

Cõuulsiuus q̃d differat à neruorũ distensione.

Motus conuulsiuus quid differat à conuulsione.

Motus cõuulsiui causæ.

Conuulsiuus motus quare superueniat vlneribus capitis lethalib.

gulru, insurgente natura ad expulsionem rerum præter naturam in substantia ventriculi existentium,& ipsam proritãtium,tandiuq; durat motus iste conuulsiuus, quandiu fuerit in totum discussa hæc praua materia per motum illum; sicuti & perseuerat singultus, quousque materia in ventriculi substantia existens, vel remota,vel discussa in totum fuerit. Hoc autem tantùm contingit, vbi nec continuè noua materia subministratur loco affecto,nec continua eiusdem fit generatio: tuncq; motus iste vel in totum soluitur, vel de nouo genita,& transmissa ad eadem loca simili materia, repetit, periodosq; habens per interualla accedit. Si autem continuè noua materia & generetur, & subministretur, non quiescit motus, nec periodos habet, sed continuus est, & continuè affligere consueuit, præterquàm in somno. quo tempore obseruaui patientes à tali motu non concitari,qui tamen vbi repetens dormientes aggrediatur,& præcipuè ille, qui periodicè, & per interualla quędam accedere consueuit, à somno excitat patientes, eosq; è lecto nonnunquam surgere, & deambulare ad alleuiandam molæstiam cogit. sicq; motus iste hanc habebit differentiã, quòd quãdoq; accessiones, & periodos habeat; quandoq; autem sit continuus, & continuè affligat patientes,semper à simili dependens materia:quæ tamen in habente periodos,& accessiones est tenuior,& subtilior,& inde citò soluitur; in continuo autem est minus subtilis,& minus tenuis,& ideò magis resolutioni rebellis. In periodicis autem accessionibus,cum soluendus, & in fine est periodus, tunc maximè cõcutiuntur ægrotantes, magisq; tunc affliguntur. Vndè nonnullos tunc temporis vidi alta voce clamare, & deprecantes astãtes, vt eos detinerent,vt hinc motum illum vehementem,& eius solutionem facilius ferrent. Hæc tamen materia neruos petens, si multum prauitatis consequuta fuerit,motuiq; illi, & discusioni non ita facilè cedat,non tantùm motum simpliciter conuulsiuum generat,sed etiam ex valida

Motus conuulsiui differẽtiæ.

neruorum

neruorum afflictione distensiones membrorum ingentes,& retractiones vehementes, & admodum dolorosas causat quæ si fortè ob causarum vehementiam, vel ob partis læsæ imbecillitatem partibus superioribus communicatę fuerint, in cerebro affectum, epilepsiæ consimilem, producit. quo affectu accedente, sæuienteq; tunc clamantes, & volentes ab astantibus detineri concident patientes, ac si epileptici forent. à quo tamen casu postea terminata per resolutionem materiæ affectum hunc causantis accessione, immunes, ac liberati ab omni motu præter naturam resurgunt. Nec mirum sit ex tam pauca materia in principio neruorum existẽte posse subsequi tot praua,& sæua symptomata; cum pateat ex pauca materia virulenta ad os ventriculi existente subsequi syncopes, conuulsiones totius corporis, & aliquãdo epilepsiam, & sæpè mortem. Materia hæc, quæ principia neruorum petens est in causa huius motus, non in ipsis generatur neruis, sed alibi genita aliundè transmittitur. Vt plurimum autem in cerebro generari, ab eoq; ad principia neruorum transmitti consueuit, sicuti ad principium medullæ spinalis. tuncq; motus hic, si æqualiter eam in totum occupat, vniuersum apprehendit corpus. si autẽ vel dextrã tantùm, vel sinistram eius partem detinet, fit motus iste in parte vel dextra, vel sinistra tantùm è directo loci patientis existente. si autem hęc eadem transmittatur materia, nõ ad principium spinalis medullę, sed ad aliquem particularẽ neruum membro particulari inseruientem, tunc fit motus ille tantùm in illo particulari membro. si tamen in particulari membro læsio ingens fuerit, hic motus ab eo communicatur etiam omnibus è directo partibus se habentibus, & hinc sæpè à læsione particularis membri hæc affectio vniuerso corpori transfertur, indeque totum corpus hoc motu apprehenditur. licèt autem vtplurimum fiat hoc vitio capitis, tamen & vidi factum ratione aliarum partium, in quibus genita hæc materia, & indè ad neruos transmissa factus fuit

Materia motũ cõuulsiuũ causans vbi generetur.

fuit hic motus. Vnde & in visceribus patiẽtibus, & in dorsi affectibus, & partibus inferioribus (sicuti coxis, & cruribus læsis, cuius vitio generari potuerit talis materia) vidi factos hosce motus, primò quidem in membris vicinis, & particularibus, postmodum etiam communicatos vniuerso corpori, præcipuè autem ei parti, quæ è directo loci affecti sita est. quapropter quodcunq; membrũ ita infectum, vt prauam gignere, licèt minimam, queat materiam, potest esse huius motus sufficiens causa. Quod membrum quomodo sit inuestigandum, Medico diligenti patebit, dum considerauerit læsionem membrorũ, eamque perpenderit, & dijudicauerit, an primariò, vel secundariò; & an per se, vel per cõsensum patiatur. Inuẽta enim parte principaliter læsa, & ad cuius lęsionẽ generetur hęc praua materia, ab eaq; neruis demandetur, nouerit etiã, cuius vitio talis fiat, generetur q; motus. ad cuius generationẽ nõ tantùm requiritur materia illa praua, & causa apta neruos ipsos lædere, sed etiã neruorũ ipsorũ imbecillitas concurrit. omnes enim ferè, quos pati hosce motus animaduerti, semper notaui imbecillum genus neruosum vel ab ortu recepisse, vel ex accidenti in eis tale factum fuisse. Quare affectus hic, qui nullis signis ponendis declarandus est, cum sensui pateat, pendet ex pauca, tenui, & virosa, prauaq; materia ad principia neruorum patientium, qui ratione propriæ imbecillitatis facilius omnẽ admittunt noxam, transmissa, quæ genita sit vel ratione cerebri malè affecti, vel ratione particularium membrorũ praue se habentium; ad quæ principia cum fuerit transmissa, in eis infigitur, eaque praua stimulans qualitate, virosaq; essentia molæstans, proritat naturam ad motum hunc, cuius merito ipsa tentat vel remotionem, vel discussionem materiæ peccantis; sicuti natura irritata à materia in substantia ventriculi existente, insurgit per singultum ad remotionem, vel ad discussionem contristantium. Quibus positis, clarè apparet, quid pro curatione huius symptomatis agendum *Indicationes.*

dum sit; iudicatur enim primò, vt ea materia vel amóueatur, vel discutiatur. Sed quoniam hæc facilè per motum hunc, vel remoueri, vel discuti potest, nisi noua suggeratur materia, ideò principaliter incumbendum est, ne materia hæc vel generetur, vel vt, si genita est, aliò diuertatur. non generabitur, si membra principaliter læsa, & in quibus fomes huius materiæ seruatur, roborentur, & temperentur. Si autem generatio non sit prohibita, euocanda est materia hæc à parte læsa, & à neruis ipsis, alióq; diuertenda, præcipuè autem ad exteriora, simulq; partes neruosæ roborandæ erunt. An his indicationibus possimus satisfacere, vel non, dixerim morbum hunc difficillimum esse curatu, & hoc præcipuè si hic non ad alios cõsequatur morbos, sed spontè aduenerit; neruosæ enim partes in hoc afficiuntur, quæ semper difficulter omnẽ recipiũt curationem. Vnde hunc motum in aliquibus non tantùm antiquari, sed etiam, vbi à principio neglectus fuerit, consenescere vidi. si tamen pars primariò affecta inuenta fuerit, eique opportuna adhibeantur medicamenta, dum morbus non fuerit antiquatus, solicitusq; sit patiens, non ita difficilem attestor esse curationem; facilè enim tolli poterit, si materiæ prauæ generatio cohibeatur, eiusq; genitæ vel discussio, vel euocatio tentetur. Quibus autem remediis hęc exequi debeamus, hinc pateat. Præsupposita vniuersali facta, & parata cum his, quæ neruorum genus respiciunt, medicamentis totius corporis euacuatione, quæ semper particularibus curationibus præmittenda est, administret Medicus ea, quæ discutiendi facultate donata sunt; sicuti oleum camomelinum, lumbricatum, anethinum, liliorum alborum, rutaceum Viperinum, & quæ huius sunt generis, calidaq; actu sæpius applicentur. quòd si hæc non satis fuerint, his admisceatur Castoreum, quod cum subtilitate partium donatum sit, in casu isto multum conferre poterit. loca inungenda erunt præcipuè collũ, & dorsum

Prognosticum (margin, beside "cillimum esse curatu")

Curatio. (margin, beside "mediis hęc exequi")

ab occipite vſque ad os ſacrum, & vnà cum his etiam partes magis ab hoc affectu detentæ. Partes læſæ pellibus animalium actu tepidioribus continuè cooperiantur: vel ſi hæ deſint, ſit loco harū ſtuppa canabina, vel lana ſuccida ſemper calida. Reuellatur materia cum frictionibus in parte oppoſita factis, fiant clyſteria acriuſcula ad eandem intentionem. his poterit morbus ſuperari, niſi noua regeneretur, & fluxerit materia: quo caſu adeunda eſt ea indicatio, qua membro generanti, & tranſmittenti attendendum eſt. Vnde ſi cerebrū ſit in cauſa huius materiei, cōſideret Medicus, qua hoc intemperie laboret, eamque corrigat, & temperet. in cuius vſum veniunt ea, quæ in hoc caſu (vbi in culpa ſit intemperies frigida, calidaue) omnes docent adminiſtranda eſſe, ſed præcipuè hic aſſumantur Embrochæ aquarum naturaliū, quæ hic multum prodeſſe poterunt; robur enim cerebri hinc habebimus, & materiæ diſcuſsionem, quam ſimiliter tentare poſſumus ex eiſdem, ſi inſtillētur ſupra partes affectas. Si autem non cerebrum ſit pars primariò affecta, ſed vna ex inferioribus, ei incumbatur, tum intemperiē tollendo, tum ipſam roborando. ſiq; genita materia ab his adhuc in fluxu fuerit, hæc euocētur ad extra, & ſimul diſcutiatur. quo caſu expertus ſum ſinapiſmata omnibus medicamentis; præſtare; his enim adminiſtratis, vidi quieuiſſe motum hunc. ſicuti animaduerti in puella decimum quartum annum agente: quæ cum maximè molæſtaretur ab hoc motu, per annosq; ita laboraſſet, & per interualla morbus regrederetur, ex nullis, quę plura à Medicis parata fuere, remedijs vllum ſenſit iuuamen; tandem cum tempore exacerbationis illius motus cōquereretur maximè ſe affligi ſub coſtis mendoſis propè ſpinam in dextra parte, ego iudicans hanc partem primariò affectam eſſe, hincq; tranſmitti, & communicari materiam neruis illis proximioribus, indeq; cauſari motum cum conuulſiuum, ſolis ſinapiſmatibus, præmiſsis tamen vniuerſalibus ei parti applicitis, morbū

ſuſtuli, qui tamen ſemper totã dexterã corporis partem apprehendebat, ac vehementiſsimè cruciabat, adeoq; vt & diſtorſiones membrorum, & affectum, epilepſię conſimilem, ſæpè induceret. Vltra ſinapiſmata tamen parti primariò affectæ adhibita, diſcutientia etiã neruis applicentur, ijdéq; roborentur & per exterius admota (qualia ſunt inunctiones, emplaſtra, perfuſiones, balnea, Embrochæ, ac ſimilia) & per interius aſſumpta, qualia erunt Confectiones magnę, Antidoti variæ, Caſtoreum ipſum, & vſus Terebinthi Cyprij, quæ valde prodeſſe poterunt. Vbi tamen cerebrũ primariò affectum ſit, præcipuè ſum expertus pulueres ex cornu ceruino, talo ſuillo, cornu Vnicornis, craneo humano, & conſimilibus oſſeis medicamentis, addita cortice ligni Guaiaci, & radice ſalſæ pariliæ, multum profuiſſe. quæ etiam in cæteris caſibus prodeſſe poterunt. Si verò affectus hic rebellis fuerit, nec prædictis ceſſerit remedijs, decoctum ſalſæ pariliç, additis corticibus ligni Guaiaci, & alijs, quę neruos reſpiciunt (ſicuti iua, ſtęchas, & ſimilia, cum tenui, & ſiccanti victus ratione) opportunè exhibeatur ad minus per viginti quinq; dies; ita enim deuinci poterit, & potiſsimũ vbi intemperies mẽbrorum prauam materiam generantium, & tranſmittentium, ad frigidum declinauerit, Si autem ad calidum vergat, fluxioq;, & diſtillatio ſit admodũ praua, potius veniat in vſum decoctio radicis iuæ; hæc enim, diſtillante, & fluente materia tenui, calida, & praua, multum prodeſſe ſolet; & ideò in caſu iſto cæteris pręferatur. Alimenta flatuoſa, & vaporoſa in affectu iſto vitentur, ſimiliter & quęcunq; acida, & acria, & quę praui, & tetri ſunt odoris; hæc enim omnia neruos lædere ſolent. Vinum primis diebus interdicatur, poſtmodum autem debile, & aquoſum concedatur. Veneris vſus prohibeatur, & omnis acris exceſſus, præcipuè autem frigidus, & humidus, & omnia animi moleſta accidẽtia, quæ potiſsimum hunc morbum exacerbare ſolent, fugiantur.

De Obstructionibus arteriarum leuium pulmonis.
Cap. XXI.

QVemadmodum nerui, qui omnes à cerebro originẽ ducunt, aliquandò malè afficiuntur, hincq; cum deterius habent, vt in conuulsiuo motu fieri dixi, cerebrum ipsum in consensum ducunt; pariter arteriæ, quæ à corde propagantur aliquo affectu, præter naturam nonnunquam deprehenduntur, & per eundem propriam noxam cordi communicant. Ex quibus arterijs præcipuè eæ, quæ leues in pulmone existunt, malè affici animaduerti, dum obstructione laborant. qui casus maximè à medico considerandus est; quoniam per tales obstructiones sæpius homines in periculum vitæ manifestissimum, ac in mortem ipsam deducuntur; cum tamen hoc absque insigni noxa, quæ ab ipso ęgrotante ab initio percipiatur, fieri consueuerit. in talibus enim obstructionibus nec patientes respirandi difficultatẽ, nec grauitatẽ, nec dolorẽ, nec aliud molestũ symptoma incurrunt, & tamen, cũ hæ acutæ fuerint, ac perseuerauerint, nisi tollantur, tandem eosdẽ perdunt. Obstruũtur arteriæ istæ leues à duplici causa; nam vel ex succis frigidis vel ex crudo tuberculo in eisdẽ genito obstructione laborant. vbi n. humores crassi, & viscosi in ipsis arteriis infarti fuerint: vel vbi phyma aliquod, seu tuberculũ crudũ in eisdem genitũ erit, arteriæ obstruuntur. Quibus obstructis, cordi tandem praua affectio cõmunicatur, hincq; patientes vel sunt proni in syncopem, vel etiam in suffocationem. quoniam obstructis ijs arterijs, nõ ita facilè recrementa fuliginosa expelli possunt, quibus retentis semper cor necessariò patitur. Dum tamen istæ arteriæ leues in totum non sunt obstructæ, fit pugna, naturaq; præpotenter resistit morbificis causis, indeq; per vim propriam, & innatam quærit difflationem, & transitum earum viarum, vt indè fuliginosa excrementa retrudat. quod vbi sufficienter assequuta fuerit, nullum adhuc nec syncopis, nec suffocationis pericu-

Obstructionũ leuiũ arteriarũ pulmonis causæ.

lum instat. Vbi autem hoc nequaquam cõsequatur, vel facta omnimoda obstructione, vel propè ad eã accedente, retẽtis fuliginosis excremẽtis, in periculũ syncopis primò, post modum & suffocationis etiã ducitur homo. Deprehẽduntur obstructiones istæ à solo pulsu, nec vllũ aliud inditiũ habẽt. in his.n. nec tensio, nec grauitas, nec dolor, nec respirãdi difficultas, nec quid aliud molęstum percipitur; quoniã affectio à materia pendet frigida, & in loco est nullã sensationẽ habente. pulsus autem immutatur ab hac necessariò; quoniã organis, & instrumẽtis lęsis, non potest nõ immutari pulsus, qui ex hac læsione omnẽ acquirit inæqualitatẽ, & non tantũ illam, quæ in vnica pulsatione reperiatur, sed eam etiam, quam systimaticem, seu collectiuam appellant: vnde in huiuscemodi obstructionibus magnæ & prauæ, celeres & tardæ, raræ & frequentes, validæ & imbecilles adsunt pulsationes: inter quas aliquæ decurtantur, aliquę nonnunquã intermittunt, aliquæ intercidunt; in eadem autem pulsatione sæpe est inæqualitas quò ad plures eius differentias. Vbi autem talis inæqualitas contigerit, & ex his pulsationibus plures erunt magnæ, vehementes, celeres, intercidentes, & æquales, minorem læsionẽ indicant, & minus periculum minantur: vbi autem plures erunt languidę, paruæ, decurtatæ, intermittentes, & crebriores, offensam ingentẽ attestantur; & periculum præceps prænunciant. in aliquibus tamen patientibus, cum grauis non est affectio, solent etiã adesse pulsationes plures ęquales, quas interpellant nõnullæ vel periodicè, vel nullo seruato periodo decurtatæ, aut intermittentes, quod in principio harum obstructionum pręcipuè contingere solet: qua de re pulsuum hæc æqualitas à pulsu vel intermittente, vel decurtato interpellata habeatur pro inditio incipientium, ac futurarum huiuscemodi obstructionum. An autem hę fiant, cum à duplici causa gignantur, vel à crassis, & viscidis humoribus, vel à tuberculo crudiori, hinc cognoscatur. Vbi crassi, & viscidi humores

Signa differentiarum.

mores fuerint obstructionum causæ, tunc pulsus (quoniam in utrisque casibus semper adest aliqua durities) erunt duri per tensionem: vbi autem tuberculum sit id, quod obstruat, erunt duri per tensionem, & siccitatem. præterea in obstru ctione ab humoribus pulsus erunt magis inter se diuersi, nec semper eodem modo procedent, sed variabunt, prout humor obstruens vel in hanc, vel in illã partẽ magis impinget. At à tuberculo inæqualitas erit magis vniformis, cũ à causa magis cõstanti, & fixa causetur. præterea in humorũ obstru ctione æquales pulsus plures simul, ac collectiuè adesse pos sunt: at in tuberculo plures sunt inæquales. vnde vbi aliquæ intermittentes, aut decurtatę pulsatiões plures ęquales inter pellauerint, cẽseatur hanc obstructionẽ ab humoribus factã esse. à tuberculo.n. non possunt plures adinuicẽ se subsequẽ tes æquales, ac ordinatæ fieri pulsationes; cũ causa lædens ipsa organa immediatè eadẽ lędit, ac in eis fixa eodẽ pacto semper permanet: quapropter hinc æqualitas naturalis pen dere nõ potest, licèt nõ naturalis, seu pręter naturã (idest, quæ plures inęquales pariter habeat) hanc concomitari con sueuerit. In hac autẽ pulsuũ inęqualitate hoc solet esse vtrisque obstructionib. cõmune, quòd si intermittentes pulsus, ceteris pulsuũ differentiis admisceantur, quãdo intermittit pulsus, percipiunt patientes motũ quemdã, tãquam ictum in regione cordis, perindè, ac si quis ipsi cordi tunc manum obuiet, ac motum impediat. quod non causatur, nisi ab obstructione tunc valenter irruente, ac cor comprimente, indeq; pulsus motũ impediente. quod idem ferè cõtigit à pul su decurtato. Sed cum decurtatum minor noxa inferat, quã intermittentẽ, minorẽ etiam percipiunt patientes motum, & istum ictum à decurtato pulsu, & minus ab eo læduntur, quàm ob intermittente. Cum percipiunt ictum istum ęgrotantes, si ab humoribus crassis obstruentibus hoc factũ sit, statim reuocantur patientes. in ijsdemq; per quædam inter ualla, existente agitata diuersimodè à naturali facultate ma

teria, aliquandoq; versus cor infarta, ac detrusa, & aliquã do ab eodem transmissa; renouantur tales pulsationes. at vbi a tuberculo obstruente fiat talis ictus, vereq; intermiserit pulsus, non ita reuocantur patientes, hocq; erit indiciũ tuberculum augeri, properareq; ad omnimodam obstructionem, nisi hoc à causa procataritica, sicuti à copioso vini virosi potu, ab ira, à vehementi motu, à destillatione super ueniente, & similibus rebus exacerbatum, & concitatũ fuerit. vbi enim hęc non præfuerint, intermissio pulsus manifestissimũ vitę discrimẽ prognosticatur: qui si supra vnã pulsationẽ intermittat, mortẽ instare prænunciat. Vtrisque his obstructionibus, videlicet, & ei, quæ à crassis humoribus, & ei, quę à tuberculo causatur, hoc etiam cõmune est, quòd vbi occupauerint arterias leues, si perseuerauerint, augeantur: vbi autem auctæ fuerint, etiã asperis arterijs cõmunicentur, & tunc, quę prius non aderat, respirandi superuenit difficultas, quæ semper pro ratione adauctæ obstructionis increscit, hac tamen differentia accedente, quòd in obturatione à crassis succis difficultas respirandi non est semper vniformis, nec semper vniformiter adaugetur; quoniam aliquando intensior, aliquando remissior esse potest pro ratione materiæ, & loci obstructi. at in obturatione à tuberculo semper est vniformis, & vniformiter, nisi à causa externa concitetur, vel magis angustietur, sicuti à motu, à destillatione superueniente, ab immoderata ira, à copioso vini potu, à nimia ciborum ingurgitatione; & similibus causis, adaugetur; quoniam causa hæc de se est stabilis, ac fixa, & vniformis existit. Vbi autem hæ obstructiones arterijs asperis communicatæ fuerint, indeq; accesserit respirandi difficultas, cum diutius hæ perseuerauerint, calor innatus, quoniam hic vnà cum corde sufficienter non euentatur, languescit, ac imminuitur: cuius ratione in nonnullis sæpe succedere solet, hoc marcescente, refrigeratio cæterorum mẽbrorum, & pręcipuè ipsius hepatis, cuius merito his obstructio-

Difficultas respirandi quando superueniat obstructioni leuium arteriarũ pulmonis.

ſtructionibus, cum diutius perſeuerauerint, hoc reddito imbecillo, ac debiliori, ſolet ſuccedere aliqua hydropis ſpecies. Vnde tales ęgrotantes vel in anaſarcam, vel in aſcitē deducuntur, perindeq; ac ex difficili reſpiratione, ex his morbis periclitantur. Quibus etiam ſuccedere ſolet, communicata ingenter ipſi cordi affectione, ipſius cordis palpitatio, quæ patientes angit, & eoſdem, cum deterius habent, in lypothymiam, ac ſyncopem deducunt. Quapropter maximè animaduertat Medicus haſce arteriarum obſtructiones tum ratione periculi; tum ratione difficultatis rei, cuius meritò forſitan hęc tractatio ab ordinarijs practicis neglecta fuit, quam tamen aduertere, & docere tenebantur; tū quia de his meminit Gale. lib. 4. de locis affectis cap. vltimo in hiſtoria Antipatri, tum quia caſus iſte quandoq; accedat, ęgrotantesq;, ac Medicos ſæpè eludat, qui periculum non perpendunt, niſi cum ſymptomata, & morbi prędicti ſæuierint. Pro huius autem cognitione pro nunc ſufficiāt ea, quę à me propoſita ſunt; tum vt morbi eſſentia, tum vt eiuſdem cauſæ, differentiæ, ac ſigna omnibus pateant. His habitis, curationem aggredior. Præſentibus obſtructionibus in leuibus pulmonum arterijs, quid indicatur? duo in- *Indicationes.* dicantur; alterum, quod commune eſt vtriſq; cauſis; alterum, quod ſingulis proprium eſt. Commune eſt, vt redūdantia humoris affectionem generantis expendatur, & cōſumatur. proprium autem eſt, vt affectio à craſsis, & viſcidis pēdens humoribus tollatur per attenuātia, & extergētia medicamenta. quæ autem à crudo tuberculo genita eſt, per attenuantia, & reſiccantia curetur. An autem Medicus his indicationibus plenè ſatisfacere poſsit, iudicet ex proprijs *Prognoſtici.* harum obſtructionum ſignis, & cauſis, ac ex his ſymptomatibus, vel morbis, quæ his ſuccedent. Nouerint enim difficillimum eſſe obſtructiones à tuberculis genitas remouere; tum quia in his cruda admodum, & digeſtioni rebellis adeſt materia; tum quia affectio eſt in loco, cui valida, &

potentia remedia applicari non possunt.& hoc maximè, vbi progressa, & antiquata fuerint hæc tubercula: si autem à viro, qui in arte medica multum polleat, incipientia cognoscantur, rectaq; ratione curentur, non ita difficile erit à principio ea soluere; quare eorum solutionem tunc temporis sperare poterit. hæc autem omnia de tuberculis intelligantur, quatenus cruda sunt; quoniam si hæc aliquando ad suppurationem deuenient, vnde postea disrumpantur, læthalem inferunt casum: nã materia suppurata effunditur supra cor, & indè subito mortis periculum instat, vt sæpius experientia testata est. Quæ autem à crassis & viscidis succis ortæ sunt obstructiones, non ita difficile est remouere; quoniam similes materiæ facilius medicamentis cedunt, quàm tubercula illa cruda.& istæ obstructiones, siue incipiẽtes, siue antiquatæ fuerint, poterunt solui facilius. hæq; cũ minori periculo semper, quàm tubercula, antiquantur, & perseuerant. Quoniam tamen ab his, vbi antiquatę fuerint, communicantur aliquando hæ obstructiones arterijs asperis, indeq; succedit respirationis difficultas, si ad hæc successerit refrigeratio illa caloris innati, vnde vel hydrops sit præsens, vel immineat, ferè impossibilis erit earũ curatio; sicuti & illarum, quæ à progresso, & antiquato tuberculo erunt causatæ, nullo pacto possibilis est solutio. in quibus omnibus semper considerentur ęgrotantis pulsus: qui, vbi erunt valdè inæquales, & plurimi ex his sint imbecilles, praui, decurtati, vel intermittẽtes, maiorem noxam, ac periculum ingens prognosticantur. si autem plurimi sint æquales, vehementes, magni, & ordinem seruent, minus malum, ac minorem curandi difficultatem prønunciabunt. In eisdem etiam consideretur cordis status; si enim ratione consensus, & communicantiæ palpitationem incurrat, in lypothymiamq; pronum sit, res in deteriori est conditione, quàm vbi cor ex eisdem obstructionibus nihil tale passum fuerit. His autem consideratis, adeat Medicus curationem; cuius, quoniam

quoniam ratione causarum bipartita est; ideò non vnicus, sed duplex erit curandi modus. Vbi enim obstructio pendeat à crassis, & viscidis humoribus; attenuantia, & abstergentia pharmaca adhibeat. & quoniam in his administrandis omnia ea, quæ in asthmate valida sunt, conueniunt; ideò pro hac tollenda traducatur in hunc casum tota, ac integra asthmatis curatio, tum quò ad vniuersalia, tum quò ad particularia peragenda. Vnum tamen moneo, quoniam locus affectus est in penetralibus magis internis, quàm sit in asthmate, quòd in hunc vsum vehementiora, & potentiora medicamenta, & quæ validius attenuare cum abstersione possunt, assumantur, quæ ad maiorem penetrationem vel liquida, vel cum liquoribus diluta præparentur. Vnde in tali casu iubeo ego, vt multa medicamenta in asthmate opportuna sublimentur, vt hinc tenuiora reddita, facilius penetrare vsque ad locum affectum queant. Ex quibus præcipuè elenij aquam modò simplicem, modò alijs validioribus admixtam, & per sublimationem in duplici vase factā postea administro, eiusq; vsum plurimū, ac fælicissimum habeo. Et præ cæteris quoniā sulphur est vnum ex his, quæ valdè potentia sunt in discutiendis, & consumendis humoribus crassioribus, eius aquam in difficilioribus, ac magis rebellibus obstructionibus accipio, & commisceo iuleb formatū ex melle ad eam quantitatem, vt facilè à patiente assumi possit; hoc medicamētum exhibeo ad cochlearia duo, vel circa ante cibum per duas horas, & potens hinc remedium habeo ad attenuādos, & disperdendos tales humores obstruentes. Ad idem ellectuaria, cuius basis sit chalybs præparatum, admixtis medicamentis incidentibus, & opportunis, quale est gentiana, elenium, aristolochia, thymū, pulegium, iua, origanum, & similia, cum maxima vtilitate exhibeo. & vbi hæc non sufficiant, ascendo ad medicamentum ex scylla, vel simplex, vel admixtum cęteris prędictis medicamentis. hæc & similia formanda sunt remedia. quibus

Curatio obstructionis à crassis succis.

bus administratis per interualla quædam, ac interpositis nō nullis paucis diebus, sicuti vel vnoquoque duodecimo, vel decimo quinto die exhibeantur pharmaca soluentia, quę apta sint humores crassiores educere, & à longinquis partibus euacuare, quæ potius in forma solida, quàm liquida formata sint, qualia sunt pilulæ cochię, aggregatiuę, de nitro, & omnes illę, quæ gummata recipiunt, quibus admisceri possunt quandoq; cortices radicum ellebori nigri, turbith, & similia, quæ quantum possint in huiuscemodi affectibus, mirum est: quoniam tamen sæpius hæc eadem pharmaca repetenda sunt, nō in summa dosi accipiantur. per exterius autem administrentur eę inunctiones, quæ cutim exasperando, et lancinando ex alto materiam euocare possint, sicuti quæ recipiunt nitrum, salem, pumicem, fecem vini coctā, æruginis, & quę huius sunt ordinis. Quò ad victum, sit valdè attenuans, & in eo quęcunq; repletio fugiatur; & omnia ea, quæ crassos humores generare, & adaugere apta sunt, vitentur. Vinum sit antiquum, tenue, & nequaquam adstringens, sed maturum valde existat, potusq; nec parcus, nec immoderatus fiat, ne illinc materia incrassetur, ac siccetur; hinc autem nimium grauantur naturales facultates, quæ à nimia vini potentis quantitate sępius obstruūtur, & languēt. & hinc omnem (vt in summa dicam) victus rationem, ac medicamenta quoque haud aliter, quàm asthmaticis iubeat Medicus, qualia Galenus in Antipatro talem obstructionē patiente adhiberi iussit, licèt aliter senserit Aetius, qui iudicauit in Antipatro obstructionem non à crassis humoribus, sed à crudo tuberculo factam fuisse; cum tamen verba Galeni, dicentis [At ego probabilia inquam ipsum dicere, sed à veritate aberrare, quippe cum ab huiusmodi causa orthopnęa fiat humore crasso, & lento non in leuibus arterijs, sed aspera arteria collecto] oppositum perinde, ac etiam eius curationis modus ab eodem propositus, indicent. non enim coincidit curatio asthmatis à crassis succis cum ea, quæ debetur

betur tuberculo obstruente, vt docet Galenus lib. 7. de Com.med.secundum loca cap. de orthopnæa.& hæc de ob structione arteriarum leuium intra pulmones existentium,à viscidis,& lentis humoribus genitarum. Vbi autem hæ ob struantur à crudo tuberculo, per attenuantia, & resiccantia, per quæ idem tuberculum consumi, & disperdi queat, est procedendum. his tamen (quoniam vniuersalia particularibus præcedere debent) præmittenda erit tum corporis vniuersi purgatio, tum venæ sectio, si in corpore pletorico, & quod humore copioso abundet, sit factũ hoc tuberculũ; quibus præmissis,eaq; ratione, quam in altera obstructione administrandam esse monuimus, adhibitis, accedat Medicus ad vsum eorum medicamentorum, quæ attenuantia, & resiccantia existant. talia erunt aromata, quale est cinamomum, piper, macis, ireos, nux moscata,cardamomum, galanga, zingiber, cubebe, zedoaria, costus, & similia;ex his pulueres, & electuaria Medicus formare poterit, quæ in continuo sint vsu. & quoniam ex his formata sunt plura specierum genera, ideò varia in hoc casu vtilia poterunt esse,sicuti species aromatici ros.diagalangæ,diamoschi amari, diacimini,diacalamẽti,& cõsimiles. his autẽ omnibus Theriaca antiqua, & Mithridatũ potentiora erunt. Vltra hæc inueni proficuũ vsum pulueris ex ossibus formati, admixto cornu ceruino,& quibusdam ex aromatibus prædictis. Valdeq; potens etiam in hoc reperi vitrum combustum. quibus omnibus etiã sulphur viuum, tanquam medicamentum valde potens in absumendo, & digerendo,commisceatur: his tamen semper admiscenda sunt aliqua, quæ manuducant medicamenta prædicta ad locum affectum, ac ad thoracẽ ipsum. hæc autem continuè administrentur, per interualla tamen, vt superius notaui, exhibeantur medicamenta soluentia, quæ saltem materiam fluentem retrahere poterunt. Quoniam autem sæpè prædicta non sufficiunt ad tollendum, vel saltem minuendum tuberculum, ego aliquando ad

Curatio obstructionis à crudo tuberculo.

do ad

do ad decoctum salsæ parilię, tanquàm ad medicamentum valdè in discutiendo potens, deueni, & eo morbum leniui. quod idem tamen in antiquato exhibui, & nihil profeci. Inunctiones similes prædictis etiam in hunc vsum assumantur. Victusq; similiter attenuans præscribatur, sed parcus magis sit, quàm in obstructione, à crassis, & viscidis humoribus genita. Parcior autem multò sit potus; parum enim bibere debent oēs hi, in quibus abscessus internus reperiatur. & in his vinum exhibendum sit tenue, & antiquū, & potius generosum, quàm aquosum. Fiant communiter in ambobus hisce casibus omnia genera reuulsionum, & deriuationum ad retrahendam materiam à loco affecto. degāt in aere tenuiori, ficciori, & validiori. exerceantur moderatè. somnus longior, & diurnus vitetur. & omnia ea, quæ destillationes vel inducere, vel augere possent, ac ea, quæ thoracem lædere apta sunt, fugiantur.

De morbis acutis mulierum vtero gerentium. Cap. XXIII.

AFfectus, quos hucusq; explicaui, vtriq; sexui communes sunt; nunc de duobus agam, qui fæmineo tantùm sunt peculiares. euenit enim aliquando, vt mulieres, dum vel vtero gerunt, vel sunt in puerperio, diuersis conflictentur morbis: qui si vel neglecti, vel malè curati fuerint, eas in perniciem ducunt. quare hos duos fæminarum status considerantes, primò agemus de morbis acutis mulierum pręgnantium, secundò de his, qui in puerperio superuenire solent. quid enim in his agendum sit, & quomodo Medici hos curare debeant, non ita liquet, nec qui artem hanc communiter faciunt, locum istum explicasse videntur. Primam autē partem aggrediens dico, quòd tria habemus pręcipua remedia, quibus potissimum in morbis vtimur acutis, scilicet rectam victus rationem, sectionem venæ, & pharmacum: quę omnia consideranda sunt, an conueniant. & si conueniant, quo modo in vtero gerentibus admi-

administranda sint. Quò ad victum nulli dubium, quòd in morbis acutis victu tenui, immo aliquando tenuissimo; uti debet ægrotantes, qui tamen in vtero gerentibus non ita tutus est. Vnde Galenus lib. 5. Aph. commen. Aph. 30. exponens sententiam Hippocratis dicentis, Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale esse, dicebat ex morbis acutis vtero gerentibus duplex imminere periculum; alterum ex magnitudine febris, quæ fætum occidere potest; alterum ex tenui victu, qui morbis debetur acutis, cuius ratione ex alimenti defectu fætum destruimus: quod alimētū, si vt hunc, seruemus, nō verebimur crassiorem exhibere, febres cōtinuas victu intēpestiuo augentes, matrē occidemus. quare hinc (quoniā & fętū, & matrē simul, vt res prosperè succedat, seruare tenemur) duo habemus; vnum quòd ratione fętus in his pro victu cibi aliquid adijcere, alterū autē, quòd ratione acutiei morbi detrahere debemus. quibus duabus indicationib. cōtrarijs existētibus, & vtrisq; neglectis mortem minitantibus, hinc Medicus non tenuē, nec plenum, sed mediocrem imperet victum, ex quo nec fætus decidere, nec morbus ingrauescere poterit. nam ratione fętus facilè absumetur talis ratio victus, quæ nec morbo poterit esse grauis, cum manutenere & fætus, & matris vires tantùm, non autem eas grauare possit. Vnde in morbis acutis vtero gerentium poterit Medicus ascendere ad iura pullorum tenuiorum, in quibus fercula parentur, vel ptisana dissoluatur; aliquando ad lutea ouorum recentium sorbilia, abstinendo tamen semper à vino, & carnibus, & omnibus his, quæ multum nutrire, & inde morbum augere possunt. hæc de genere victus. quò autem ad quantitatem, quantitas sit maior, vel minor pro ratione maioris, vel minoris magnitudinis fętus. vnde maior sit quantitas in vltimis mensibus; quoniam tunc fætus grandior vberiori indiget alimento, in medio autem tempore sit moderatus; in principio verò gestationis vteri sit minoris quantitatis

Mulierum vtero gerentium in morbis acutis qualis debeat esse victus.

tatis, vel parum immutatus ab eo, quo vteretur, si mulier non concepisset. hæc de primo auxilio.

Sectio venæ an conueniat in morbis acutis mulierum prægnantium.

Secundum auxilium erat sectio venæ, quæ ex sententia Hippocratis lib. 4. Reg. acut. tex. 19. in omnibus acutis morbis florente ætate, & constantibus viribus administranda est. quod idem comprobans Galenus millies affirmauit. Hanc sectionem venæ docet Hippocrates lib. 5. Aph. 31. in utero gerentibus abortum causare, & ideo cauenda erit, dum dicebat [Mulier vtero gerens sanguine misso ex vena abortit, & magis, si fętus sit maior.] quare dubitandum venit, an hoc secundo auxilio in mulieribus vtero gerentibus, dum acuto morbo detinentur, vti conueniat; quoniam si non secetur vena, morbus sæuior redditus patientem necabit. si autem secetur, incurret mulier abortum, qui est casus lethalis in acuto morbo. hæc difficultas ita explicāda venit. Mulier vtero gerens, misso sanguine è vena, abortit; quia extracto sanguine subtrahitur alimentum fętui. Vnde si fętui hoc non subtrahatur ex sectione venæ, nec etiam abortum ex hoc incurrere debet. hoc fiet, si, dum fætus est minor, sicuti est in primis mensibus, tunc mittatur sanguis; cū enim his temporibus fætus plurimo non indigeat sanguine pro sui nutrimento, si secetur vena, non erit periculum, quòd fætui alimentum subtrahatur, & eò magis, si mulier patiens fuerit pletorica. Vnde à primo mense vsque ad quintum tutò venæ sectio administrari poterit. Circa autem vltimos menses magis rem circunspiciat Medicus; quoniam cum fætus maior hisce diebus factus sit, copiosioriq; hinc indigeat alimento, non ita tutum erit secare venam. Si autem mulier sanguine abundet, & copiosa admodum non fiat venæ sectio, tutò mitti potest sanguis; quoniam hinc sedabitur morbus, nec tantum alimentum fætui subtrahetur, vt hinc mulier abortum incurrat. Si autem videatur aliter sensisse Hippocrates loco citato lib. 5. Aph. 31. clarè docens sanguine misso mulierem vtero gerentem abortum pati,

Ani-

Animaduertatur, quòd longè aliter nos venam secamus, ac faciebant antiqui: illi enim ad libras, nos ad vncias sanguinẽ mittimus. non minus enim, quàm ad Cotylam consueuerant vt plurimum secare prima vice venam, cuius dimidiam quantitatem postea in sequenti repetebant. Cotyla autem, vt habetur à Galeno in lib. de ponder. & mensur. habet vini vncias decem, mellis autem tredecim. cum verò sanguis melle minus, vino autem magis ponderet, Cotyla habebit sanguinis ferè vncias duodecim. Nos autem ad tantam quantitatem etiam in rubustis viris, nè dixerim in mulieribus, non ascendimus, nisi raro, & vbi plenitudo ingens existat, & vrgentissimus sit casus, sed ad vncias tantùm sanguinem mittimus. quam quantitatem in vtero gerentibus seruantes nunquam viribus constantibus abortum causabimus. Immo ad præseruandas mulieres ab abortu, quæ in hunc incurrunt ob multitudinem, & copiam (quę in multis generari, & abundare, & per plures dies, dũ non concipiunt, copiosè menstruis temporibus expurgari solet) sanguinis fętum suffocantis, & occidentis, nullum validius remedium excogitari potest sectione venę. qua testor ego me plurimas ab abortu, in quem frequenter inciderant, ex sola sanguinis missione, primis mensibus facta, præseruasse. Non ita tamen cẽsendum est de hac sanguinis missione, vel moderata, vel parca in vtero gerentibus administranda, vt vnquam non veniat etiam in vsum, si copiosè fiat; interdũ enim in vltimo mẽse copiosa sanguinis missio facta nõ spernendum attulit iuuamentum. Et ego aliquando hanc venæ sectionem copiosè factam in vltimo mense, instante partus tempore, dum vtero gerentes ardenti conflictarentur febre, plurimoq; abundarent sanguine, tentaui. & hinc remissionẽ febris, ac partus accelerationẽ sperãs, vtrũq; ex sanguinis missione consequutus, summa cũ vtilitate administraui, fętumq; & matrem vnà periclitantem ex hoc solo remedio saluaui. quod remedium in aliquibus prætermissum, & à Medicis

Sectio venæ aliquãdo præseruat mulieres ab abortu.

Medicis verba solũ Hippocratis, & non ipsam rẽ ponderan tibus neglectum, fuit in causa, vt conceptus sæpe vnà cum matre à plenitudine, & feruore sanguinis suffocatus miserabiliter perierint. Quare commendo in simili casu copiosam sanguinis missioné;in cęteris aũt moderatã,& ad vncias factã.quã ad præseruationem ab abortu, vbi à plenitudine immineat, summoperè probo, nec ista contra Hippocratis, Galeniq; sententiam erunt, quia salutem ægrotantium,non vanas opiniones sectati sunt. & hæc de secundo auxilio.

Tertium auxilium erat pharmacum. quod an conueniat, & quando conueniat in vtero gerentibus, clarissimè docet Hippocrates lib. 4. Apho. primo, & Galenus ibidem. quo loco habetur, in his mulieribus nunquam conuenire pharmacum, nisi materia turgente. nec turgente materia semper admittendum esse, sed solum à quarto mense vsque ad septimum. Hunc aphorismum audiui nonnullos Medicos ad indicationem sectionis venæ transtulisse. Sed longè alia est ratio sectionis venæ, & alia pharmaci. sectio enim venæ suspecta est,quia per eam alimentũ fætui subtrahitur.at pharmacum non ratione subtractionis alimoniæ, sed quia in vtero gerentibus maximam facit cõmotionem, vnde diruptio ligamentorum, & abortus impẽdet, periculi plenũ est. Quod perpendens Hippocrates abstinebat à pharmaco primis, & vltimis mensibus;in medio autem tempore non nisi turgente materia concedebat. hoc idem ponderans Galenus duo dicebat; alterum, quòd cum primis, & vltimis mensibus facilè ex validis motibus, in illis ex ligamentorum mollitie, in his autem præ grauitate fętus, dirumpãtur ligamenta; ideo nec primis, nec vltimis mensibus vnquam pharmacum admittendum esse. in medio autem tempore,quo firmiorem habent conceptus coalitum,vndè tunc mulier pôtest fortiores sustinere motus sine fętus offensione,nonnunquam administrandum fore. alterum erat, quòd in intermedio hoc tempore non indiscriminatim conueniat phar-

Pharmacũ an conueniat in morbis acutis mulierum prægnantium.

pharmacum; sed solum quando materia turget. ratio est, quoniam in materia turgẽte exhibito pharmaco, nec magna fit in corpore cõmotio; quia humores turgentes sponte facile hincinde defluunt, naturaq; motum adiuuante facillime leni pharmaco educuntur. cuius merito dicebat Galenus. Cum natura ad hos expellendos humores incitatur, nõ vehementi pharmaco, sed aliquo manum porrigente, & hũc humorum motum ad aluum deducente solum indigere. cuius ratione satis liquet minorem ex materiæ turgẽtis, quàm fixæ purgatione in corpore cõmotionem fieri. & ideò nec hinc vtero gerentibus discrimen abortus in intermedio tem pore, præcipuè cum in his mensibus fœtus externis causis, tum quia coalitum firmiorem habent, tum quia grauitatẽ non ponderant, non ita facile cedunt, imminere potest. & ideò summa cum ratione ab Hippocrate statutũ est, à quarto mense vsque ad septimum, si materia turgeat, has medicandas esse. Quam Hippocratis sententiam Galenus lib. primo Epid. sect. 3. commen. 29. amplificat etiam ad tertium mensem, hæc verba habens. [Iam illud quoque meminisse par est, fœtum trimestrem, & quadrimestrem præter cæteros iniurijs resistere.] His igitur omnibus prædictis mensibus poterit Medicus, materia turgente, pharmacum administrare. at quæ erunt pharmaca hæc? non profectò electiua illa, & vehementiora medicamenta; tum quoniam hæc maximam in corpore commotionem faciunt, tum etiam, quoniam in materia turgente ista non conueniunt. quæ materia turgens manum porrigente pharmaco, & ideò leni tantùm indiget. tale erit syrupus rosatus solutiuus, Manna, Cassia fistula, Rhabarbarum, & huiuscemodi lenia, & benedicta pharmaca, quibus vrgente necessitate parum quid vel Diaphniconis, vel electuarij de succo rosarum addere poterit Medicus, nunquam tamen ista transcendens. At his eisdem medicamentis ausi sunt nonnulli vti etiam in vtero gerentibus, non turgente, sed firmata materia, confisi beni-

gnitate

gnitate eorundem medicamentorum, ac opinantes ideò pharmaca in infirmata materia Hippocrati, & Galeno suspecta fuisse; quoniam ætas illa tali genere medicamentorum caruerit. Sed animaduertant hi ex Galeno, quòd talia medicamenta sunt ea, quæ administranda ipse docet turgente tantùm, & non firmata materia, quam firmatam nullo pacto mouere pharmaco præcipit. Vndè cum vehemétiora pharmaca nullo conueniant tempore gestationis vteri, & lenia tantùm conueniant turgente materia, nec etiam ista vnquam conuenient, vbi materia non turgeat, sed firmata sit. hæc enim medicamenta, quæ turgente materia, quoniam cõmotionem, & agitationem eadem turgente in corpore non faciunt, conceduntur; si firmata fuerit materia, cum ad motum naturam adiuuantem, & incitatam nó habeant, materiaq; de se sit segnis, vt ex immobilitate apparet, magnam erunt apta inducere cõmotionem; valdeq; agitare poterunt vtero gerentes, & fætus, cuius validi, & importuni motus ratione disrumpi facilè ligaměta, & abortus subsequi poterit. quare semper in tali casu hæc eadem medicamenta valdè suspecta erunt, & ideò nunquã in vsum recipienda sunt, nisi materia turgeat. Quòd si interdum proficuè, nulloq; subsequente incommodo hæc à quibusdã Medicis administrata fuerint, vt in nonnullis contigisse vidi, hoc robori mulierum, & fętus firmitudini, quorum ratione vidi etiam tolerata medicaměta abortiua in aliis, quæ sponte abortum procurabant, non rationi, quæ in hoc nusquam est, adscribant, regulamq; ex his, quæ præter rationem, & artem fiunt, non condant. At dices, quid igitur excluso pharmaco agendum erit? alia habemus ingenia, quibus possumus superare morbos, sicuti victus rectam rationem, præparantia humores, concoquentia, clysteria lenia, ea, quæ possunt materias ad vias ductuum deducere, & alia similia, quæ tentanda sunt relicto pharmaco, & hoc præcipuè in febribus ipsis. cuius pharmaci nè meminit quidem

Galenus

Galenus in libris Methodi, in quibus perfectissimam omnium febrium curationem, & curandi methodum docuit, innuens non summam curationis febrium in solo consistere pharmaco. Sed contra hanc sententiam videtur esse Galeni locus lib. 5. Apho. in commen. Aph. 55. vbi reddens rationem, quare vtero gerentes febre detentæ vel abortiunt, vel cum periculo pariunt, inquit, q̃ hæ mulieres aliquando corripiuntur febribus adeò vehementibus, vt ex necessitate abortiant. aliquando autē corripiuntur quidē febribus nō vehementibus, sed mediocribus, in quibus cum à medicis nō sufficienter purgentur, vt potè qui valida medicamenta exhibere mulieri grauidæ nō possint, aliquid superest reliquiarū humorum vitiosorum in corpore, ex quibus postea frequenter fiunt recidiuæ, & diu laborant, vnde tandem vel abortiunt, vel difficulter pariunt. Ex quibus verbis patere videtur, Galenum concedere purgantia medicamenta in vtero gerentibus, etiam in quibus materia non turgeat. vbi enim febres sunt mediocres, non turget materia; cum turgere, vt vbique habet Hippocrates, sit propriū acuti morbi, in quo non mediocres, sed vehementes fiunt febres: & si valdè purgantia medicamenta non concedit, innuit tamē lenia exhiberi posse, dum habet hæc verba. [Sed cum non purgentur sufficienter, aliquid si perest reliquiarum in corpore vitiosorū humorū.] quibus paulò post subdit. [Nō potentibus medicis mulieri grauidæ aliquod validum auxiliū adhibere.] & ideò purgationem, licèt non à valido pharmaco factam, concedit. quare ad mentem Galeni lenientia, & benedicta pharmaca conuenire videbuntur. At res longè aliter se habet; quoniam Galenus clarissimè pharmacū excludit per ea verba, dum habet, mulieri grauidæ nullum validum auxilium adhiberi posse. validum enim auxiliū est pharmacia, vt vbique ipsemet docuit. et m autem inquit, quòd mulieres vtero gerentes in febribus mediocribus non sufficienter purgantur, confirmat in his excludendum esse

An Galenus admisceret purgātia pharmaca in vtero gerētibus, vbi mā non turget

 phar-

pharmacum. non purgantur enim sufficienter; quoniam in eis illa tantùm purgatio adhiberi potest, quam docuit lib. ij. Meth. cap. 9. in febribus putridis administrandam esse, vbi monuit expellenda esse ea, quæ putruerunt, per vrinas, & aluum, & sudorem, & quandoq; per vomitum, si materia sua sponte eò impetum capiat; ad quam intentionẽ ptisanam proponit; & aquam mulsam, & oximele, & apomele, & decoctum radicis apij: quòd si venter spontè nihil reddat, aquam mulsam cum oleo inijciendam per clystere iubet. talem purgationem, quæ imminuere materiã potest, in vtero gerentibus administrare possumus: at eam, quæ eradicare materiam peccantem potest, vt quę pharmaco electiuo tentatur, non vtique debemus, cum in his valida præsidia adhibere nequeamus; & ideò iure dicebat Galenus, quòd cum hæ sufficienter non expurgentur, quoniã integro pharmaco expurgari non possunt, superest in his aliquid vitiosorum humorum, cuius meritò febres, vel protrahuntur, vel recidiuæ fiunt. Qua de re concludatur, pharmacum in vtero gerẽte nunquam, nisi turgente materia, administrandum esse.

An liceat prouocare abortũ dum prægnãtes morbo laborant.

Qui priscam hanc medicorum antiquorum sententiam non animaduerterunt, vel neglexerunt, non tantùm ad expurgandas mulieres vtero gerentes, sed etiam ad prouocãdum abortum pharmacum exhibere ausi sunt. Hi conspicientes mulierem grauidam pleuritide, peripneumonia, angina, febre ardenti, & simili alio acuto detineri morbo, aiũt casum esse ferè impossibilem curatu. quoniam ratione gestationis vteri mulier debita, & opportuna his morbis non potest ferre remedia. vndè necessarium est, vt vel mater, vel fœtus pereat. iudicant autem, vt saluent matrem, fœtum excludendum, & abortum procurandum esse, vt mater à statu hoc naturali liberata tutius possit omne remedii genus admittere; & ideò ad hanc intentionem nonnulli ausi sunt exhibere pharmacum soluens, & alia abortiua medica-

menta, dicentes satius esse, fœtum interfici, vt saluetur mater, quàm eundem vnà cum matre periclitantem ex prætermisso pharmaco conseruare velle, quod postea in vtriusq; perniciem cessurum esse affirmant. Hæc sententia nequaquam admittenda est, vt potè quæ nec monumentis antiquorum, nec rationi consona sit. Hippocrates in Iusiurando suo promittit se nulli fœminæ, quò partum abigat, perdatuè, medicamentum vnquam daturum esse, monetq; in lib. de natura muliebri, vbi mulier conceperit, & prægnãs sit, si erysipelas in vtero fiat, cum tamen eam peritură censeat, non vtendum esse his cibis, ac potibus, à quibus fœtus corrumpatur. Galenus nunquam docuit abortum procurandum esse, fœtusq; ita semper curam habuit, perindè ac viuentis hominis. & in morbis acutis mulierũ prægnantium monuit lethale esse abortum causari. Vnde lib. 5. Apho. comm. 30. explicans Hippocratis sententiam dicentis, Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto lethale esse, huius rationem assignabat, imminentem abortum, qui ex duobus pendere potest, primò ex magnitudine febris fœtum occidentis, secundò ob tenuem victum in morbis acutis necessarium, qui obseruatus, ex alimenti defectu, conceptum destruit: quare cum lethale sit mulieri prægnanti capi morbo acuto ex parte fœtus, quia eius imminet abortus, hinc clarè liqueat in morbis grauibus nunquam abortum procurandum esse; cum enim hic casus per se semper sit discrimine plenus, si in morbo grauiori contingat, cum malum malo addatur, res in extremũ vitæ periculum deducetur: quare nunquam nec pharmacũ, nec abortiuum medicamentum ad hanc intentionem exhibeatur, sed semper incumbat Medicus conseruationi fœtus, quantum in eius potestate erit, omnia rectè circumspiciens, & mensurans, fœtusq; & matris simul summam habens rationem, nè partu interfecto, vnà & matrem interficiat. vt sæpè factum esse ab his Medicis apparet. quòd si

oppositum nonnunquam visum sit; vt superius dixi, hoc nō rationi, sed robori mulierum, per quod errata medicorum tolerare potuerunt, adscribant. & hæc de vsu horum trium auxiliorum in mulieribus, dum vtero gerentes morbo acuto laborant, administrandorum.

De Morbis acutis puerperarum. *Cap.* XXIII.

A Partu solent accidere puerperis plura incommoda, eis tantùm peculiaria, sicuti secundæ retentio, dolores ad imum ventrem, & circa vterum, mensium diminuta, vel suppressa, vel superflua expurgatio, vel eorundem deprauatio, ex lactis generatione febres validæ, & quæ huiusce sunt classis, de quibus hic non agam, cum ab omnibus in proprijs eorum capitibus exquisitè pertractata sint. His autem aliquandò superuenire solent acuti morbi, & apprehendūtur vel à pleuritide, vel à peripneomonia, vel ab angina, vel à phrenitide, vel à febre ardenti, vel ab aliquo simili, & graui morbo. quare perscrutandum erit, cum hoc nō ita liqueat, quomodo in his, sicuti & in superioribus, medicus gerere se debeat, & quò ad victum, & quò ad venæ sectionem, & quò ad pharmacum. Quò ad victus rationem sciendum est, commune esse ferè omnium mulierum errorem, existimantium à partu statim optimis alimentis reficiendas, & nutriendas esse puerperas, vnde ad iura caponum, ad eorundem carnes, ad aromata, ad vina vinosa statim deueniendum esse opinantur; in qua occasione nisi prudens assistat mulier, vel diligens aduocetur Medicus, qui iuxta Hippocratis, & Galeni sententiam lib. 2. Reg. acut. 13. asserentium, ab euacuatione ad pleniorem victum non properandum esse, hæc errata animaduertant, subsequi cōsueuere grauissimi morbi. caueant igitur puerperæ à tali genere victus, & vtantur ferculis tantùm in iure primis diebus, abstinentes à carnibus, & vino, & aromatibus, ac cęteris, quæ febrem vel inducere, vel augere apta sint. ad quę omnia

Victus ratio seruanda in morbis acutis mulierū prægnātiū.

nia deuenient ſubſequenti tempore pro ratione & virium, & ſtatus mulieris. Si autem hoc tempore contingat, puerpe ram apprehendi acuto morbo, victus tenuis imperetur, & hoc maximè, ſi hoc primis diebus euenerit, quo tempore fa cilius, quàm in proceſſu puerperij, ſolent mulieres tenuem victum tolerare; tunc igitur exhibeatur ptiſana, quæ, ſi opti mè parata, & cocta fuerit, nullos poterit edere flatus, & hæc diluatur iure pulli tenuioris, quod idem pro potu com mendo exhibendum eſſe. vinum enim omnino excludendũ eſt, & potus aquæ etiam optimè alteratæ in pluribus mulie ribus ſolet ventriculi, vel vteri dolores ob flatus inde geni tos inducere, conſueuitq́; puerperis mirum in modum aduerſari. ſi tamen habeamus patientem boni habitus, robu ſti ventriculi, & quæ vterinis affectibus moleſtari non conſueuerit, in hac poterimus aquæ potum cum cinamomo, vel aliquo ſemine odorato alteratæ, admittere, vt interdũ ego feci, qui puerperas tales cum potu huiuſce aquæ in acutis paſſionibus vſque ad ſeptimam, & nonam diem ſæpè detinui. lutea ouorum, & cætera, quæ pleniorem reddere victum ſolent, non admittantur, niſi vires, quæ ſemper in quocunque caſu manutenendæ ſunt, hoc idem iudicent: à quibus ſemper iudicatio cibi reguletur, qui & quò ad qualitatem, & quò ad quantitatem ſemper ſit talis, vt nunquam hinc morbus ingraueſcat.

Quò ad ſectionem venæ conſiderandum eſt, an morbus acutus vel in principio puerperij, vel in medio tempore, vel in vltimis diebus partus puerperam apprehenderit; ſi enim hoc à principio factum ſit, licèt in morbis acutis florente ætate, & conſtantibus viribus, ſemper ſit ſecanda vena: tamen cum à partu ſtatim, & per primos illos dies copiosè naturaliter expurgentur mulieres, nulla alia tentāda eſt ſanguinis euacuatio, quàm quæ à natura rectè & naturaliter operante dirigitur: quę tamen ſi ſupprimatur, vel imminuatur, tum ad tollendum morbum & affectum præter natu-

Sanguinis miſſio quō, & qñ parāda in morbis puerperarum.

cam, tum ad prouocandam naturalem euacuationem secen tur venæ inferiores, & copiosè mittatur sanguis; quoniam copiosa etiam esse debet ex præscripto naturæ mensiũ tunc temporis purgatio. Si autem medio tempore acutus super ueniat morbus, duo consideranda erunt; primum, an mor bus pendeat vel à materia in particulari loco conculcata, vel à materia sparsa; secundum, an mulier conuenienti expurgatur mensura, vel non. si à sparsa generetur morbus materia, vt fit in febribus, mulierq; non perfectè expurga ta sit, statim ad sectionẽ venarũ inferiorũ descendere debe mus; quoniã hinc materiæ minorationẽ, & naturalis expur gationis prouocationẽ habebimus. Si autẽ mulier sufficiẽter expurgetur, morbusq; inualescat, nec euacuatio naturalis morbo satisfaciat, venas inferiores secabis, tantumq; detrahes, quòd ex coniunctis ambobus ꝓficiatur, quod postulat morbus, vt docuit Galenus lib. 9. Meth. cap. 5. si tamen febris admodum intensa, incendiumq; magnum aderit, id fiat, quod nunc in morbo à materia in loco particulari conculcata, & putrescente facto agendum esse declaro. Vbi particularis aderit acutus morbus, vt puta pleuritis, vel angina, vel similis alius affectus, si grauis is sit, valdeq; instet, & indicet de sectione venæ, siuè expurgetur sufficienter, siue non, statim deueniendum est ad sectionem venarum superiorum è directo loci affecti existentium, & ei proximiorum; quoniam ita à loco affecto euacuantes mor bum facilius tollemus, quàm si inferiores secemus, quæ nec proximæ sunt loco affecto, nec ab eo euacuari possunt, immo has secantes virtutem ex euacuatione labefactabimus, & materiam in loco particulari conculcatã non minuemus. hoc pateat exemplo anginæ, qua instante secanda statim est humeralis vena, vt à loco affecto educatur, & reuellatur materia: si autem inferiores secuerit, vel totum ferè sanguinem educes ad reuellendam, & euacuandam materiam suffocantem, vel ex ea sectione adeò tarda succedet vtilitas,

tas, vt prius mulier ex angina ea extincta fuerit, quàm per ſentiat reuulſam fuiſſe materiam à loco affecto. Hoc tamē cum hac conditione exequatur, quòd antequam miniſter ad ſecandam accedat venam, fiāt frictiones ad coxas, & crura; quibus factis, fiant ligaturæ doloroſę in medio coxarū, itaquòd detineantur, quoad ſecta fuerit vena. à miſso ſanguine paulò poſt ſoluantur, & tunc cucurbitulę iiſdem ad coxas in parte interiori applicentur, vel ſaltē frictiones illæ repetātur. hinc habebimus materiei peccātis minorationē, loci affecti alleuiationē, & purgationum naturalium conſeruationē. Hoc idem cenſeo faciendum eſſe in febribus ardētibus, & vehementioribus. quoniam licèt materia ſit ſparſa; tamen incendium tantum eſt circa cor, & viſcera, vt ex eorum longinquæ venæ ſectione non ita mitigari, & extingui flamma poſsit, ſicuti ex proxima, & maiori, qualis eſt baſilica. Quem curandi modum non ſolum prædictis rationibus perſuaſus ſeruandum eſſe cenſeo, ſed etiam affirmò me hoc felici experientia confirmaſſe: quod idem non ſolū in puerperis, ſed etiam in cæteris mulieribus morbo acuto detentis, dum menſtrua purgatione naturaliter euacuantur, ſeruaui, hoc vnum tantùm animaduertens, vt dum in principio copioſè purgantur, rem naturæ dimittam: poſt principium autem ſtatim, ſupradictis conditionibus obſeruatis, ad ſuperiorum venarum ſectionem deuenio, indeq; vtilitatem ægrotantium ſalutari euentu conſequor. Si autem in vltimis diebus puerperæ morbo acuto laborauerint, iiſdē conditionibus habitis, & obſeruatis idem agatur, quod do cui agendum eſſe in medio tempore, hoc animaduertens, quòd ſemper quò magis diſtamus à die partus, eò tutius poſſumus ad venarum ſuperiorum ſectionē aſcendere; quò autem magis illi appropinquamus, etiam in medio tempore, hoc idem maiori cum pręmeditatione agendum erit. niſiq; inſtet morbus, vrgeatq; eius acuties, ſique naturalis expurgatio copioſa fuerit, ab eis abſtinere poterimus. ſi autē non

copiosè expurgentur, venas inferiores ad supplementū debitæ quantitatis secabimus. si tamen oppositum contigerit, seruetur id, quod vrgente, & instante acuto morbo agendum esse declaraui, venæq; superiores in talibus casibus nulla cum hęsitatione tutò, & cum ratione secentur.

De pharmaco hæc pauca notanda sunt. Dum expurgabitur mulier, purgationesq; naturales fuerint, nullo pacto admittatur pharmacum; per hoc enim materia à proprio diuerteretur opere. si tamen purgationes non naturales fuerint, fluxioq; albida, vel alterius non naturalis coloris prodierit, cocta existente materia, vltimo puerperij tempore tutò administrari poterit. quod nunquam in primis diebus à partu exhibendum censeo; quoniā ex naturæ præscripto moles sanguinea, quæ ex conceptu detenta, & non purgata fuit, educenda est. quod sola sanguinis euacuatione, nō pharmaco peragendum venit. Vbi autem non expurgetur mulier, remediaq; ad hoc opportuna incassum tentata sint, materiaq; morbi sit cocta, transactis primis diebus à partu, leuiori pharmaco educi poterit. vehementiora enim in his casibus vereri oportet, solaq; assumenda sunt ea, quæ inter benedicta recensentur. quæ eadem tutius, & absq; vllo discrimine in vltimis diebus, cum non expurgabitur mulier, administrari poterunt. hæc de tribus his auxilijs vel in vtero gerentibus, vel in puerperio existentibus, dum acuto morbo detinentur, administrandis sufficiant.

Pharmacum purgans an in puerperis administrandum sit.


ANNO-

PETRI SALII DIVERSI MEDICI, AC PHILOSOPHI FAVENTINI.

ANNOTATIONES IN LIBRVM DONATI ANTONII AB ALTOMARE.

De medendis humani corporis malis.





Vemadmodum per ea, quæ hucuſq; à me explicata fuere, non aliud declarare volui, quàm vt eos, qui huic noſtro ſtudio ſe addicunt, cõmonefacerẽ, vt antiquorum ſcripta nõ conniuentibus oculis, ſed quãta poſſint diligentia, & ſedulitate perlegant; ita per hæc, quæ mox expoſiturus ſum, non aliud intendo, quàm eoſdem admonere, cum artis noſtræ partem factiuam attingere voluerint, ne ita fidant recentiorũ ſententijs, vt ab eis exiſtiment artis medicæ abſolutam perfectionem accipere poſſe; plura enim ab huiuſce claſsis hominibus literarum monumẽtis mandata ſunt, quæ nec Hippocratis, nec Galeni principijs ſatis conſonare videntur. Quæ omnia ſi examinanda forent, res in vaſtum, & ampliſſimum volumen eſſet tranſponenda. Quod nè fieret, cogitaui ègo vnicum ex recentioribus proponere authorẽ, qui, & ſecundùm Galeni, & Hippocratis principia artem medẽdi docuerit, & qui ita metam hanc attigerit, vt ei meritò, iureq; inter omnes, qui hucuſq; hanc medendi rationẽ expoſuerint, primas quiſq; tribuere debeat. Hic eſt Donatus

Antonius ab Altomari, Medicus Neapolitanus, Vir insigni doctrina, & exercitatione præditus; cui, & nostra studia, & qui à morbis vexati à nobis artis huius implorant auxilium, plurimum debent. Hic de medendis humani corporis malis absolutum edidit volumen, quod ob eius excellentiam nullo est pacto à nobis negligendum; imò à nemine, qui hanc nostram profiteri velit scientiam, iure prætermittendum est, non tamen ità est admittendum, ac si nihil in eo sit, quod sub diligenti examine positum, veritati, aut antiquis priscorũ Medicorũ decretis refragetur; Cuiusce modi nunc quędã particularia loca exponẽs clarè ostendã, hoc vnum animaduertens non omnia, quæ difficultatem, & examen pati potuissent; me breuitatis gratia propositurum, sed nonnulla tantùm, tanquam exemplaria, quorum merito iuniores perspicere valeant, non esse ita simpliciter huiuscemodi authoribus credendum, sed necessarium ad adipiscendam perfectam huius artis notitiam priscorũ Medicorum volumina euoluenda, & cùm maxima attentione perlegenda esse: dum autem hoc exequar, si quid à me in singularibus his morbis obseruatũ est, cæteris cõmunicabo.

Cap. Primum de Memoria deperdita.

Memoria depdita an causetur ab intempericum materia.

SVpponens Author affectum hunc pendere ab intemperie frigida ex Galeno, & deueniens ad causas inquit, alias esse externas, alias internas; internas recẽsens ait, duas esse, scilicet vel pituitam, vel humorem melancholicum, quibus absentibus ait, obliuionem non ab interna, sed externà causa originem ducere: quæ sententia videtur longè distare à Galeni mente, qui lib. 3. de loc. affect. cap. 4. docet hunc affectum pendere ab intemperie frigida nuda, nõ ab intemperie cum materia, vt opinatus est author, immo Galenus expresse hęc verba habens, dicebat. Quòd si frigus cum humore vehementer intendatur, sopore, stuporemq; constituit; sine hoc verò memoriæ nocet, stultitiamq; inducit,

ducit. per humorem autem pituitam intelligebat Galenus; quoniam si non pituita, sed melancholicus humor cerebri substantiam occupet, non soporem, sed melancholiã causat, sicuti ipse eodem lib. cap. 5. post medium docet, & tũc nec obliuionem, nec stultitiam introducere, sicuti asserit Author, potest. Quare causa internę memoriæ deperditæ non poterit esse nec pituita, nec melancholicus humor, cerebri substantiam occupans; quoniam hic melancholiã, ille soporem, & stuporem, non obliuionem, inducit: sed causa hæc interna erit intemperies frigida sine materia, quæ & cum intemperie humida, & cum sicca, & cum his temperatis connecti potest. quæ intemperies humida non intelligitur à Galeno ratione humoris humidi abundantis, sed ratione humidæ temperaturæ solidarum partiũ cerebri, sicuti nec intemperies sicca eodẽ intelligitur ratione humoris sicci abundantis, sed ratione proprię temperiei siccæ ipsius substantiæ cerebri, in qua re lapsus est author, existimans ideò intemperiem frigidam esse iunctam intemperiei humidæ, vel siccę; quia humor vel humidus, vel siccus substantiam cerebri occupet. Quod vltra id, quòd Galeno nõ consentit, etiam hoc implicat, quòd non daretur memoria deperdita ex pura, & simplici intemperie frigida, existentibus passiuis temperatis, in qua, quò ad somnum, patientes secundum naturam, non autem somnolenti, vel non somnolenti se habent; quod tamen admisit, & docuit Galenus cap. 5. in principio. Si autem Galenus lib. 2. de sympt. caus. cap. vltimo inter causas torporis rationis, & memoriæ recenset frigidum succum in cerebro collectum, hunc dicimus etiam memoriæ noxam quidem inferre, non tamen primariò, sed ob altum introductum affectum, sicuti vel per soporem, vel per lethargum, vel per similem introductum morbum; quoniam his morbis præsentibus semper lęditur memoria, non autem quòd vitiosus succus in cerebro collectus possit memoriã lædere, vel sine sopore, vbi non putre-

scat

ſcat pituita, vel ſine lethargo, vbi eadem putreſcat. Quòd ſi non pituitoſus ſuccus, ſed melancholicus is ſit, qui in cerebro collectus eſt, non propriè memoria lęditur, ſed melã cholia introducitur, per quam delirare, timere, & mærere poſſunt ægrotantes, non tamen propriè memoriæ lęſionẽ incurriſſe dicantur. Qua de re pro curatione memoriæ deperditæ non debemus attendere humores hos peccantes, tanquam cauſas huius morbi proximas, ſed tanquam materias, ſi adſint in corpore ſuperabundantes, quibus præſentibus curatio morbi non eſt tentanda; quoniam vniuerſalibus particularia ſunt præmittenda.

An memoria deperdatur sẽ per ratione in temperiei frigidæ.

At hæc Galeni ſententia, quòd obliuio ab intemperie frigida pendeat, non leuem penes me difficultatem habet; cum enim nouerim, videamq; plurimos inſigni frigiditate cerebri laborantes, quorum nullus memoriæ noxam pateretur, ſuſpicari cępi, an hæc poſitio vera eſſet. quod idem mihi ſuſpicandum perſuadebat multitudo ægrotantium, qui a Medicis ad Embrochas naturalium aquarum calidarum ad remouendam indè cerebri frigiditatem relegantur; hi enim quamuis inſignem capitis frigiditatem habeant, nullã tamẽ ex hac obliuionem incurrunt: quæ nihilominus, ſi Galeni argumenta à ſimilitudine cauſarum efficientium, & à ſimilitudine animalium frigidorum, non à re ipſa deſumpta, vllius exiſtant roboris, ſuccedere poſita cauſa deberet: quod tamen non tantùm non vidi factum, ſed eius etiam oppoſitum obſeruaui. In nonnullis enim obliuioſis, quos curandos ſuſcepi, nullum frigoris manifeſtum indiciũ animaduerti, & in aliquibus adeſſe inſignem cerebri calorem perſpexi, quos adhibitis circa ſuturam coronalem refrigerantibus auxilijs adiuui; non nego tamen me in plurimis etiam inſignem frigidam intemperiem cognouiſſe, ſed hoc non eſſe perpetuum animaduerti: quare iure dubitaui, an ab hac ſola intemperie memoria ipſa vel diminueretur, vel in totum deperderetur, In quam eandem hæſitationem me caſus infra

sta describendi impingebant. Ab ictu cerebri valido nouimus in aliquibus memoriam abolitam esse, legimusq; præstantem philosophum ex lapidis vehementi in capite percussione omnium scientiarum, & disciplinarum eius oblitum esse. Testatur Galenus hoc ex Thucydide referens, nonnullos peste laborantes, posteaquàm ab ea saluati fuere, omnium præteritorum ita recordationem amisisse, vt & literarum, & artium, & suorum etiam nominum amplius nō meminerint. At quæ ex ictu in cerebro accepto, vel ex peste frigida intemperies in cerebrum ipsum introduci potest? Præterea curaui ego iuuenem obliuiosum, qui tantum præsentium rerum recordationem amiserat, earum aliter, quas antea actis annis edidicerat, memoriam integram seruabat; carmina enim plura, quæ memoriæ olim mandauerat, concinnè, & compositè recitando canebat: qui tamen à prandio statim interrogatus, quo alimenti genere in mensa vsus esset, nullius rei recordabatur, nec si ab amicis visitatus fuisset, illis quàmprimum discedentibus, eorum amplius meminerat. In hoc si intemperies frigida obliuionis fuit causa, cur præteritorum, & non præsentium recordabatur? cum huius, si ab intemperie frigida hoc heret, oppositum contingere debuisset. Præ manibus etiam mulierem omnium rerum obliuiscentem habui, quę ex spontanea per aluum euacuatione, per quam biliosa, sanguinolenta, viridia, mucosa, & similia educebantur, amissam memoriam nullo adhibito ipsi cerebro particulari medicamento recuperauit. Alteram curaui mulierem hoc idem patientem, quæ ex arte factis euacuationibus à morbo soluta, pristinæq; sanitati restituta memoriam quidem præteritorum recuperauit, sed illarum rerum, quæ, dum ea ægrotaret, circa ipsam administratæ fuerant, vllius non meminerit, ita vt eam me visitasse nec agnosceret, nec recordaretur. Hæc omnia me in hanc difficultatem, vt de Galeni sentētia dubitarem, deduxerunt, indeq; credo deperditæ memoriæ altiorem causam, quàm pura

intem-

intemperies (sit hęc vel morbus organicus, vel alius quislibet) perscrutandam esse.

De Lethargo. Cap. II.

INquit Author ex Galeno, necessariò pituitam debere putrescere, ad hoc vt lethargus cōtrahatur, quod tamē non ita verū esse videtur; quoniā duplex datur lethargus, alius cū putredine, alius sine putredine pituitę. Vbi.n. frigiditati iūcta sit humiditas, hoc sufficit ad causandū lethargū, vt habet Gal. lib. 2. Aphor. commen. 3. in qua tamen indispositione necessariò febrilis requiritur calor, vt habetur lib. 4. de Prognost. ex pulsu. vbi docet, qui pulsus fiant cerebro affecto, & hic lethargus est sine putredine. alius autē est cum putredine, & hic fit, dum pituita putrida cerebrum, vt ibidem docet Galenus, afficit, & hi duo lethargi sicuti differunt abinuicem per putredinem, vel non putredinem materiei peccantis, ita etiam pulsus differentes edūnt; quoniam pulsus in lethargo sine putredine est mollis: at in lethargo cum putredine est mollis quidem, sed præbet speciem arteriæ contentæ; quoniam per hunc magis læditur, & tenditur cerebrum, vt loco citato Gal. habet, expresseq; docet, prædictos lethargos abinuicem distinguens.

Lethargus duplex est.

Lethargus an semper sit cum putredine.

Cum autem author ex Galeno lib. 13. Meth. cap. 21. demonstrare nititur, quòd in lethargo necessariò pituita putrescat, animaduertatur, quòd Galenus hoc nōn affirmat, sed inquit, quòd si pituita aliquando putrescat, cum febre fit is affectus, qui lethargus vocatur, per quam dictionem, aliquando, non attestatur omnem lethargum esse cum putredine humoris, sed tantùm hoc aliquando fieri, scilicet vt putrescat, & tunc, cum pituita in cerebro putrescet, necessariò fieri lethargum, tamen hoc non includit, quòd in omni lethargo eadem putrescat; quoniam, vt declaratur loco citato lib. 4. de Prognost. ex pulsu datur ex eius mente lethargus, & cum putredine, & sine putredine.

An ex Galeno pituita in lethargo semper putrescat.

Hic

Hic animaduertant Medici alterum signũ lethargi, quod nec à Galeno expressè, nec à Paulo, nec ab Aetio, nec ab alio classico authore positũ est, & est deliriũ quoddã, quod sequitur ad lethargum ex putredine pituitæ genitũ; nisi forsan Aetius per illa verba, aliena loquuntur, hoc idem intellexit. Hoc videbunt in praxi artem hanc exercentes, sicuti ego sæpius vidi, nec hoc erit præter rationem; quoniã licet in lethargo ab omnibus scribentibus ponatur rectricium facultatum diminutio, vel abolitio, non deprauatio, non tamen verificatur in omni lethargo, sed in eo tantùm, qui est sine putredine. Et si dixerit Galenus lib. 2. de sympt. caus. cap. vltimo. succos delirium causantes omnes esse calidos, & mordaces, præter eos, qui melãchollam causant, ex quibus habetur pituitam non posse delirium causare. Animaduertatur, quòd pituita de se non potest deliriũ ob propriam frigiditatem inducere: si tamen putrescat, incalescit, mordacitatemq; acquirit, cuius ratione delirium aliquod leue gignere poterit; & ideò in lethargo, vbi pituita putruerit, erit aliquale delirium. Hoc vltra experientiam confirmatur pulcherrima Galeni sententia lib. 3. Epid. sect. 3. comment. 45. ita dicentis. Non est igitur nouum in corpore crudis collectis humoribus, vt excrementa commonstrarunt, esse sopitos illos simul, & dementes euasisse. sopitos quidem ex multitudine, & frigore succorum crudorum; dementes, quòd acredinem pariebant, & calorem putrescentes.

Lethargũ ex putredine consequitur aliquale deliriũ.

A frigidis succis sed putrescẽtibus causatur delirium.

Deueniens Author ad exponendam curationem lethargi, dicit maximam esse similitudinem lethargi cum memoria deperdita, propterea eorundem curationem ferè similem esse: quod nedum non est verum, sed etiam oppositũ constat; nam lethargus est morbus acutus, memoria deperdita longus; lethargus est morbus lethalis, & valde periculosus, at memoria deperdita, nisi alteri coniuncta sit morbo, omni caret vitæ periculo; lethargus fit à materia, memoria deperdita à nuda intemperie; lethargus habet necessariò semper

Lethargi, & memoriæ deperditæ curatio an coincidant.

ſemper febrem coniunctam, memoria deperdita, quantũ ſit de ſe, nunquã; quare nõ tantùm nõ ſunt ſimiles, ſed valde diſsimiles, & ideo iure etiã curatio diſsimilis eſſe debet.

Pro potu ſtatuit lethargicos vti debere hydromilite, vel vino albo, aquoſo, tenui, adſtringẽte. de hydromilite, cõcedatur; at de vino hoc affirmo, videlicet omnino abſtinendũ eſſe ab omni genere vini, vſq; ad morbi perfectã, & vniuerſalem declinationem; quoniam vinũ omnes inflammationes membrorum principalium prorirat.

Vena ſecanda, inquit, ſit media, vel interna, Ego autem ex Galeno dico ſecandam eſſe humeralem, quod pluribus docuit locis, præcipuè autem lib. de curandi ratione per ſang. miſs. cap. 16. in quo hanc habet claram ſententiam. Nam hi tres ſunt loci mittendi ex cubito ſanguinis, interior, exterior, medius. Igitur interior vtilis eſt in ijs, quibus inferiores collo partes patiuntur; exterior in ijs, quibus quæ his ſuperiores ſunt, vt facies, aut caput; medius locus interdum vtraſq; habet diductas venas in vlteriorem brachij partem tendẽtes, ac deinde hinc coeuntes, interim uerò celeriter in vnum mutuò congredientes, ipſo videlicet iuncturæ flexu, ac nonnunquam obſcuram earum alteram, claram verò alteram; itaq; vbi vena, quæ parti affectæ propria eſt, obſcurior fuerit, & ad mediarum aliquam accedas, conare, quæ à propria diducitur, potius incidere, &c. Ex quibus patet humeralem in capitis affectibus ſemper ſecandã eſſe, nunquamq; deueniendum ad mediam, niſi exiſtente ſuperiori obſcura, in incidendaq; media ſemper ſecandam eſſe eã, quæ ab humerali diducitur.

Quò ad purgationem laudat in lethargo medicamenta ab eo propoſita in curatione deperditæ memoriæ; quoniã tamen author omiſit hic medicamentum celebre, & vtiliſſimum, ac in lethargo ſpecialem habens conuenientiam, id pro Iunioribus ratione ſæuitiei huius morbi notabo, quod eſt ſcammonia vnà cum caſtoreo exhibita, quæ licèt non

videatur

videatur opportuna, cum scamonea dicatur bilem, non pituitā, cuius eductionem in lethargo tentamus, euacuare; tamen conuenientissimum est medicamentum, ac antiquissimum, & à Rufo Ephesio valde in lethargo celebratum, vt refert Oribasius lib. 7. coll. Med. cap. vltimo, quod eò magis ratione probandum est, cum ex eodem Rufo non solum bilem; sed etiam pituitam bili impermixtam educat, vt eod. lib. cap. de scamonea recensetur, vtque experientia veritatis ministra pluries testata est.

In enumerandis particularibus remedijs probat castoreum vel aceto, vel oleis commixtum capiti administrandū esse; At ex Gal. lib. ij. de simp. med. cap. de castoreo habetur, hoc rosaceo admixtum non tantùm capiti, sed & collo affusum valde prodesse posse.

Sinapismus quando rectè parari debeat.

In parando sinapismo iubet sinapi acetò macerandū esse, cuius rei præter id, quòd ei experientia refragatur, oppositum docuit Aetius lib. 3. cap. 181. & Oribasius lib. 10. collect. med. cap. 13. monentes ex aceto sinapismum obtusius reddi. quod idem animaduertens Iacobus Holerius lib. 3. de chirurgicis institutionibus cap. 5. de pyroticis testatur aceto vim sinapis exolescere, quare aceto aqua preferatur. Ego tamen aliquandò, vbi vehementius desideraui hoc medicamentum, in hunc vsum lixiuium assumpsi.

Lethargus an fiat ex sola pituita.

Docuit Author hoc eodem capite ex communi omnium sententia lethargum fieri à pituita; sciant tamen omnes ex mixtione bilis, & pituitæ etiam fieri posse lethargū, vbi bilem ipsam pituita superabundauerit, & tunc licèt sit horū humorum miscella, tamen exquisitus lethargus vocabitur, vt docet Gal. lib. primo Prorreth. commen. primo hæc verba habens. Nonnunquam & in horum alterum res ita deflexit, vt vel bilis, vel pituita superior sit, ægerq; reddatur aut phreniticus exquisitè, aut lethargicus. In quo casu sit perspicax Medicus tum pro morbi cognitione, tum pro eiusdem curatione; quoniam præsente bile ea meditamen-

ta, quæ in lethargo à sola pituita sunt administranda, cum aliquo temperamento paranda erunt, aliàs apta erunt maxima nocumenta ægrotantibus ipsis inferre.

Lethargus quãdoq; caussatur ex permutatiõe phrenitidis.

Huius etiam ratione animaduerto quandoq; fieri lethargum ex permutatione phrenitidis, vt habetur lib. 3. Epid. sect. 3. comm. 45. & Aetius in proprio capite, & tunc nõ à pituita lethargus ortum habebit; hoc enim vtplurimum cõsueuit contingere ex refrigerantibus medicamentis in phrenitide intempestiuè adhibitis, & tales lethargi sunt forsan insanabiles, vt haberi potest ex Galeno lib. 3. Epid. sect. prima. commen. 7. nec in talibus lethargis vnquam conueniunt repercutientia; quia materia iam impacta est, nec aliun de fluit.

De Caro. Cap. III.

Caros, & lethargus quomodo differãt.

DIffert, inquit, caros à lethargo, cum ab eadem materia dependeant, scilicet à pituita cerebrũ irrigante, quòd in caro non putrescit pituita, sicuti putrescit in lethargo. Quod tamen nequaquam verum est; qm̃, vt supradictum est, vltra lethargum ex putredine, datur & lethargus sine putredine. At in hoc differunt, quòd in caro, quantum sit ratione sui, non adest nec febris, nec putredo, sicuti etiam nec in apoplexia, & catoche; at in lethargo necessariò adest febris, & quandoq; putredo.

De Catoche, & Catalepsi. Cap. IIII.

Catoche, & catalepsis q̃d sit.

TRanscribit Author ex Aetio huius morbi symptomata, in quo notandum est, quòd Aetius non concordat cum Galeno in essentia huius morbi; quoniam Aetius describit morbum cum febre medium inter phrenitidem, & lethargum, mentem, non corpus occupantem, & deprehendentem: at catalepsis, & catoche ex Galeno est affectus sine febre, deprehẽdens tum mentem, tum corpus; ex quo sequitur, vt ægrotans in ea figura permaneat, in qua deprehẽ

sus

ſus eſt à morbo,& inde rigidus totus maneat ſine loquutio ne, & ſine ſenſu, vt videatur ſtatua immobilis,tuncque nec ſi pungantur, ſentiunt,nec in parte vlla mouentur; ita vt ſi palpebris apertis deprehenſus ſit æger, oculis apertis manet, nec tamen videt: cuius rei teſtimonium eſt, quòd poſt acceſsionem nullius rei, quę facta ſit in acceſsione, recordã tur; Vnde ſentiendum eſt, alium eſſe caſum Aetij,alium Galeni, cuius ratione credo nunquam Authorem vidiſſe, aut curaſſe morbũ hunc, aliàs in confundendis his ſignis, & ſymptomatibus valde lapſus eſt Galeno contradicens. hoc hinc pateat, dum ex Aetio hæc verba tranſcribit; Admouent autem manus ſuas aliquando ad caput, & oculos, ac nares, velut qui vellicentur, atque hoc non ſentiunt. hoc clarè oſtendit, ipſum mentem Galeni non perfectè aſſequutum fuiſſe,nec vnquam vidiſſe ægrotantẽ catoche deprehenſum; quoniam hi adeò rigidi ſunt,vt nullam coporis partem,nec palpebras etiam moueant; immo tanquam immobiles laruæ ſe habeant.quare mirandum eſt, quomodo huic morbo adaptare velit Aetij ſententiam de alio morbo, in quo non eſt rigiditas corporis, nec immobilitas,loquentis.

Dum ex Aetio etiam tranſcribit, quòd in hoc morbo ſpiritus aliquando eſt denſus, aliquando rarus, & quòd nonnunquam per interualla quædam ducitur magnus ſpiritus, clarè opponitur Galeni decretis, qui in lib. 4. de locis affectis cap. 2. dicebat, quòd in ſopore, & catalepſi ſeruatur ſpiratio ſecundùm naturam *In Catoche an ſpiritus à naturali mutetur.*

Quærens Author, ad quem cerebri morbum ſequatur catoche, ſtatuit ex Galeni mente lib. 2. Apho. commen. 3. hunc affectum conſequi frigidam, & ſiccam cerebri intemperiem ex frigidiori, ſicciorię; materia ortam. Recenſens autem in hoc Pauli authoritatẽ ſentiẽtis Catalepſis cauſam ortum habere ex obſtructione poſterioris cerebri ventriculi à frigidiori, & ſicciori materia cauſata, eius ſententiam videtur paruipendere. vnde concludens ait. Hos ve-

rò,qui in hoc, veluti in aliis,Galenum præcipuè ſectamur,ex frigida tantum, & ſicca cerebri intemperie ortum habere ſa temur. Attamen nos pro Paulo in oppoſitum demonſtratiuam habemus rationem. nam catalepſis, ſeu catoche ſubitò accedit,& ſubitò generatur;igitur non ab intemperie,ſed à materia,& ea quidem obſtructè cauſatur. Ratio hæc erat Galeni lib. 3. de loc. affectis cap. 5. ad demonſtrandum Epilepſiam ab intemperie non poſſe generari. quam eandẽ rationem aſſumebat eodem lib. cap. 7. ad probandum idẽ de Apoplexia,hæc verba habens. Apoplexiæ autem quòd ſubitò euebiat,aut frigidũ ſuccum,aut craſſum,aut viſcidũ, qui principales cerebri ventriculos affatim implet, nõ totius ſubſtantiæ intemperiem, cauſam eſſe manifeſtum eſt. Obſtrctio autem hæc in catalepſi contingens, omnes quidem cerebri ventriculos occupare ſolet, ſed præcipuè, & magis poſteriorem, vt habetur à Paulo, qui hanc particulã à Galeno ex lib. 4. de loc. affect. cap. 2. trãſcripſit, & hac de cau ſa in catoche patientes ſemper rigidi ſunt,& hinc eum ſtatum,in quo à morbo deprehenſi fuere, conſeruant, non tamen ſemper priuantur,vel viſu, vel auditu; quia in aliquibus non fit completa catoche, & ideò anteriores cerebri vẽtriculi non omnino obſtruuntur: cuius ratione quoquo pacto ſenſus illi, qui ab anteriori parte cerebri ortum habent, conſeruari poſſunt. Ex tali autem obſtructione, etiam vbi totalis extiterit, non fit apoplexia, ſed catoche; quia ad apoplexiam cauſandam requiritur, quòd omnes cerebri ventriculi æquè, & inſigniter obſtruantur. præterea in apoplexia non ſolum cerebri ventres, ſed eiam corpus, & corpus magis, quàm ventres,affici ſolet, vt habetur à Galeno loco citato lib. 4. de loc. affect. cap. 2. At in catoche non æquè omnes cerebri ventriculi, ſed præcipuè poſtremus lęditur,nec in catoche corpus cerebri, ſed ventriculi tantùm, & potiſsimum poſterior afficitur. cùm autem à poſteriori cerebri parte ortum habeant,& ſpinalis medulla, & nerui

duri motui inseruientes, non est mirum, cum obstructio hæc à ficciori, & frigidiori materia, idest à succo melancholi co, qui exustionem adhuc non senserit, causetur, si omnia corporis membra ab hac parte neruos, & motum recipientia in catoche rigiant; cum frigidum, & siccum aptum sit res ipsas indurare, materiaq; hæc obstruens propriam qualitatem; & naturam partibus inferioribus impartiatur. Quemadmodum autem talis obstructio non est apta inducere apoplexiam, pariter nec apta est inducere epilepsiam; in epilepsia enim materia à natura agitatur, stimulata ad motum propter exitum animalis spiritus, concutiturq; cerebrum ad explosionem materiei obstruētis: at in catoche materia obstruens est fixa, & firmata, nec insurgit natura ad eius expulsionem: nec in catoche materia hæc vllam prauam (qualem in epilepsia forsitan necessariò habere debet) qualitatem adepta est. Et ideò catoche à tali obstructione causari, summa cum ratione censendum est, non autem ab intemperie, sicuti ex Galeni mēte loco citato lib. 2. Apho. commen. 3. probare nititur Author. Non enim Galenus ibi per refrigerationem vnà cum siccitate iunctam puram intemperiem frigidā, & siccam intelligit, sicuti nec per refrigerationem humiditati mixtam intelligit puram intemperiem frigidam, & humidam, sed intendit per hæc Galenus declarare materias, non intemperies, morbos hosce causantes. Quare (inquit) refrigeratio humiditati mixta, idest humor frigidus, & humidus (qualis est pituita) lethargicas passiones facit; lethargus enim à pura, & simplici intemperie causari nequaquam potest: refrigeratio autē siccitati iuncta, idest humor frigidus & siccus, qualis est succus melancholicus, eas, quas græco vocabulo Cathalepsis, idest deprehensiones nominantur, producit.

Eodem cap. cum proponit prognosticum ex Aetio, ait quòd hic morbus est lethargo periculosior, licèt in febribus lethargo similibus consistat. ex quo videatur consenti- *Catoche, & catal psis an sit cū febre.*

te Aetio dicenti, huic morbo coniungi febrem. Quod est contra Galenum lib. 13. Metho: cap. 21. vbi ponit catoche inter morbos, qui sunt sine febre, & qui ab humore frigido gignuntur, quod idem vltra experientiam testatur & ratio; nam materia causans morbum est frigida, & in loco firmata frigido, nec putrescit, & ideò non potest accendere febrem. Nec etiam est periculosior eadem ratione, & eò magis, cum experiētia constet hanc aliquando periodos habere, & accessiones: quod non est in lethargo, qui acutus est, non habens periodos.

Catoche et catalepsis quid sit.

Ne autem res ita imperfectè hinc habeatur, hanc sic declaro. Catalepsis, seu catoche est deprehensio corporis in ea figura, in qua à morbo corripitur, cum detentione sensuum tàm interiorum, quàm exteriorum. Quare hic affectus erit rigiditas totius corporis, in quo auferuntur omnes facultates rectrices tum internæ, tum externæ; Vnde nec loquuntur, nec vident, nec sentiunt, nec soluta accessione vllius rei recordantur; Morbus igitur hic erit totius corporis rigiditas cum ablatione tàm sensuum externorum, quàm internorum; vnde in lib. Finitionum medicarum iure dicebat author ille: Catochus est, cum sensu priuatur anima, corpusq; omne, velut gelu, obrigescit; hanc sententiam experientia confirmat.

Catalepsis historia.

Monialis hunc morbum patiens ter, & quater in mense nulla præsente febre ab eodem capiebatur, & ea forma, qua eam stantem inuadebat, permanebat, & tanquam statua rigida se habebat, sine motu, & sine sensu erat, adeò vt etiā si tunc temporis pungeretur, vel secaretur, nihil sentiret, nec vllius rei post solutam accessionem meminerat: in resolutione autem accessionis incipiebant quædam suspiria, & quædam vox clangosa, cum semper prius sine loquutione muta permaneret. huic aliquando visum est crus sinistrum conuelli, qui forsan est casus similis posito ab Hippocrate lib. tertio Prorrhet tex. 66. hæc curata est à me per

vniuer-

vniuersalia, & per particularia, & sana facta est.

Quoniam tamen Hippocrates lib. 2. Prorrhet. tex. 56. meminit de delirio cum catoche, & ideò videntur catochi loqui posse: & quoniam Galenus in commento narrat historiam iuuenis catoche deprehensi, quem testatur & audiuisse, & vidisse, & meminisse, & ideò videntur sensus, tàm interiores, quàm exteriores seruari, cuius oppositum posuimus, notandum est hęc fieri posse incipiente, & debili existente catalepsi, completa autem nequaquam. Cuius meritò dubitans Galenus de casu Hippocratis dicebat, potuisse incipiente catoche loqui ægrotantem, & hinc deliriū cognitum fuisse; completa autem minimè amplius loqui posse. hoc idem assero de sensibus tum internis, tum externis; quoniam si incipiens sit morbus, seruari possunt, & pariter si leuis sit affectus. Vbi autem completus fuerit, auferuntur, vt sæpius attestante experientia obseruaui, & vt Galenus innuit in lib. de differ. sympt. cap. 3. in quo habet in catalepsi esse paralysim, seu resolutionem virtutis imaginatricis. Si autem imaginatio in ea omninò est resoluta, nec imaginari, nec inde intelligere, aut memorari aliquid poterunt illi, qui catalepsi deprehensi erunt.

An in catoche seruētur sēsus tàm interiores quàm exteriores.

Quando Author curationem proponit, licèt intendat, & meritò, calefacere, & humectare, non tamen perfectè omnes indicationes explicat; quoniam alia superest intentio à Galeno explicata lib. 13. Methodi cap. 21. & est incisio ipsa; nam cum gignatur hic morbus ab humore frigido, & crasso, non tantùm debemus calefacere, & humectare, sed etiam incidere.

Catochi indicationes curatiuæ.

Quò autem ad curationem, sciendum est remedia particularia applicanda esse parti capitis posteriori, indeq; ad totam spinalem medullam, quod vltra id, quod consentit Galeno testāti lib. 4. de loc. affect. cap. 2. in catalepsi capitis posteriora pati, & ideò ibi remedia administranda esse, etiam huius potest esse iudicium, quòd partes neruosæ, pro-

In catoche quo loco sint applicanda remedia.

pter quarum propriam passionem totum riget corpus, in hoc morbo præcipuè patiantur, quæ cum à parte capitis posteriore ortum habeant, indeq; per spinam descendant, ideò in his locis medicamenta iure admouēda erunt. Quod etiam ego affirmo, hoc idē experientia testante, agēdū esse.

De Comate. Cap. V.

Coma qualis affectus sit.

AVthor hic agit de Comate, seu de cataphora, tanquā de affectu particulari; sciendum tamen est, quòd coma, siue somnolentum fuerit, siue vigilans; & ex vigilanti siue fuerit simplex, siue pigrum; nunquam de se est particularis affectus, sed est symptoma consequens ad alios morbos, sicuti vel ad phrenitides, vel ad lethargicas passiones, vel ad febres pituitosas, & somnolentas, vel ad alios cerebri affectus, qui vel primariò, vel secundariò ipsum lædāt, nisi hoc à causa fiat externa, vt sępè in ebrijs à vino contingit, quibus coma adeò graue, & profundum, his præcipuè, qui debilioris sunt cerebri, succedit; vt eos euigilare ante solutam crapulam, & ebrietatem sit impossibile, sicuti etiam ex compressione ventriculorum cerebri, & maximè ipsius medii subsequi consueuit. Quare non est, quòd iuniores attendant affectum hūc tanquam particularem morbū, quem ipsi curaturi sint, sed eum animaduertant, vt qualitates, & mores prædictorum morborum attendentes, & eorum differentias adnotantes principali morbo summa cum ratione incumbere queant.

De Phrenitide. Cap. VI.

Phrenitis à quibus fiat humoribus.

EXplicans materiam, à qua generatur phrenitis, statuit hāc vnicam esse, scilicet bilem, vel pallidam, vel flauā, vel adustam. Ego tamen sentio etiam ex sanguine tenuiori, & calidiori, qui verè naturam bilis attingit, gigni posse, & eandem ex pituita commixta bili, vbi pituitam bilis superabundauerit, fieri assero ex Galeno lib. primo Prorrhet. commen.

commen. primo, & talis phrenitis exquisita phrenitis vocabitur; vt ibidem declaratur. Et dubito, an ex frigidis, & crudis succis eadem phrenitis generari queat, propter sententiam Galeni superius iam allegatã; & positam lib. 3. Epid. sect. 3. commen. 45. vbi loquens de phrenitide, cui iungitur sopor, inquit hanc generari hoc pacto, videlicet, quoniam ex horum succorum crudorum multitudine, & frigiditate fit sopor; delirium autem ex acredine, & calore, quem ijdem pariunt putrescentes; adeò quòd vult causari deliriũ non à qualitate propria succorum, quia sunt frigidi, sed ab extrinseca, quam acquirunt putrescentes, videlicet ab acredine, & calore acquisitis, & à talibus succis putrescentibus causatum delirium cũm febre recenset Hippocrates in tertio illo Epidemiarum pro phrenitide; quod idem acceptãs Galenus in commento affirmauit; Vnde phrenitis nõn semper causabitur ab humore sui natura acri, & calido. Si autem hinc fieri possit phrenitis, quomodo hæc differat à lethargo, forsitan est, quoniam in phrenitide ingens est pituitę putredo, ex qua excitatur maximus calor, & maxima acredo, ex quo delirium, & febris est intensa, & acuta; in lethargo autem non est, nisi leuis, ex quo febris non est ita acuta; nec delirium ita validum, nec etiam adest vigilia; quoniam acredo, & caliditas non est tanta, quæ frigiditatem eorum remittat.

Phrenitis an possit fieri à frigidis succis

In phrenitide pro potu ordinat decoctum seminum coriandrorum, qui tamen potus apud me valde suspectus est; cum enim semina coriandrorum ex se apta sint turbare mẽtem, deliriumq; inducere, vt notauit Dioscorides lib. 3. cap. 66. in phrenitide, cæterisq; delirij, & desipientiæ generibus non erunt administranda tanquam ea, quæ affectum ipsum augere, & exacerbare valeant.

Coriandrorũ decoctum an conueniat in phrenitide.

Nec est, quòd hic authoritatem Auicennę, qui coriandrũ arbitratus est esse frigidum, & ideò ratione propriæ temperiei frigidæ in phrenitide conuenire poterit, opponas; quoniam

niã frigidum,vt ex capite signorum specierum subdit, alijsq; in locis elici potest, viride censuit; humidum enim coriandrum, inquit, aptum est inducere soporem, siccum autem calidum est, vt sensui patet, & turbatio mentis, & delirium, quod à causa tantùm calida, præterquam in melancholicis causatur affectibus, hoc idem testatur in qua re verò demõstrauit Gal. cui vtpote inter Medicos Excellentissimo, & inter Philosophos præstantissimo in iudicio simpl. medic. magis, quàm Auicennę credendum est, qui Auicenna cum coriandrum non tantum viride, sed etiam siccum frigidum censet, vt habet lib. 4. fen. 2. tract. primo. cap. 8. clarè opponitur experientiæ, rationi, & veritati.

Quæ vena secanda in phrenitide.

De secanda vena diuersa ex diuersis proponit authoribus, qui modò hanc, modò illam secandam esse venam docent. hoc tamen certum habeatur, tum ex natura rei, tum ex Galeno, vt notaui in capite de lethargo, quòd in affectibus capitis sectio humeralis venę omnibus præfertur. Quòd si phrenitici brachium nequaquam porrigant, non secetur vena frontis, vt Author ex Tralliani, & Pauli sententia monet; quoniam euacuationes particulares à loco affecto vniuersalibus non sunt præmittendæ, sed tum aperiantur hæmorrhoides; quæ in casu isto valde prodesse poterunt, post quarum apertionem sectio venæ frontis iure administrari poterit, quam profectò laudo: verùm magis commendo, vt loco huius venæ narium hirudinibus applicatis aperiantur; hinc enim valde subleuabitur cerebrum, morbusq; facilius hinc medicamentis cedere poterit. quod repeto, & animaduerto agendum esse, præmissis vniuersalibus euacuationibus.

Dum purgationem administrandam esse docet, animaduertatur hoc intelligendum esse, cocta iam materia, aliàs cruda eadem existente, & nequaquam turgente, in principio inflammationis inìretur purgatio contra Hippocratis, & Galeni mentem, vt aliàs monuimus.

Multa docet Author administrāda esse in phreniticis ad prouocandū somnū, cū vigiliæ hos maximè molestēt, hincq; magis delirent; sciendum tñ est, quòd in phrenitide potest etiam sopor contingere, vt habetur lib. 3. Epid. sect. 3. cōm. 45. Qui tamen sopor debet esse vigilans; quoniam vigilia est de his, quæ necessariò consequuntur phrenitidem, vt docet Gal. lib. Prorreth. p. com. 1. Quod euenire solet, vbi est miscella bilis cum pituita, quæ inflammationem in cerebro causet, vt ibidem habetur. *Phrenitidi sporē quādoq; connecti.*

De phrenitide hectica in hoc capite nō meminit Author, de qua Galenus loquutus est lib. primo Prorreth. com. 33. cuius signa erunt, cum tremulæ, blandæ, obscuræ, & contrectabiles erunt desipientiæ, ita vt ferè non desipere videātur; & talis phrenitis, vt ibidem habetur, necessariò est lethalis, quare cognoscenda, & valde à Medico aduertenda, nè in prognostico decipiatur. *Phrenitis hectica quæ sit.*

De Melancholia. Cap. VII.

IN curatione huius affectus laudat ex Aetio, & Paulo, qui à Possidonio hoc transcripsere, sorbitionē aceti acerrimi post omnem cibum, vbi iam dormire velit æger; qui commendat etiam obsonia aceto intincta cōmedere, quæ tamen sententia valdè suspecta est, cum experimento compertum sit omnes melancholicos affectus ab aceto exacerbari, notumq; sit ab Hippocrate, & Galeno (quibus magis fidendum est, quàm Paulo, Aetio, & Possidonio) damnari acetum, tanquam medicamentum melancholicis valde obnoxium. vnde lib. 3. de reg. acut. tex. 38. dicebat Hippocrates; Nigra autem ab aceto fermentantur, attolluntur, & multiplicantur. & Gal. in commen. hoc idem affirmabat dicens; Acetum melancholicis aduersissimum existit. *Acetum acerrimum an conueniat in Melancolia.*

Loquens de melancholia hypochondriaca nōn declarat, quæ sit affectio, nec quis sit locus affectus. prĕterea nec in cūratione explicauit indicationes curatiuas huius morbi, quæ

tamen omnia perſpicere debet ille medicus, qui huius perfectã curationem aſſequi volet. Quò ad affectioné.n.declarandũ erat, an melancholia hypochondriaca cõſiſtat in intẽperie; & ſi in intẽperie, an in calida, vel in frigida: vel an cõſiſtat in obſtructione, vel in inflãmatione, vel in altera conſimili affectione. Ratio huius eſt, quoniam horum omnium inditia habemus, & tamen an in his omnibus, an in ſingulis conſiſtat hic affectus, non ita notum eſt. Frigiditatis ſigna ſunt, plurimi flatus, ructus acidi, fluctuationes, plura ſputamina à cibo, tarditas coctionis, ventriculi dolores, vomitus crudorum ciborum, ſitis, febriſq; abſentia, & in ſumma ſanatio ipſa; nam ex calefacientibus curari, & ſanari videtur hic morbus. Caliditatis autem ſigna habemus, æſtũ in præcordijs, exacerbationem à calidioribus, & cauſticis, alleuiationem à refrigerantibus cibis, & vomitum materierum ſub amararum, & calidarum. Obſtructionum autem indicium maximum vel hoc argumento habemus, quòd alimentum corpori non diſtribuitur, ſed in ventriculo manet incoctũ; cum ipſum meatus antea ſuſciperent, magnamq; ipſius partem in imum ventrem excernerent; item quòd poſtera die vomitu reijciantur, vt pote non digeſtis per corpus cibis. Inflammationis autem coniecturam habemus ab ęſtu præcordiorum, à ſublata ad cerebrum ab atra bile euaporatione, à ſanguinis in loco affecto aduſtione, & à ciborum refrigerantium alleuiatione: quam tamen inflammationẽ non adeſſe, etiam hinc conijcere poſſumus, quòd in his nec ſitis nec febris adſit, & quòd affectio hęc admodũ diuturna ſit, cũ tamen vlla inflãmatio tandiu protrahi poſſe non videatur. quare determinandum erat, ex qua harum affectionum ſiat melancholia hypochondriaca, & in qua conſiſtat. Quò autẽ ad locum affectum declarandum erat, an locus affectus in melancholia hypochondriaca ſint venæ meſaraicæ, vt ſenſit Diocles, vel an (vt alij ſenſere) ſit pylorus, vel ſit vena porta, vt quidam dixerunt, vel an ſit ventriculus ipſe, vt videtur

tur affirmare Galen. & an posſit eſſe lien, vt habetur lib. 6. de loc. affect. cap. primo. & an ab vtero, & à ſemine non tantùm in fœminis, ſed etiam in viris poſsit hic affectus fieri; cũ videamus multas mulieres ex retentis menſibus, & ex abſtinentia Veneris (vt etiam teſtatur Gal. lib. 6. de loc. affect. cap. vltimo in viris contingere) melancholicas fieri. Quæ omnia declaranda erant ad demonſtrandam huius affectionis & eſſentiam, & curationem. quę vnica inſtituenda non erat; quoniam non videtur vnica eſſe vel affectio, vel locus affectus. Vt autem iuniores hanc tractationẽ integrè aſſequi valeant, moneo eos quamcunque partem in inferiori ventre poſitam (cuius ratione poſsit ſanguis aduri, & ſuperaſſari, aut melancholicus ſuccus in eodem aggregari, à quo euaporationes melancholicæ ad cerebrum eleuari queant) poſſe etiam melancholiam hypochondriacam cauſare. Hinc à meſaraicarum venarum obſtructione quandoq; fit hæc affectio; quoniam cũ ex obſtructione non ita liberè poſſint exugere ſanguinem, & per vniuerſum corpus tranſmittere, fit, vt plus iuſto incaleſcens ſanguis aduratur; & inde conuerſus in humorem melancholicum ad caput euaporet. Similiter ſi afficiatur pylorus, ita vt in eo, & per cũ aduratur ſanguis, melancholicas euaporationes cauſare poteſt. idẽ dicatur de vena porta. hoc idẽ affirmo de pancrea, & vaſibus illis internis. ſimiliter de liene hoc aſſeratur. ſi per eum nõ expurgetur melancholicus ſuccus, poteſt ventriculo, & cordi communicari, à quibus eleuati vapores cerebrum inficere poſſunt. De ventriculo autem hoc animaduerto, per ventriculum non intellexiſſe Galenum ſubſtantiam ipſius ventriculi tantùm; quoniam in eo non poteſt nec ſanguis aduri, nec adeò ſuperaſſari, vt hinc vaporationes melancholicę attolli poſſint (ratio inferius patebit) ſed per ventriculum intelligit cùm ventriculo & pylorum, & venas cohærentes, & continuas, in quibus talis poteſt aggregari, & aduri vel ſanguis, vel ſuccus melancholicus. Quod de his dictũ eſt,

idem intelligatur & de vtero, cum in eo mẽses retinentur, qui naturam melancholici succi retineant, & de vasis spermaticis, cum in eis semen non excretum, & diutius detentũ corrumpitur, à quo sublatæ euaporationes prauæ cerebrũ ipsum petant. hæc de loco affecto aduertenda sunt. Quò autem ad affectionem moneo etiam non vnicam, sed plures esse affectiones, in quibus consistat hic morbus. animaduertoq;, vt in pluribus; cum hoc connexas esse malas ventriculi dispositiones ab intemperie frigidiori pendentes. cuius intemperiei ratione accidunt ructus acidi, fluctuationes, flatus plurimi, coctionis tarditates, plurima sputamina, & cætera, quæ talem consequi intemperiem consueuere. à qua non causatur verè talis melancholia; quia ab hac intemperie nõ potest assari sanguis, sed tantùm exacerbatur, factis, & adauctis per hanc plurimis euaporationibus, quarum ratione cerebrum facilius lęditur. pendet autem hæc melancholia à vaporibus melancholicis ad cerebrum delatis, & eleuatis, vel à sanguine melancholico, qui seu ratione obstructionis mesaraicarum venarum, aliorumuè consimilium vasorum, seu ratione inflammationis pylori, alteriusuè similis membri superassatur, vel eleuatis à succo melancholico circa viscera, quia per lienem non expurgatur, detento: vel eleuatis à mensibus cohibitis, & melancholicis, vel à semine retento, & ob Veneris abstinentiam corrupto. Moneo insuper, cum Diocles, Galenus, & cæteri dicunt in ventriculo, in venis mesaraicis, in pyloro, in aliouè membro inflammationẽ adesse cum hoc morbo, ꝙ non intelligendum est verã adesse inflammationẽ. nã ad hanc sequeretur necessariò febris, quę ab hac melancholia abnegatur. præterea vera inflammatio per conueniens tempus tandem vel discutitur, vel suppuratur. quorum neutrum contingit in hac melancholia, quæ non tantùm per menses durat, sed etiam ad plurimos annos (ad quod tempus inflammatio perdurari non potest) protrahi consueuit. quare per inflammationem audiamus

non

non tumorem inflammatorium, sed intemperiem calidiorem, phlogosin dictam, per quam fit, vt sanguis in parte contentus, & attractus aduratur. cui intemperiei quandoque connectitur aliqua materia, cuius meritò ab ea inibi obstructio causatur, quæ postea est in causa, vt cibus non facilè distribuatur, sed in ventriculo maneat, indeq; plurima circa ventriculum symptomata, & indispositiones fiant, exacerbenturq;. cuius ratione etiam fit, vt licèt intemperies morbum faciens sit calida, a calidioribus tamen remedijs quandoq; curetur hic morbus; quoniam calidiora medicamenta in hoc non ratione alterationis, sed quia exobstruere possunt, prodesse valent. Quæ calida remedia eò magis in casu isto conuenientia sunt; quia cum hoc semper intemperies ventriculi frigidior connectitur. Vnde ratione huius, & ratione symptomatum ventriculi valde prosunt. Cum autem tot sint loci, qui primariò affici possunt in hoc morbo, totque sint affectiones, à quibus pendere potest, non erat instituenda vnica curandi forma. quæ variari debet pro ratione loci primariò affecti, & pro ratione affectionis, indeq; semper pro harum diuersitate diuersæ insurgunt curatiuæ indicationes, quæ in summa capita redactæ ad minus tres erunt. Quarum prima erit circa materiam iam genitam, quoniam eam tollere debemus. Secunda erit circa partes primariò affectas, quibus occurrendum est, remouendo etiam, vbi adsint, earundem obstructiones. Tertia versabitur circa symptomata, & malas ventriculi dispositiones, quas corrigere, & amouere debemus. Quibus autem medicamentis horum singulis obuiandum sit, id doceat recta medendi methodus, per quam seligantur opportuna, & rationabilia remedia, quæ non vnius, sed diuersæ conditionis pro diuersitate affectionis, & pro diuersitate loci affecti, existent.

Hic etiam prognosticum exponens non tradidit signa, per quæ distinguitur melancholia confirmata à melancholia

lancholia non confirmata, quam tamen nouisse Medici saltem pro prognostico debent.

De Mania, idest Furore. Cap. VIII.

INquit Author Galenũ per melancholiam lib. 3. de loc. affect. cap. 6. in fine intellexisse Maniam, cum ait; sit autem huiusmodi melancholiæ species affecto prius calidis dispositionibus cerebro, aut æstuatione, aut inflammatione, aut &c. ratio est, inquit ipse, quoniam melancholiæ causa est intemperies frigida, non calida, quæ calida est causa insaniæ. quæ expositio falsa est; quoniam Galenus eo in loco loquitur de melancholia propriè sumpta, & de ea, quę fit capite solum per se affecto, vt patet consideranti verba eius. & per illa verba intendit Galenus exponere causas extrinsecas, & mediatas ipsius melancholicæ, non immediatas, & proximas. Quod non intellexit Author hic; vnde eius ratio licèt sit vera, nõ tamen est ad propositum; quoniam melancholiæ huius profectò est causa immediata, & proxima intemperies frigida, inducta ab humore melancholico: attamen hic humor melancholicus potest gigni ex pluribus causis calidis, qualis est dispositio calida cerebri, & ęstuatio, vt patiuntur hi, qui versantur sub sole diutius, & inflammatio, & phrenitis, quæ per caliditatem propriam reddunt sanguinem & crassum, & melancholicum, quæ omnia sunt causæ externę sicuti etiã sunt curę, mœstitię, & vigiliæ ibidẽ tanquã causæ externæ ab eodem propositæ, quæ tamen non calefaciendo, sed refrigerando sunt in causa huius humoris melancholici, ex quo postea dependet, & gignitur hic morbus.

Delirium quãdoq; causari à pura intemperie calida.

Vltra phrenitidem, melancholiam, insaniam, & cæteros hosce morbos, qui delirium ex materia cerebrum lædente inducunt; sciendum est quandoq; nulla præsente materia delirium in nonnullis causari à pura intemperie calida, vt docet Gal. lib. 2. de sympt. causis cap. vltimo, & lib. 6. Aphor. commen. 53. Dignoscitur autem hoc delirium à cæteris,

qui ex

qui ex fluxione materiæ fiunt; quoniam in his modicum eſt delirium, & delirantes habent omnes voluntarias actiones infirmas, vt habet Galenus lib.4. de præſag. ex pulſibus, vbi agit de pulſibus, qui fiunt cerebro affecto, in hiſq; pulſus ſunt duri, non per tenſionem, ſed propter ſiccitatem arteriæ. Hoc notaſſe volui, ne Iuniores in curatione delirantium ſemper recurrant ad capita ea, quæ à practicis pro delirantibus explicata ſunt.

De Capitis dolore. Cap. X.

DEclarans, quid per caput in hac tractatione intelligendum ſit, inquit, eam nunc ſignificari partem, quæ capillo tegitur. quod dictum imperfectum eſt; quoniam dolores capitis, qui curandi ab ipſo, ab omnibusq; ſcriptoribus pariter proponuntur, non tantùm partem capillo tectã, ſed etiam frontem ſæpè occupant, ad radiceſq; oculorum quandoq; pertingunt, vt ipſe etiam ex mente Galeni docet diſtinguendos eſſe eos, qui internas capitis partes occupãt, ab his, qui externas afficiunt.

Per caput quid intelligendum, dum agitur de dolore capitis.

Examinans quid ſit dolor, inquit, quòd dolor eſt dignotio alterationis grauis, vel aſperæ factæ in corpore ſentiente. Quæ ſententia non ita veritati conſonare videtur; quoniam ſi dolor eſſet dignotio, eſſet operatio, & actio corporis ſentientis: at dolor non eſt actio, ſed paſſio, ergo dolor non eſt dignotio. Dolor enim (medicè loquendo) eſt paſſio, vel motus (nam quæ mouentur, patiuntur etiam) factus in parte actu ſentiente confertim à re contraria. & licèt ad hoc, vt hæc paſſio ſit propriè dolor, requiratur cognitio huius motus & paſsionis, non tamen hæc dignotio eſt dolor. Dixi autem hoc (medicè loquendo) quia ſi propriè, & philoſophicè loquamur, dolor eſt in genere affectus, non actionis, vel paſsionis, vt habetur lib. 4. Aethic. propriè enim gignitur in appetitu, non in ſenſu. Quòd etiam dignotio illa non ſit dolor, hinc apparere poteſt, quòd cum dolor ſit de his, quæ maximè proſternunt vires,

Dolor quid ſit

non est affirmandum, quòd dignotio illa sit dolor; quoniã dignotio illa non est id, quod vires resoluit, sed est motus ille, & passio præter naturam in corpore sentiente facta: Sed forsan quis dicet, immo illa dignotio est dolor; quoniam illa ablata, licèt adhuc sit motus ille præter naturam, aufertur & dolor; sicuti apparet ex vsu medicamentorum stupefacientium, quæ sensum, & non passionem tollunt. Ad hoc ego dico, quòd ad formationem doloris duo necessariò requiruntur, scilicet & motus ille præter naturã, & cognitio illius motus; adeò quòd dolor nil aliud est, quàm passio confertim facta in membro actu sentiente, quod cum sit, dico etiam, quòd horum duorum quodcunq; tollatur, tolletur etiam & dolor; nam siue tollatur illa passio, siue tollatur actio sensus, tollitur & dolor. Vnde ad argumẽtum dico, quòd licèt per ablationem sensus auferatur dolor, non tamen dolor est sensus, & dignotio illa, quoniã ad illius ablationem hic auferatur. nam hoc quidem ad illius essentiam necessariò requiritur, non tamen est illud formaliter; formaliter autem dolor est ille motus naturam cõtristans, per vim sensitiuam deprehensus. Et hic aduertatur, quòd cum dico dolorem esse motum, vel passionem, quòd per hęc non intelligo causas doloris, vt putà solutionem continui, vel intemperiem, sed intelligo illam dispositionem, per quam malè afficitur membrum sentiens, vel à solutione continui, vel ab intemperie, & illa affectio deprehensa per uim sensitiuam est dolor; quæ affectio deprehenditur ab ipso sensu, non quatenus prouenit à tali causa, sed quatenus contristans; vt puta crus dolet ex frigore periostij, sensus in dolore non apprehendit hanc affectionẽ, quatenus à frigiditate causatur, immo sensus ipse in talibus casibus sæpe non deprehendit causam dolorem inducentẽ, sed quatenus contristat, & molestat.

Cephalalgia an sit dolor recens capitis. Hoc eodem loco, dum diffinit Cephalalgiam, ait eã esse dolorem capitis recentem, per quam particulam inquit ipsam

ſam diſtingui à Cephalæa, quæ eſt dolor antiquus. quod dictum falſum eſt; quoniam Cephalalgia poteſt eſſe & recens, & antiqua, vt apparet lib. 2. comp. med. ſecundum loc. ferè in principio, vbi agit Galenus de antiquo capitis dolore, qui quidem non Cephalæa, de qua inferius poſtea ferè in fine eiuſdem libri agit, ſed Cephalalgia dicitur. Differunt autem hęc duo abinuicem, nō ratione temporis, ſed ratione acceſsionum, & debilitatis capitis, vt habetur loco citato, & lib. 3. de loc. affect. cap. 7.

Capitis dolorem ab intemperie frigida vnà cum materia pendentem curare docens, plura, & vniuerſalia, & particularia ſumma cum ratione adminiſtranda monet, quibus tamen hoc addam, me contumaciſsimos capitis externos dolores hac de cauſa genitos vel propoſitis, vel ſimilibus, ac etiam vehementioribus medicamentis aliquando non potuiſſe ſuperare. Vnde coniectura facta, vel pericraneum, vel vna cum pericraneo os ab ea materia admodum malè affectum eſſe, ad vſtionem loci patientis deueni, hancq; curandi rationem fælici cum ſucceſſu tentaui, in qua hoc ſemper obſeruaui, vt cādenti ferro facta vſtio vſque ad os, quod plurima ſemper ſcatens humiditate inueni, profundè penetraret; aliquando verò os ipſum carioſum reperi, quo diſquammato, omnis conquieuit dolor. Vſtio hæc non in occipite, nec in ſincipite ſupra ſuturam coronalem, qualis à multis ratione diuerſionis fieri ſolet, ſed vel in dextra, vel in ſiniſtra capitis parte, prout hæc magis, quàm illa pars, dolore cruciaretur, ad tollendam intemperiē frigidam, & ad euacuandam materiam peccantem, à me fœliciter tentata eſt: quod notaſſe volui, vt cæteri audacter, vbi detur huius actionis occaſio, vſtionem hanc adminiſtrare poſsint. Vt autem cognoſcant, qua ratione deprehendatur os, integra exiſtente cute, carioſum eſſe, adeant Hippocratem lib. 2. de morbis, vbi monet in tali caſu cutim de capite alia, atque alia parte diſcedere, ideſt, cutim ad tactū

Capitis dolor à cauſa frigida quibus remedijs tollendus.

In capitis dolore ad vſtiones quādoq; proficuum eſſe deuenire.

ab osse separatã persentiri. quod est signũ maximè animaduertendũ, cũ sit infallibile, ac certum cariei osis indicium.

Cauteria in occipitio an secũdùm Galenum conueniant.

Postea quàm in sermonem de vstione in capite facienda nunc incidi, data occasione, Iuniores moneo, quosdam esse Medicos, qui ad pauca respicientes, in similibusq; opinionibus senescentes, cauteria, & vstiones in occipite damnãt, illis ducti Galeni verbis, quæ in secundo lib. de comp. med. secũdum loca posuit, curationem doloris capitis ex ardore docens, vbi hæc expresse habet. Neque enim facilè exuritur capitis ea pars, quæ occiput, & à Græcis Inion appellatur. opinãtur autẽ hoc in loco Galenũ loqui de exustione facta ab igne. At longè errant; qm̃ Galenus nõ de vstione ab igne, sed à sole facta, sermonẽ habet; docẽs.n. curationẽ doloris capitis ex ardore solis monet anteriori capitis parte, non posteriori, administrãda esse localia remedia. Et hoc duplici ratione. Primò quidẽ, quia posterior capitis pars, idest occiput ipsum, ita facilè, quemadmodum anterior pars, nec à sole exuritur, nec solis calorem concipit. Secundò quia in occipite adest principium spinalis medullæ ad stipitis modum in multos neruos diuisæ, quæ à refrigerantibus medicamentis appositis posset lædi, à quibus habetur, quòd occiput (quia non ita incalescit à sole, quemadmodum sinciput) remedia refrigerantia non requirit. & quia in eo est principium spinalis medullæ, quæ est pars frigida, non tolleraret absque manifesta læsione huiuscemodi refrigerantia medicamenta; quare nullo pacto talia circa occiput erunt vnquam administranda. Hanc esse mentem Galeni doceat processus verborum eius, & illæ duæ particulæ in eius sententia positę, scilicet, enim, & facile; nam per primã liquet eum superioris sententiæ reddere rationem; per secundam autem apparet eum loqui de ęstu solis, non de vstione ignis; ea pars enim à sole difficulter incalescit, at facilè ab igne, sicuti cæterę omnes partes, exuritur. Hanc eandem sententiã attestatur Oribasius ad Eunapium lib. 4. cap. primo, qui trãscribens

scribens, à Galeno hæc in curatione doloris capitis ab æstu habet. Qua in re cauere debes, ne posteriorē partē capitis, quæ ad occiput est, attingas; cū caput ea parte nō facilè exuratur, cumque inde ortum ducat spinalis medulla, ne aliqua noxa consequatur. Caput etiam exuri à sole, esse dictum à Græcis, receptum vltra Galeni loca, in quibus per vstionem intelligitur supercalefactionem à Sole factam, si cuti potissimùm clarè habetur libro primo ad Glauconem cap. de feb. Ephimera. & lib. 8. Meth. cap. 3. vbi febres ab vstione causatas curare docet, & inferius etiam lib. nono pluribus in locis, in quibus huius vstionis meminit, habetur à Paulo, qui lib. 3. cap. 13. docens quæ ab epilepticis vitanda sint, in fine inquit; & in balneo mora, & capitis ex sole exustio. quare concludo Galenum per illud verbum, exuritur, intellexisse exustionem à sole, non ab igne, factam; quapropter non abstineant horum ducti sententia Medici à cauterijs occipitis; sed vbi dabitur indicatio, audacter tales, iam per sæcula ab ipsa experientia vtiliter confirmatas, vstiones administrent.

De Hemicrania. Cap. XII.

HEmicranicum dolorem vt plurimum per circuitus exacerbari monet hic Author, & hoc idem experientia ipsa testatur. Quòd autem hi circuitus habeant aliquando certos periodos, nec ab authore expressum habemus, nec omnibus hoc notum est. Cum verò à me casus hemicranici doloris, qui statis horis, & diebus regrediebatur, visus sit, dignus est, vt à me recenseatur. Curaui ego Religiosum virum, & diui Dominici fratrum consortio iunctum, qui per tres annos continuos; & menses septem passus est hemicraniam in parte capitis dextera vnà cum ingenti, & acuto dolore circa temporalem musculum, quæ vnoquoque octauo die Lunæ dicato, semper eadem fermè hora inuadebat. exacerbatio ad viginti octo, aut ad triginta horas ad summum

 perse-

perseuerabat, quo tẽpore nec lumen aspicere, nec strepitũ audire sine manifesta læsione, nec etiam cibum assumere, aut gustare poterat. hoc tempore elapso sanissimus erat; omniaq; munia tàm naturalia, quàm animalia fęliciter obibat. Hunc casum non tantùm notare volui, tanquam rarũ hemicranici doloris exemplar, sed etiam, vt hinc conijciant Medici, an possit dari octaua febris, quæ consimiles circuitus, & periodos vnoquoque octauo habeat die. De hac enim licèt Hippo. lib. primo Epide. sect. 3. tex. 2. alia febrium genera recensens non meminerit, videaturque Galenus, cum Diocle in hoc concordans, eius esse sententiæ, vt nullus alius, vltra quintanum, detur circuitus, tamen ex præcedenti narrato casu possumus arguere dari circuitũ febrilem octauum: quoniam quæ maior potest esse causa huius octaui circuitus in hemicrania, quàm quæ possit esse in febre? sed vltra hoc argumentũ experientia hoc idem mihi bis testata est dari certò octauũ circuitũ, & octauã febrem; alteram.n. vidi in nobili Equite non vltra vigesimũ quintũ annum agente; alteram autem in muliere quinquagenaria.

De Conuulsione. Cap. XIII.

Vltra causas ab Authore connumeratas aduertatur conuulsionem etiam fieri à spiritu flatuoso, vt docet Galenus lib. 2. de symptom. caus. cap. 2.

Conuulsionis causa.

Ex mente Galeni ponit conuulsionem esse symptoma in genere functionis virtutis motricis, causatum à causa præter naturam. Aduertatur tamen hoc solum verum esse in conuulsione facta per se, non per consensum; Vbi enim fuerit per consensum, non à materia, & à causa præter naturã tantùm fit, sed etiam à virtute stimulata, sicuti fit in epilepsia per consensum, vt habetur lib. 3. de locis affect. cap. 7.

Cõuulsio quod symptoma sit.

Conuulsionis prognostica exponens ex Hippocrate lib. 5. Apho. 6. ex Galeno in eius commento ait teranum quattuor diebus iudicari, nec vltra primum quaternarium, cum

fit morbus valdè acutus, protrahi, quibus subiungit ex Aetio, nec senes, nec pueros tetano corripi; Ego tamen testor Infantes hoc affectu facilè deprehendi, quod idē Gal. lib. 3. Prognost. commen. 36. per hæc verba affirmauit. De conuulsione hoc loco disputat, quæ non in parte vna corporis, sed in omni eo infestet, quæ in pueris promptissimè euenit, sed magis lactentibus, quos etiam lib primo Epid. sect. 2. commen. 24. conuulsionibus, propter neruosi generis infirmitatem, opportunissimos appellauit, testorq; me vidisse plures infantes tetano detentos, in eisdemq; hunc morbum aliquando vltra decimam quartam diem pertractum fuisse, animaduerti. Vnum autem peculiariter quatrimestrem conspexi ita tetano correptum, vt si animam non duxisset, statuam rectissimam, in nullamq; partem declinātem iudicasses; adeò rectà, rigideq; totus se habebat; nullam enim partem nec minimam quidem mouebat; hic per quadraginta dies ita permansit, nec vnquam vocem emisit, nec vbera matris lactauit; lac tamen per ampullam vitream in eius os instillatum degluti uit, cuius meritò nutrimentū sufficiens assumpsit, morboq; superuixit, & viuit adhuc.

Infantes, & pueri an tetano corripiantur.

Curationem conuulsionis ex repletione explicans ex lib. de locis, in homine proponit exhibendam esse mandragoræ radicem in potu. Quod remedium animaduertant iuniores in vsum reuocandum non esse; quoniam radix hæc licèt exsiccare possit, tamen quia frigidissima est, & virosa qualitate donata, cū frigidū neruis inimicū sit, hic nocere, nō iuuare poterit: quare miror, quomodo Author iste locū hūc probet, & eò magis, cum videam eum hāc sententiā tanquā Hippocratis proponere, cum tamen liber ille forsan spurius sit, nec inter germanos Hippocratis libros recēsendus veniat.

Mandragoræ radix an conueniat in potu in conuulsione à repletione.

Eiusdem conuulsionis euacuationē proponens, inquit, in hac secandam esse venam, modò non penitus à sanguine secretus pituitosus fuerit succus redundans. Hic aduertatur, quòd indicatio sectionis venæ non ab humore peccante,

Sectionis venæ īdicatio nō sumitur à qualitate succorū peccantium.

nec ab humoris statu, seu qualitate desumitur, sed à magnitudine morbi, consentientibus viribus, vt millies à Galeno explicatum est: quare siue secretus, siue non secretus fuerit peccans humor; semper viribus nō contraindicantibus secanda est vena, ob acutiem, & magnitudinem morbi, & hoc obseruetur in quocunque alio casu.

Cōuulsio, & paralysis aliquādo in eodē membro coniūguntur.

Spasmo opponitur paralysis, quoniam ille dicit motum, hæc immobilitatem, tamen spasmus iunctus cum paralysi, ita vt alternatim affligant eandem partem, scilicet, quòd modò illa pars conuellatur, modò eadem resoluatur, postea iterum conuellatur, & deinde iterum paralyticetur, ponitur lib. 3. Prorreth. tex. 26. Qui casus fuit etiam à Galeno visus, vt ibidem in com. ipse narrat. Hoc idem semel ego tātùm vidi; quare hoc aduertatur tanquam vnum ex mirabilibus, possibilibus tamen, quę Medicis offeruntur.

De Paralysi. Cap. XIIII.

Paralysis an semper fiat ab humore neruos obstruēte.

PAralysis prognostica recensens ex Cornelio Celso affirmat paralysim nunquam acutum, semper longū esse morbum. At experientia mihi sæpe oppositum dictauit, cum viderim plures paralyses intra septimam diem solutas; quarum ratione coniecturam feci, paralysim ex neruorum obstructione ortam non semper à frigidis, viscidis, & crassis succis causari; tales enim paralyses tum ratione materiei morbum facientis, tum ratione partis affectæ diuturnę sunt, & non facilè soluuntur: cum autem illæ citò, & leui negocio soluantur, ab alia materia, & ab alia causa procreari coniiciēdum est. qua de re ego in eam ductus sum sentētiam, vt existimem paralysim etiam fieri posse ex neruorum quidem obstructione, at non semper causata ab humore frigido, & viscido, verum etiam à vaporosa materia, quæ ad principia neruorum transmissa obstructionem in eis inducens, ac spiritus animalis viam intercipiens sensum, & motum inferiorum partium inhibeat. Hanc sententiam mihi hæc Historia compro-

comprobauit. Tonsor quidam, cum die præcedenti vino, ac gulæ nimium indulsisset, nocte media cum timore maximo (nã videbatur sibi suffocari) expergefactus incidit subitò in paralysim omnium corporis partium infra faciem existentium; in qua adeò motus, & sensus erant deperditi, vt nec acu profundè perforatus, nec gladiolo scarificatus quicquam sentiebat, omniaq; motui, præterquam ipsius capitis, ineptus erat. Hic tamen soluta in totum ebrietate, & crapula intra tertium diem, liberè omnino sanatus est, factis tantummodo nonnullis reuulsionibus, ac inunctionibus quibusdam resoluentibus ad spinam. Hic quę potuit esse paralysis causa? non materia frigida, & viscida; quoniam non ita velociter, nec ita facilè subleuatus ęger fuisset, sed vapores crassi, & multi ratione crapulæ oborti, & ad neruos transmissi, qui eosdem obstruentes fuerunt in causa paralysis. Nec alicui sicuti nouum, ita etiam mirandum hoc appareat, cum etiam à flatuosa materia neruos ingrediente species quædam conuulsionis generari solita sit: quę eadem materia flatuosa, si crassior abundauerit, quid prohibebit eam neruos obstruere posse, et inde paralysim causare? Sed cur nouum dixerim, cum antiquissimum sit, à flatuosa materia causari stuporem, paralysim, & syderationem corporis. sicuti habetur ab Hippocrate in libello de flatibus, spiritibusuè inscripto, in quo hãc sententiam clarè docuit: Quòd verò stupor attonitus, vel syderatio à flatibus fiat, deinceps demonstrabo, quum ergo flatus multi frigidi penetrent, ac inflent carnes, partes coporis stupidę, & insensiles fiunt, & si quidem plurimi flatus per vniuersum corpus discurrant, totus homo syderatur si verò per partem, partem illam syderant, & percutiunt: atque vbi abierint flatus, cessat & morbus; quàmdiu autem permanserint, consistit & morbus, hæc Hippocrates.

Proponit Author ex Aetio, qui hoc ab Archigene transcripsit, valdè prodesse partibus resolutis, si ægrotantes assiduè *Decoctum far menterum vi-*

tis an conueniat in paralysi. assiduè potent decoctum sarmẽterum vitis viridium: quod remedium cum facultatis sit frigidæ, & adstringentis, quid in paralysi prodesse possit, consideretur, nec sine ratione talia medicamenta in vsum assumantur.

Paralysis ex refrigeratione curationem tradens alterantibus tantùm eam curari præcepit, inter quæ præcipuũ propono balneum olei calidi, remedium à Galeno in lib. 2. de facult. symp. med. cap. 7. ad hoc celebratum.

De Conuulsione Canina. *Cap. XV.*

Conuulsionis caninæ causa. INter causas conuulsionis caninæ recenset resolutionem alterius partis faciei:quod nedum à veritate distat, sed valde absonum est, cum paralysis conuulsionem nequaquã gignere, nec producere queat. lapsus est autem in hoc capite Author, existimans omnem torturam faciei spasmum caninum esse. quod falsum est: nam tortura faciei à duplici prouenire potest causa, quarum altera est paralysis, altera conuulsio. In tortura ex paralysi pars faciei distorta est pars sana; quoniam musculi sane actione sua fungentes trahunt resolutos ad se, in tortura autem ex conuulsione pars distorta est pars affecta; quoniam musculi conuulsi versus proprium principium trahuntur, & ita distorquentur, hæc curatur curatione conuulsionis, illa autem curatione paralysis.

De Incubo. *Cap. XVI.*

CAusam huius affectus assignans inquit hanc esse frigidum, & crassum vaporem ad cerebrũ delatũ, eiusq; ventriculos obstruentem. quæ sententia verissima est, sed *Incubi causæ distinctæ, & discrimen differentiarũ.* distinguendum erat, vaporem istum modò à ventriculo tantùm, modò ab vniuerso corpore eleuari. à ventriculo eleuatur ex crapula, & continua cruditate, ex facietate nimia, ex cibis crassioribus, flatuosis, & quę caput petere possunt, & incubus hac de causa genitus facilè tollitur sola recta vi-

ctus

ctus ratione, & leuioribus medicamentis administratis, nec hinc periculum impendet; ab vniuerso autem corpore eleuantur, dum in eo vel melancholici, vel pituitosi abundant humores, à quibus eleuati in somno vapores crassi, & frigidi, & cerebrum replentes sunt in causa, vt virtus ad inferiores partes vix descendat, & hinc difficultates illæ in somno, & tales incubi; hincq; vel epilepsia, vel apoplexia, vel melancholia, vel quid simile impendet, & ideò in his purgationibus, euacuationibus, & his, quæ cerebrum roborare, & alijs, quæ vapores inhibere possunt, indigemus, ac ea summo studio parare debemus.

De quibusdã accidentib. qui in somno dormientib. contingunt.

Quemadmodum in Incubo credunt patientes se vel ab hoste inuadi, vel ab aliquo Venerem exigente vim pati, vel à Dæmone deprehendi, vel mole aliqua premi, vel quid aliud horrendum sustinere: similiter in somno contingunt, & hoc præcipuè in pueris fieri obseruaui, aliquando pauores maximi, & terribiles aliæ imaginationes, ex quibus admodum cruciantur dormientes, cum in his tamen nec vox, nec motus, vt in Incubo, intercipiatur: sed hinc adeò angun tur, vt vel summissa querimonia lamententur, vel alta voce clament; & inde nonnunquam ità validè tanquam horribilia fugientes, mouentur, vt à decubitu surgãt, & è lecto prosiliant. Quorum accidentium non eædem sunt causæ, quæ & Incubi, sed longè diuersæ; has autem ego obseruaui, scilicet, vt hæc eueniant, vel vbi in somno humores vitiosi grauent ventriculum, ac ipsum mordeant, vel vbi cibus in ventriculo corrumpatur, qui corruptus mordeat etiam ventriculum ipsum, quod præsertim accidere consueuit, quando loca ad ventriculum attinentia sensu quidem vigeant, sed natura sint imbecilla, vt notauit Gal. lib. 3. Aphor. cõm. 14. Vel vbi vermes in intestinis existentes aut eadem intestina, aut ventriculũ, cum ad partes superiores ascenderint, mordeant, vel vbi in somno ad cerebrum commotus sanguis illud grauet, comprimat, & compingat; hinc enim cerebro

Cur aliqui dormiẽtes clamẽt, & conquerantur, & valde in somno crucientur.

contur-

conturbato vident patientes somnia horrenda, & terribilia, & ab his maximè anguntur: quod mihi fuit quandoq; sufficiens indicium ad præsagiendam in aliquibus de proximo aduenturam Epilepsiam, & hoc præcipuè cum nouerim in his dormientibus faciem rubicundiorem, & ferè ignem euadere, quod animaduerti à sanguine partes superiores petente, ac cerebrum ipsum replente, & grauante causari; solet enim in plethoricis dispositionibus, vt docet Gal. lib. 4. Aph. commen. 67. à somno caput repleri, & inde cerebrum aggrauari: quæ plethorica dispositio, si ad naturam atræ bilis vergat, timores, & horrenda insomnia causare consueuit: qui idem sanguis, vbi dormientes expergiscuntur, in proprias venas recurrens, in eisque dispersus, est in causa, vt ijdem, & resipiscant, & quiescant, vt optimè declarat Hippocrates in libro de morbo sacro. Vel vbi ad cor, debili eodem existente, cum in somno concentrentur calor, & humores, sanguis vel multitudine, vel praua peccans qualitate recurrat, aut saltem prauas exhalationes transmittat; præcipuè autem hoc obseruaui fieri in his, qui feruido sanguine, & ferè igneo abundant: quod idem notaui, sed rarius, in his contingere, qui eundem melancholicũ habent. & in summa hoc fieri in illis vidi, qui ex copia, & prauitate sanguinis vel in syncopem, vel in cordis palpitationem, vel tremorem, vel dolorem parati sunt. Quare vbi patientes in somno talia passi fuerint, nouerint Medici vel os ventriculi aut à vitiosis humoribus eò decumbentibus, aut à corruptis cibariis, aut à vermibus morderi, vel cerebrum à sanguine repleri, & grauari, vel cor ab eodem premi, aut stimulari. Vnde in huius affectionis curatione his causis eas optimè abinuicem distinguentes, recta ratione, ac methodo incumbant. Ad quam eandem intentionem, videlicet, nè patientes aut somnient, aut nè somniantes terribilia, & horrenda videant, quædam, licèt forsan superstitiosa, suspendi nouerint. Exemplum primi habetur lib. 3. de medi-

cinis

cinis facilè parabilibus, in quo hoc ſcribitur; vt nè homo noctu ſomniet, rutæ ſemen caligæ ipſius neſcientis ſuſpendito. Exemplum ſecundi habetur in libello de incantatione Galeno aſcripto, in quo docet Author, ſardam viginti granorum pondere collo ſuſpenſam, aut in digito geſtatã prohibere, nè homines in ſomno terribilia videãt. Hæc ſub ſcripſi, vt liqueat hunc affectum ab antiquioribus Medicis cognitum, & conſideratione dignum iudicatum fuiſſe; In difficilibus enim affectibus tantùm ad ſuſpenſiones deſcendebant.

De Vertigine. Cap. XVII.

STatuit, quòd vertigo, & tenebricoſa vertigo non tantũ nomine, ſed etiam re differant. quæ ſententia nequaquã recipienda videtur; quoniam hæc duo non alter differunt, quàm ſecundum magis, & minus, vt etiam ipſemet in proceſſu teſtatur, cum ab eadem cauſa depẽdeant, quod tamen non eſt differre realiter; nam differentia ſecundùm magis, & minus non facit differentiam realem, ſicuti in albedine, quæ ſiue intendatur, ſiue non, eſt eadem realiter, licèt differat ſecundùm magis, & minus, quod idẽmet in alijs verificatur rebus.

Vertigo, et tenebricoſa vertigo an realiter differant.

Declarans, quomodo fiat vertigo, inquit, quòd hæc generatur ex inordinato motu ſpiritus in cerebro, eodemque inæquali, & turbulento cauſato ex motu ſpiritus flatuoſi ibidem detenti, qui eodẽ motu mouetur; ſubiungit autem poſtea, conſequãtur hęc ſymptomata ad morbũ in via, ideſt obſtructionem, & ad inæqualem intemperiem, adeò quòd velit motus illos ſpiritus eſſe ſymptomata cõſequentia morbos prædictos. Quod dictum falſum videtur; quoniã hæc dicta ſupponunt eſſentiam vertiginis eſſe vel intemperiem, vel obſtructionem, ad quas ſequatur poſtea motus ille, ex quo ſequitur ſymptoma illud, quo videntur homines circũagi. quæ ſententia nequaquam vera eſt; quoniam intemperies,

Vertiginis ſymptoma ad quem morbũ ſequatur.

peries, & obstructio, & motus etiã spiritus flatuosi sunt causæ morbi huius; nam intemperies generat spiritum illum, obstructio non permittit eundem exhalare, spiritus autem ille, dum mouetur, mouet etiam spiritum animalem: ad quem motum postea sequitur læsio imaginationis, qua homines opinantur se circũagi, quod est symptoma consequens ad motũ spiritus animalis, qui motus est morbus; qui immediatè causatur à spiritu flatulento in cerebro inordinatè, & turbulenter commoto; qui spiritus postea multipliciter causatur, scilicet, vel ab inæquali intemperie cerebri, vel ex inordinato victu, vel ex membris inferioribus generantibus sanguinem, & humores flatuosos, ex quibus hic spiritus ad caput ascendit; in quo, cum eo malo motu mouetur; mouetur etiam, & euertitur spiritus animalis. quis autem morbus sit iste, patet; quoniam est morbus in situ, cum spiritus non disponantur in loco naturali, sed euertantur, & circũagãtur, & hinc læduntur vires principales; quoniam cerebrũ edit functiones suas non tantum ratione temperamenti proprij, quantum ratione, & formationis, & situs, & aliarum rerum, quæ requiruntur ad membrum organicum componendum; Vnde videmus in mala formatione cerebri, & ad consimiles læsiones, sicut ad compressionem ventriculorũ, & malum situm eorum, & spirituum ibidẽ detentorum consequi læsionem maximam in viribus ipsius cerebri.

Vertigo per cõsensũ à quibus gigni queat.

Declarans, quomodo vertigo fiat per consensum, inquit, quòd fit vel à ventriculo, vel ab alijs partibus: quod sanè rectè est dictum, non tamen declarat, quæ sint hę partes, inter quas præcipuè est vterus, & non solum vterus, & reliquæ corporis partes singulares, sed etiam totum ipsum corpus potest esse in causa huius, ex quo sequitur, vt habetur lib. 3. de loc. affect. cap. 8. quòd sectis arterijs exterius, nõ sequatur aliquando sanitas; quoniam & partes interiores hunc spiritum flatuosum per partes internas possunt transmittere.

Cum

Cũ ponit signa Vertiginis per cõsensum à ventriculo, ait, quòd apparet tũc morsus ventriculi, & nausea, hoc aduertatur, quòd hæc indicant bilem in ventriculo existentem, cardiogmos.n.fit à mordacibus humorib. At vertigo per consensum à ventriculo facta, nõ tantùm gignitur ratione bilis, vt habetur lib.4. Aph. 17. sed etiã ratione cruditatũ, ac ratiõe humorũ pituitosorũ, vt innuunt Aetius, & Paulus; & ideo pro cognitiõe huius est recurrendũ ad signa cruditatis, in qua sępius, quàm à bile, vertiginẽ causari testatur experiẽtia ipsa.

Vertiginis per cõsensũ à ventriculo signa.

Curationem tradẽs iubet secandam esse venam brachij, hic aduertatur, quòd Galenus lib. de sang. miss. cap. 19. secat pro pręseruatione à vertigine venas inferiores, & non tantùm pro præseruatione, sed etiam si incipiens sit affectio, & exemplificat de Epilepsia, & Vertigine, in quibus, inquit, secandę sunt venæ inferiores, hoc tamen supposito, quòd in patiẽtibus sit humorum abundantia, & quòd si hæc non tollas, consueuerint in tales morbos incidere.

In vertigine quæ vena secanda.

De Epilepsia. Cap. XVIII.

PRo curatione huius morbi venæ sectionem proponit, quam ex Galeno, vt superius notaui, lib. de cur. ratione pro sang. miss. cap. 19. docet non cubiti, sed crurum secandam esse. quæ sententia videtur contradicere Galeno, qui eodem lib. cap. 16. monuit affectis partibus collo superioribus secandam esse humerariam venam, quod autem adducit Author ex cap. 19. non rectè ponderatum est ab eo; Galenus enim eo in loco intendit docere, quæ vena secanda sit verè pro præseruatione à morbo, occupante nonnunquam aliquam ex principalibus partibus cum hac conditione, quòd morbus idem causetur, & exacerbetur à plenitudine, tunc docet stantibus his duobus, scilicet & ad præseruationem, & vbi à plenitudine causetur morbus, in Epilepsia, & Vertigine secandas esse inferiores venas, sicuti superiores, ad præseruandum à podagra ex plenitudine genita,

In Epilepsia quæ vena secanda.

nita; vbi igitur non aderunt hęc duo, secetur humeraria ex Galeno, non saphena, vt docuit Author hic; qui locum Galeni perfectè non attingit.

Epilepsia à quib. humoribus causetur.

Ponens eius Epilepsiæ causas, quæ est primariò affecto cerebro, statuit duos tantùm esse humores in causa huius, scilicet pituitam,& melancholiam; At etiam à sanguine, qui abundans,& replens venas, & intercipiens spiritum, potest epilepsiã causare, gigni potest, vt docet Gal. lib.4.reg. acut. 23. quemadmodum nos superius clarè exposuimus.

Decoctum coriandrorũ an conueniat in Epilepsia.

Pro potu ordinat decoctum coriandrorum, qui potus, vt etiam superius notaui, mihi valde suspectus est; quoniam coriandrum sui natura petit caput,& tantum, vt si largius sumatur, delirium inducat, vt docet Dioscor. cap. proprio. Quare nec etiam semina coriandri quomodocunque parentur, ad comedendum exhiberem; quia non tantùm, vt asserit ex Plinio, non prohibet ascendere vapores ad caput, sed etiam, cum sui natura maximè caput petat, vt ex dictis liquet, & etiam vt ex eius odore patere potest, vapores alios potest secum ad altum ducere, & ideò nocere.

De Apoplexia. Cap. XIX.

Apoplexia à quibus humoribus causetur.

CAusas apoplexiæ exponens, à duobus tantùm fieri statuit humoribus, scilicet pituita, & melancholia, nullũ verbũ habens de sanguine, à quo tamen superius declarauimus ex Gal. lib.4. reg. acut. 23. & lib. de cur. ratiõe per sang. miss. cap. 5. & lib. de caus. morbo. cap. 3. etiã apoplexiã fieri.

Apoplexia an fiat ex inflamatione cerebri.

Explicans apoplexiæ causas citat locum Gal. lib. 2. Aph. commen. 42. dicentis aliquando gigni apoplexiam propter aliquã dispositionem phlegmonosam in cerebro existentem, non ipsum quidem obstruentem, sed constringentem. declarans autem, quæ sit ista dispositio, inquit, est inflammatio, erisipelas, & abscessus; At quantum decipiatur Author in explicanda hac Galeni sententia, satis expresse docuimus capite proprio de Apolexia.

Prognostica

Prognostica enumerans, inquit, quòd apoplexiæ sæpe numero succedit paralysis, quod non contingit epilepsiæ; quia epilepsia non finitur in paralysim, vt videtur docere Gal.lib. 4. de loc. affect. cap. 2. In hac re aduertẽdum est; quòd dicere simpliciter epilepsiam non finiri in paralysim, fallum est; quoniam, vt nos centies vidimus, & alij etiam quotidie in praxi vident, soluta epilepsiæ, & non solutæ aliquando succedit modò vnius, modò alterius, modò plurium membrorum paralysis; sed intelligendum est dictum Galeni in comparatione apoplexiæ, scilicet, quòd sicut apoplexia creberrimè, vt dicit ipse, terminatur in paralysim, ita & epilepsia creberrimè in eandem non finitur. Hoc experientia testatur, nam vt plurimum terminãtur epilepsiæ accessiones particulares, & morbus vniuersalis sine paralysi. Veruntamen aliquãdo, licèt rarò, tum vniuersalis morbus, tum etiam aliquæ accessiones particulares, nondum terminato morbo, in paralysim ipsam desinunt, ac soluuntur: quòd etiam Galenus non neget epilepsiam terminari in paralysim, ab eo haberi potest lib. 4. reg. acut. comm. 27. vbi clarè habet, quomodo epilepsiæ nonnunquam paralysis ipsa succedat. Hoc idem testatur Author libri de morbo sacro, qui Hippocrati adscriptus est, docens pulcherrimè, quã do, & qua de causa paralysis, & membrorum particulariũ læsionis epilepsiæ succedãt, & quid ex hoc sperandum sit per hæc verba: si verò modica existens pituita in vtraque venas defluxum fecerit, aut in alterius partis, superuiuunt; nota ex morbo impressa relicta; aut enim os, vel oculus distorquetur, aut manus, aut ceruix, vbicunq; sanè vena pituita repleta superata fuerit, & gracilis reddita. hanc itaq; venam necesse est debiliorem esse, & hanc corporis partẽ læsam defectuosiorem: verùm ad longius tempus plerunque prodest, nõ.n. amplius morbo apprehenditur, si semel notã impressam susceperit. hæc Author ille, ex quib. patet, quòd, & quando epilepsię membrorum resolutiones succedant.

Epilepsia an desinat in paralysim.

Rationem victus explicans multa quidem appositè, & conuenientia describit: tamen hoc sciatur, quòd dum homines apoplexia detinentur, frustra tentatur omne genus cibi; detentis enim sensibus interioribus, & exterioribus, fieri non potest, vt hi ratione alimoniæ, quid assumant,& hoc maximè in primis diebus.

Pro curatione inquit conuenire sectionem venę vel humeralis,vel mediæ. Hoc pro secanda tamen vena animadvertatur (quoniam in apopleticis sanguis refrigeratur, & sistitur) quòd ante sanguinis missionem optimè confricandum est totum corpus. De vena autem secanda seruetur id, quod docet Gal. lib.4. reg.acut. commen.24. vbi monet stante magna plenitudine,secandam esse internam:si autem plenitudo hæc non adsit,humeralis potius secāda erit.

In apopleticis quando secanda vena, quid obseruandum.

Si inepti,inquit, fuerint ęgri ad venę sectionem, aut in prædictis malum perseuerauerit, medicamentum purgans exhibendum erit. In hac sententia duę sunt difficultates,altera an stāte materię cruditate,pharmacum exhibere liceat, contra præceptum Hipp.& Galeni; altera erit, quomodo medicamenta, licèt ad intra fauces ponantur, possint in ventriculum descendere, cum apopletici sint in totum resoluti, & ideò facultate deglutiendi careant: quare quemadmodum experientia vidi,credo incassum, sicuti idem de cibo affirmaui, tentari exhibere vel cibum,vel medicamentum, vel quodcunq; aliud, quod sit deglutiendum,hoc nisi declinante morbo agatur.

Apopleticis an sit exhibendum pharmacum.

De Ophtalmia. Cap. XX.

EXplicans pro eius curatione lenitiuos liquores, enumerat fęnugræci decoctum,in quo hoc animaduerto, quòd non sumatur semen, quoniam hoc magis calidum est,quàm conueniat in oculorum inflammatione,cum sit calidum in secundo gradu,& siccum in primo,vt habet Gal. lib. 8. de simpl. medic. cap. de Teli. sed assumatur herba,

In ophtalmiæ curatione quid per fęnugræcū intelligendū.

ba, & eius folia pro formando hoc liquore, in quo conficiendo seruentur pręcepta ab Aetio tradita lib. 7. cap. 15. hæc duo particularia obseruando, primò vt optimè abluatur, ne puluerem admixtum habeat, vt etiam notat Gal. lib. 13. Meth. cap. 22. circa medium. secundò nè habeat semen permixtum. Et hoc libenter animaduerto, quoniam vidi maxima errata commissa in actu medendi, assumpto semine loco foliorum fęnugræci in hunc vsum, valdeq; hinc exacerbatas ophtalmias fuisse.

De Mydriasi, seu pupillæ dilatatione. Cap. XXVII.

CAusas internas Mydriasis tantùm recenset; de externis autem, à quibus etiam hæc affectio inducitur, ne verbum quidem habuit. Vltra autem Auicennæ testimonium experientia testatur non tantùm ab interno affectu, sed etiã à causa primitiua Mydriasim generari, s. vel à percussione, vel à casu, & hæc notasse volui non solùm, vt omnes causæ huius affectus pateant, sed etiam, vt moneam dilatationē pupillę ex casu, vel ex percussione causatã, dummodo non sit cum disruptione Rhagoidis contra Auicennæ sententiã, qui cap. de Altenear hanc dixit curam non habere; si citò, & rectè curetur, ueram admittere curationem, quam tamen ipse postea in cap. de cura contra decreta propria, tradere conatus est.

De Suffusione. Cap. XXIX.

DIffinit ipsam suffusionem esse affusionem humorum circa pupillã congelatorum, & inferius inquit, quòd hæc affectio est morbus in numero; quia hic adest id, quòd est toto genere præter naturam. hoc admittatur; sed hoc etiam sciatur, quòd & datur alia suffusio, in qua non accedit humor ab extrinseco, sed fit, quando humor albuginẽs incrassatur, & condensatur, vt habet Gal. libro primo de sympt. caus. cap. secundo. & tunc non est morbus in nu- *Suffusio quot modis fiat.*

mero, sed intemperies cum materia, seu morbus in via in hoc, quia est obstructio.

De Offuscatione oculorum. Cap. XXX.

An neruis opticis resolutis malè moueatur oculus.

A Ssignans causarum offuscationis oculorum signa, inquit, quòd si hæc affectio consequatur ad neruorum visiuorum resolutionem, tardè mouebitur oculus, aut omninò non mouebitur; Quod dictum falsum est; quoniã nerui optici non deseruiunt oculorum motui, sed visioni tantũ: motus autem oculorum dependet à septem illis musculis, qui ambiunt neruos illos, & oculos, de quibus Gal. lib. x. de vsu partium, & ideò ad resolutionem illius nerui, sequitur ablatio visus, non motus; quoniam ad visum, non ad motum deputati sunt illi nerui.

De Nystalope. Cap. XXXI.

Nystalopis causæ.

C Ausas explicans ex Aetio addit, tanquam huius affectus causam, tunicarum oculi crassitiem, quę causa in nystalope contingere non potest; quia crassities tunicarum non tantùm est impedimento, vt noctu videant, sed etiã interdiu. at in nystalope ægri in die satis vident; qua de re supererit, vt tantùm hic affectus cõtingat, vel ratione spirituũ, vel ratione humorum.

De dolore aurium. Cap. XXXIII.

In dolore aurium an conueniat oxirrhodinum.

I Nflammationis aurium curam exponens primò ad intra aurem oxorrhodinum imponit. quod medicamentum difficultatem patitur; quoniam in isto casu non videntur repercutientia conuenire propter vicinitatem cerebri: ad quod si repellatur materia; maximum imminebit periculum. Præterea hic modus curandi diuersus est à modo Galeni; Galenus enim lib. 3 de med. secundum loc. in principio ponens curam inflammationis aurium, distinguit de dolore, dicens, quòd dolor vel non est admodum intensus, sed

potius

potius remissus, vel est admodum intensus, & molæstus. in primo casu adhibet mitigantia, sicuti nardinum, basilicum, & consimilia. in secundo autem adhibet opiata: quare Galenus nunquam adhibet repellentia, quæ etiam videntur præter rationem.

In inflãmatiõe aurium an medicamenta calidã sint infundenda.

Eodem loco adhibet oleum dulce calidum, & inferius etiam describit plura, quæ calida inquit, esse adhibenda. circa quod notandum est, quòd Galenus loco citato apponit remedia tepida, non calida; & maximè vbi est inflammatio, non videntur conuenire calida, quia potius augent affectionem, cum tamen conueniant tepida, & tepidum respectu calidi sapiat naturã contrarij. In hac autẽ difficultate ego censeo, quòd hæc Galeni regula obseruanda sit in maioribus, & magis notabilibus inflammationibus, scilicet, vt in his nũquam oxirrhodinum administretur: vbi autem inflammatio talis non fuerit, debilisq; existat affectus, poterit conuenire; quoniam cum in paruis inflammationibus pauca adsit materia, ex repellentibus non imminet periculum illud, quod impendet in ingenti, quæ à copiosiori materia causatur. cuius meritò etiam tale medicamentum à Galeno in moderatis, & debilibus inflammationibus probatur; in cis autem, quæ maioris sunt momenti, ingentesq; existunt, improbatur. Vnde tum in lib. 3. de comp. med. secundum loc. tum in lib. de remed. paratu facil. de oxirrhodino loquens illud in eis inflammationibus laudabat, in quibus nõ adest pulsatilis dolor, ab eis, in quibus adsit, excludens. cum autem talis dolor maiorum, & ingentium inflammationum, vt habetur lib. 2. de loc. affect. cap. ~~primo~~, *tertio.* sit proprium accidens, iubeatur hæc regula, quòd ex Galeni mente in magnis, & notabilibus aurium inflammationibus nequaquam talo medicamentum administretur, sed tantùm debilioribus, quæ potius naturam phlogosis, quàm phlegmonis habent, conueniat. cum enim ob propriam ipsius angustiam meatus auditorius à mole etiã mi-

nima angustietur, paruæ eius phlegmones à tantula materia producuntur: quæ si pauló plus augeatur, maiores pro ratione loci, & ingentes, vbi copiosior extiterit fluxio, generabit inflammationes. Hoc adnotasse volui, ne indicationibus ab affectu ipso desumptis, Medici indiscriminatim ad repellentia in quacunq; aurium inflammatione descendãt: hocq; eò libentius egi; quia in actu practico vidi ex applicatione huiusce medicamenti lenitum quidem fuisse dolorem auris vehementer inflammatæ, attamen postea successisse inflammationẽ partium internarum, sicuti præcipuè in muliere vltra quinquagesimum quintum annum agente factum noui, in qua ex oxirrhodino lenito dolore, & repulsa materia ad interiores cerebri partes, delirium ingens, cõuulsionesq; tales superuenere, vt infra quartam ab oxirrhodini impositione morti succubuerit.

De graui auditu, & surditate. Cap. XXXV.

Antidosius meatus an terminetur ad duram membranam, et neruũ.

STatuit ex Galeni mente auditorium meatum valentissima perferre medicamenta, quamuis non solum vsq; ad cerebri duram membranam pertineat, sed etiam neruũ contingat, qui à cerebro descendit: quæ sententia vera quidem est, quò ad partem primam, scilicet quòd hic meatus perferat vehementissima medicamenta, vt experientia ipsa testatur, sed quò ad secundam, falsa est; quoniam iste meatus non peruenit nec ad duram membranam, nec ad neruum, sed terminatur ad membranam facientem tympanum, quam membranam (eò quod ibi terminatur hic meatus exterior) non pertranseunt medicamenta imposita, quod sicuti ignorauit Galenus, qui auriũ Anatomem perfectè non est assequutus, pariter ignorasse videtur hic Author, qui puram Galeni sententiam sequutus, rei veritatem, quę opera excellentissimorum Anatomicorum nunc patet, non est adeptus.

De dolore dentium. Cap. XXXXI.

DEclarat dentes dolorem pati ex quacunque intemperie: quod dictum verum quidem est, quò ad frigiditatem, & caliditatem, verùm quò ad humiditatem falsum est; quoniam ab humiditate, vt clarè habet Galenus lib. 2. de comp. med. secundũ loc. nullus causatur dolor, sicuti etiã docet Aetius lib. 8. cap. 29. vbi habet, quòd humiditas citra aliã affectionẽ nõ inducit dolorẽ; & ideò nõ videtur, quòd dentes possint dolere ex pura intemperie humida. *Dentes an doleant ex intẽperie humida.*

Ennumerans signa doloris dentium ex intemperie sicca, inquit, ad hanc intemperiem consequi intolerabiles dolores. quod dictum licèt sumpserit ab Aetio, qui hoc transcripsit ex Adamante sophista, tamen difficultatem habet; quoniam, vt pluribus in locis docet Galenus, præcipuè autem lib. 2. de med. secundum loc. in principio. à siccitate moderati, & leues causantur dolores, non autem intolerabiles, sicuti hoc idem experientia docet. *Dentes an sæuos dolores patiantur ex intemperie sicca*

De Catarro. Cap. XXXXIII.

CAtarri à causa frigida curationem exponens inquit, post vniuersalem purgationem deueniẽdum esse ad ea, quæ per os pituitam educunt. quæ sententia videtur suspecta; quoniam hæc materia, quæ generatur in capite, solet per se euacuari, & fluere, ita vt arte non egeamus ad hoc faciendum. præterea si adest Catarrus, & per medicamenta, quæ per os pituitam ducunt, volumus euacuare caput, periculum est, nè hæc materia ad asperam arteriam, vel ad pulmones dilabatur: quod maximè vitandum est, vt docet Gal. lib. 6. Epid. sect. 2. cõmen. 32. Quare si hæc particularis euacuatio est peragenda, potius per nares esset tẽtanda, quàm per os. Et si per os aliquando sit facienda, nõ fiat nisi in hoc casu, videlicet, quando materia est nimis crassa, & adeò vt sibi viam obstruat. *Apophlegmatismi an cõueniant in catarro.*

De Angina. Cap. XXXXVI.

Signa anginæ à sanguine crasso, & pituitoso explicans inquit, quòd tunc paucus est dolor. circa quod aduertendum est, quòd datur Angina etiam à pituita, & tunc potest esse sine dolore, vt declarat Gal. lib. 4. Aph. in fine cōment. 34. vbi habet posse fieri Anginam sine dolore, & hoc quando prouenit ex humiditate pituitosa, madefaciente tunicā gutturis interiorem, vel implēte musculos, ipsum guttur aperientes; ex quo & generatur tumor, & sequitur strāgulatio, quod non est cum dolore. Galenus ibidem declarat posse fieri Anginam, & strangulationem propter siccitatem nimiam musculi interni gutturis. & hanc ait Apho. sequenti 35. cum est cum febre valida, esse periculosiorem ea, quę est cum inflammatione.

Anginā à pituita, & sine dolore dari.

Anginam posse fieri ob nimiam siccitatem musculi interni gutturis.

Curationem tradens, & de sectione venæ sermonē habens, inquit ex Alexandri Tralliani sententia, quòd in mulieribus anginam patientibus, si ipsis suppressæ fuerint purgationes. & in viris, vbi consuetam per hæmorrhoides euacuationem non habeant, secandæ sunt venæ inferiores. quæ sententia non est indiscriminatim accipienda; quoniā in indicatione sectionis venæ attēdendā est anginæ acuties: nam si non sit admodum acuta, nec sit vrgentia, possemus secare venas inferiores: sed vbi angina sit acuta, periculūq; suffocationis ex ea instet, non est incipiendum ab inferioribus venis, licèt sit suppressa aliqua euacuatio; quoniam in simili casu debemus moliri talem euacuationem, quę euacuando totum etiam à loco affecto posit elicere materiā; aliter prius sequeretur suffocatio, quā lenitio morbi ex euacuatione facta ex venis inferioribus, quia ex tali sectiōe materia à læsa parte non educeretur: quæ tamen venæ inferiores, sectis superioribus, poterunt postea ad euocandas naturales, & consuetas euacuationes aperiri.

In angina suppressis mensibus quæ vena secanda sit.

De

De Tusi. Cap. XXXXVII.

IVdicat Author recensendo tussis causas, quòd non tā-tùm ex intemperie frigida, sed etiam ex calida causetur tussis, sicuti habet, inquit ipse, Paulus, & Galenus lib. 6. Epid. sect. 2. commen. 24. Quæ sententia est dubia; quoniam licèt sit imaginabile, quòd omnis intemperies inæqualis, quæcunq; sit, in thorace, eò quod lædat ipsum, possit inducere tussim: attamen non ita experimento hoc comprobatum est; nam in maximis æstibus ita tusses non inuadunt homines, sicuti in maximis frigoribus: immo potius illis temporibus nullas videmus, cum tamen plurimæ adesse deberēt ob aeris circunstantis immoderatam caliditatem. Præterea in febribus ardentibus, vbi ingentissimus est calor, non adsunt tusses istæ ex intemperie calida, sed tantùm quandoq; adsunt, vel communicata materia thoraci ab vniuerso corpore, vel exasperatis faucibus ob siccitatem à febre causatam. Præterea non ità videtur calidum, sicut frigidum, posse causare tussim, eò quòd ita calidum, sicut frigidum, non sit inimicum pectori. Prætera locus ille Galeni adductus non ita clarè loquitur, vt iudicare debeamus ipsum eius fuisse sententię, quòd velit tussim excitari ab intemperie calida; inquit enim, quòd tussis illa posita ab Hippocrate visa est ab ipso in febribus, quæ ab extrinsecis lassitudinibus ortum habuere, & hoc, cum adesset vel gelu, vel æstus, vel puluis tunc, cum æger in lassitudinem illam incidit. quare, inquit, accidit hæc tussis non ex lassitudine illa, sed ex duplici accidente, scilicet vel ex faucium exasperatione, vel ex instrumentorum intemperie. exasperatiò faucium vnde pendeat, declarat, dicens ipsam ex triplici causa iam proposita pendere, scilicet vel ex frigore inducto à gelu, vel à puluere inspirato, vel ab ariditate, quę causata fuit ab aere circunfuso calidiori, adeò quòd velit æstum, & calorem illum inducere tussim, causando siccitatem in faucibus,

Tussis an fiat ex intemperie valida.

cibus, vnde ipsæ exasperantur. Quò ad intemperiem instrumentorum, non ait, quòd pendeat hæc tussis ex hac, vel illa intẽperie, sed tantùm absolutè ait intemperiẽ esse huius causam; quoniã subiungit, & alibi declaratũ est, ex intemperie causari tussim. Quæ verba non possunt indicare tussim causari ex intemperie calida, cum se remittat ad alia loca pro declaratione huius rei, in quibus omnibus semper docuit tantùm causari tussim ex intemperie frigida.

Tussis quomodo causetur ab intemperie sicca.

Declarans quomodo ab intemperie sicca causetur tussis, inquit, quòd tussis non inducitur ab intemperie sicca citra caliditatem, vel frigiditatem; adeò quòd eius est sententiæ, quòd tussis non possit excitari, exsiccatis illis partibus, nisi etiam sint calefactę, vel refrigeratę: quæ sententia non ita veritati consona videtur; quoniam siccitas inducit tussim exasperando, non autem eò quòd partes sint intemperatæ in qualitatibus actiuis, & sicuti ex Galeno datur intemperies sicca temperata in actiuis; pariter possunt exsiccari partes illæ absq; hoc, quòd calefiant, vel refrigerentur. & si prę cedit ad hanc siccitatem vel frigus, vel calor, vt superius loco citato dicebat Galenus, hæc est causa præcedens, non interna. & differt hæc tussis, quæ ex exasperatione ob siccitatem inducitur, ab illa, quæ est ab intemperie, vt etiam ibidem docet Galenus, disiunctiuè loquendo.

Tussis an possit causari à lumbricis.

Enumerans tussis causas ponit ex sententia Alexandri Tralliani causari tussim à lumbricis infestãtibus stomacum; quæ sententia ex diametro opponitur Galeno, qui in loco citato lib. 6. Epid. sect. 2. commen. 24. & superius etiam commen. 17. inquit, hinc non posse excitari tussim. & qui hoc asserunt (subiungit Galenus) non possunt hoc nec ratione, nec experientia comprobare. Quoniam tamen aliqui Practicantes hoc contra Galenum asserunt, dicentes experientia hoc ipsos obseruasse, ego pro Galeno, & pro veritate dixerim, quòd licèt in pueris à lumbricis patientibus viderint aliquandò tussim, non tamen necessariò est conclu-

dendum

dendum, quòd à lumbricis tuſſis illa dependeat; quoniam, vt dixit Galenus, ratione demonſtrare non poſſumus, quomodo hi lumbrici poſsint excitare tuſſim, cum hi in partibus naturalibus, non ſpiritualibus detineantur. prætereà illud non iudicat hoc ab illis prouenire; quoniam poteſt cum vermibus coniungi diſtillatio, vel alia quędam cauſa apta ad excitandam tuſsim, quæ nõ cognita ab ipſis fuit in cauſa, vt iudicarent hanc tuſſim pendere ex vermibus.

De difficultate ſpirandi. Cap. XXXXVIII.

CAuſę duæ Aſthmatis ex mente Galeni aſsignantur, ſcilicet obturatio vel à craſsis, & lentis humoribus, vel à tuberculo. Notum tamen ſit etiam Aſthma nonnunquã fieri à ſiccitate pulmonis, ſicuti notauit Auic. cui, vtpote ei, qui hanc materiam clarius dilucidauit, in hoc eſt magis, quàm Galęno, tribuendum. Et hoc Aſthma non ſine ratione videtur fieri, cũ ex nimia ſiccitate ita in propria ſubſtãtia poſsit pulmo deprauari, vt nec dilatationi, nec cõſtrictioni facilis, ac promptus ſit, vnde anhelitus magna, ac ingẽs ſequitur difficultas. Tale autẽ Aſthma teſtor ego me vidiſſe in iuuene vigeſimũ ſecũdũ annũ agẽte, qui ſolũ ex ptiſana, & lactis potu, ac victus ratione leniẽti, & humida ſanatus eſt.

Aſthma fieri etiam à ſiccitate pulmonis.

Curationem Aſthmatis à craſsis humoribus pẽdẽtis tradens, iubet exhibendum eſſe aliquando vinum auſterum, tenue tamen. quod dictum videtur ſuſpectum; quoniam talia vina adſtringunt, & ſunt inimica affectionibus pectoris, & maximè vbi à materia viæ pulmonis, ſicuti præcipuè in aſthmate, & orthopnęa contingit, clauduntur, & obſtruũtur, quemadmodum docet Gal. lib. 3. reg. acut. tex. 7.

Vinum auſterum an conueniat in orthopnæa.

Topica medicamenta exponens, inquit, adhibendas eſſe inunctiones calefacientes, quæ ſententia eſt diminuta, ſicuti etiam medicamentum ab eo propoſitum, quoniã nõ declarat, nec apponit ea calida, quæ conueniunt, iſta autem eſſe debent attenuantia, & attrahentia. Vnde antiqui

Vnctiones in orthopnæa quales parari debeant.

capie-

capiebant succum scyllæ, fecẽ vini, ærugines, & consimilia, addendo etiam alia calidiora, & his ego cum maximo successu continuè vtor.

Dum curationem dispnææ ex crudo tuberculo docet, inquit similia medicamenta, & similẽ victus rationem ei, quæ adhibetur in dispnæa ex crassis humoribus, esse adhibendam: quæ sententia ex toto est opposita Galeno lib. 7. de comp. med. secundum loc. cap. vltimo. vbi docet aliã, & diuersam hic requiri curationem; quoniam in hac conueniunt calidiora, & exsiccãtiã, & parcitas potus, & alia, quę non conueniunt in illa affectione, quemadmodum ibi clarè habet Galenus. Quod autem adducit ipse de historia Antipatri lib. 4. de loc. affect. Aduertatur, quòd Galenus nunquam affirmat eius affectionem pendere ex tuberculo, sed potius ex crassis humoribus in leuibus arterijs collectis, ex quibus postea auctis potuit succedere dispnæa, cum pertingerent vsque ad arterias asperas, ipsasq; obstruerent. Quare casus Antipatri non à tuberculo, sed à crassis humorib. vias pulmonũ obstruentibus pendens non curatione tumoris crudi, sed humorum crassorum tractari debuerat.

Orthopnæa ex crudis succis, et ex tuberculo an eadẽ curatione sit curanda.

De cruenta spuitione. Cap. XXXXIX.

TRadens signa sanguinis à pulmone reiecti, inquit, huius signum esse, si sanguis fuerit spumosus, iuxta Galeni sententiam lib. 4. de loc. affect. & lib. 5. Metho. Aduertatur tamen; quòd licèt spumosus sanguis sit indicium vlcerati pulmonis, non tamen semper à pulmone reijcitur spumosus, sed tantùm cum eius pars carnosa vlcerata est. si enim exterior tantùm pars vlcus patiatur, non erit spumosus sanguis, vt docet Gal. lib. 5. Apho. commen. 13. Quare vlcerati pulmonis non erit proprium, ac inseparabile signum spumosus sanguis; quoniam ab eodem potest non spumosus prodire.

Pulmonis vlcerati an sit signum inseparabile sãguis spumosus.

Vbi ex pulmone, ac internis spirituum organis reijcitur

sanguis,

sanguis, docet Author pectori irrigationem adhibendam esse ex vino adstringenti, & oleo rosaceo, vel mirtino, multaq; ex Paulo, & Aetio consimilia ad eandem intentionẽ recenset pharmaca; Non videntur tamen ex Galeno talia conuenire medicamenta, qui adstringentia in tali casu extrinsecus thoraci apposita in libro de constitutione artis damnabat, tum quia eorum facultas in pulmonem non penetrat, tum quia hæc sanguinẽ, qui in thorace est, ad viscus compellant. Quod idem videtur docuisse lib. 5. Metho. cap. 6. habens hæc verba. At verò, quę extrinsecus profluẽti particulæ admouentur tum adstringentia, tum sine adstrictione frigida, hæc ipse (veluti plerique Medicorum) non vbique probo, sed mihi omninò, quàm fieri res postulat, ipsum sanguinem intrò compellere, ac venas, quæ in alto eunt, complere videntur. Quod tamen postea vel deriuata, vel reuulsa fluxione tutò poterit fieri, non autem in initio his nondum factis.

In sputo sanguinis an conueniant refrigerantia, & adstringentia thoraci apposita.

De Pleuritide. Cap. L.

DIsputans de sectione venę in pleuritide facienda, inquit, semper secandam esse venam lateris patientis, vnico hoc excepto casu, scilicet, quandò sola tentanda est reuulsio, & non euacuatio à parte affecta; sola autem tentanda erit reuulsio, quando ex sententia Galeni, ait ipse, lib. de sang. miss. cap. 14. non est expectanda coloris sanguinis mutatio, quę in duobus casibus non est attendenda, scilicet, vel quando vires sunt debiles, vel quando adeò praua est inflammatio, vt nihil ab ea emittatur; cum autẽ hoc contingit, si fluxio valenter irruat, aut adsit plenitudo, tunc, inquit, est secanda vena non eiusdem, sed oppositi lateris, maximè autem viribus existentibus imbecillibus. Hæc sententia nec Galeno, nec rationi consonat, Galenus.n. vbiq; declarat secandam venam esse lateris patientis, non autem oppositi, & hoc nõ tantum, vbi expectanda est coloris mutatio,

In pleuritide an aliquando sit secanda vena oppositi lateris.

tatio, ſed etiam vbi non eſt expectanda, & non ſolum vbi vires ſunt validæ, ſed etiam vbi ſunt debiles. Quòd hoc ſit verũ, apparet ex Galeni ſententia ab ipſo adducta cap. 14. lib. 1. de ſang. miſſ. nam clarum eſt, quòd ipſe exponens ſententiam Hippocratis de ſectione venæ vſque ad mutationem coloris, intelligat de vena ſecanda ſecundùm Hippocratem, quæ ab ipſo limitata eſt lib. 4. reg. acut. 73. quòd ſcilicet eſt ſecanda vena eiuſdem lateris; declarans igitur hanc ſententiam inquit, ſecanda eſt vena interna lateris patientis, & ſemper expectanda eſt coloris mutatio, prӕterquàm in duobus caſibus; quorum alterum eſt, vbi vires ſunt debiles; quoniam tunc non poſſumus copioſè educere, & hoc, quia vires non ferrent; alterum eſt, vbi praua eſt inflammatio, in qua adeò materia eſt impacta, vt nihil ab ea emittatur; & quoniam tunc tanta requireretur ſanguinis euacuatio pro mutatione coloris, vt vires ferre nõ poſſent, eò quòd maxima quantitas eſſet educenda, ſi vellemus videre coloris mutationem, ideò vbi vires ſunt debiles, vel praua eſt inflammatio, ſecanda quidem eſt vena interna eiuſdem lateris, non tamen eſt expectanda coloris mutatio, inquit Galenus. Hoc idem poſſumus habere ex Galeno lib. ſecundo reg. acut. 10. vbi loquens de ſectione venæ in pleuritide, dicebat ex Hippocrate ſecandam eſſe internam, & maximè ſi coſtæ ſuperiores patiantur, quæ interna debet eſſe eiuſdem lateris, vt ex eodem patet lib. quarto eiuſdem commen. 73. & hæc erit vena, dicit eodem. 10. quę poteſt magis, & velocius tum reuellere, tum euacuare. Et hic aduertatur, quòd Galenus loquitur disiunctiuè, non coniunctiuè; dicit enim, quòd hæc vena poteſt magis, quàm aliæ, & velocius tum à parte affecta reuellere, tum etiam euacuare; non autem dixit, quòd poſsit magis, quàm aliæ, reuellere, & euacuare ſimul, vt eius ſit ſententiæ, quòd reuulſio, & euacuatio coniunctim factæ magis, & velocius perficiantur per hanc venã, quàm per

per quamcunq; aliam viam;sed disiunctiuè loquēdo innuit hanc sententiam, scilicet,quòd siue velis reuellere,siue euacuare, magis,& velocius euacuamus, & similiter magis, & velocius reuellimus à parte affecta per hanc, quàm per quãcunque aliam venam. Cum igitur reuulsio per hanc venã sit commodissima; ergo hæc vena etiam pro sola reuulsione erit secanda. Quòd si adsit plenitudo, & vires sint debiles, nec etiam hæc reuulsio per aliam viam est tentanda, quod idem videtur innuere Gal. eodem commen. nam supponens se loqui de hac sectione, vbi est plenitudo, dicebat. Quod sanè interna cubiti vena facit,multóq; magis,vbi sanguinis redundantia ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectæ sunt, nempè in eo malo tũ brachium, tum mama grauari solent,&c. postea declarans quantitatem sanguinis educendam, dicebat terminum esse coloris mutationem, sed subiungit postea.Si virtus tantam non tolerat euacuationem, vt coloris mutatio non sit expectanda, sciendum est hanc sectionem auxilium minus ferre inflammationi ipsi;quoniam melius est non exoluere vires, quàm sanguinem redundantem euacuare. Quæ sententia Galeni est consideranda; quoniam per hanc cognoscimus, quòd semper eadem vena est secãda in pleuritide,siue sint vires validæ, siue non,siue adsit plenitudo, siue non; quoniam Galenus loquitur semper de eadem vena. & si diuersa intelligenda esset, maxima dignus esset nota Galenus, qui hãc nõ distinxisset, sed semper de eadem sit loquutus: sed quoniam Author hic pro se citat locum Galeni lib. de sang. miss. cap. 16. vbi habetur hæc sententia.Quin & pleuriticis,quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio,&c. Sciendum,quòd ipse extorquet verba Galeni, nec ad mentem ipsius eius sententiam interpretatur; inquit enim,quòd Galenus vsus est verbo illo, sæpè; quoniam vult non semper obseruandum esse hoc præceptum, quòd vena eiusdem lateris sit secanda in pleuritide; & cum

hoc non sit semper obseruandum, ideò inquit secandam esse aliquandò venam oppositi lateris ex Galeni præcepto, licèt non tantam, nec ita celerem, sicuti illa facit, afferat vtilitatem, & hoc, inquit, est in casibus prædictis, scilicet, quando vires sunt debiles. Sed mirum est, quantum hic Author ausus sit extorquere verba Galeni, qui ex professo in illo cap. 16. & in superiori is non aliud conatur docere, quàm faciendam esse euacuationem per directum, at ex eodẽ latere, & hoc exemplificat in pluribus, docens euacuationẽ sanguinis ex opposito latere factam, damnandam esse, & cum deuenit ad exemplum pleuritidis, nil aliud facit, nec aliud intendit docere, quàm euacuationem sanguinis ex latere patiente esse laudabilem, & vtilem, ex opposito autẽ non ita nec laudabilem, nec vtilem, & ideò illam esse eligendam, hanc autem prętermittendam, sicuti docuit in aliis exemplis. Quò ad illud autem verbum, sæpè, super quod fundat se Author, mirum est, cum clarè loquatur Galenus, quòd ipse sibi fingat res prę̀ter Galeni intentionem: nam sciendum est, quòd Galenus vsus est verbo illo, sæpè, propter ea verba, quibus vsus fuerat superius cap. 14. dũ dixit, nõ esse expectandã coloris mutationẽ, quãdo vires nõ sunt debiles, vel quãdo praua est inflãmatio. ex qua parca, & diminuta euacuatione cũ nõ ita clara vtilitas, & minus auxilij, quàm ex illa, in qua habetur coloris mutatio, sequatur, ideò vsus est Galenus verbo illo, sæpè, dicens, quòd sectio venæ ex eodem latere clarissimam vtilitatem affert sæpe, & nõ semper; quia aliquando ex eodem latere sumus coacti facere diminutam, & non sufficientem sanguinis euacuationem, & hoc, vel quando vires sunt debiles, vel quando praua adeò est inflammatio, vt impacta in ea materia nullo modo effiltratur. Et tunc illa clarissima vtilitas non sequitur, quam habemus tunc temporis, quando possumus vsque ad sanguinis mutationem euacuare; & ideò illud, sæpe, non est positum à Galeno, eò quòd laudet aliquando

Sanguinis euacuationes per directum esse faciendas.

sectionem in oppoſito latere, ſed propter prędictas cauſas iam ab eo aſsignatas ſuperiori capitulo. Et ſi Galenus dixerit, quòd vena oppoſiti lateris ſecta iuuat, ſed obſcurè, vel certè poſt temporis interuallum, non eſt, quòd ipſam laudet, ſed potius vituperet; qm̃ ſi ſecanda eſt vena oppoſiti lateris, vel vires ſunt debiles, vel nõ: ſi non ſunt debiles, clarũ eſt, ꝙ potius ſecanda eſt vena lateris patiẽtis. ſi autẽ debiles, diminuta faciẽda eſt ſectio: at quę clara vtilitas ex hoc ſequitur? obſcurã dices, ſed quare erit præferenda ſectioni eiuſdẽ lateris? nulla alia ratiõe potes dicere, quã propter reuulſionẽ, ſed iã ex Galeno habemus, quòd reuulſiones sũt faciendæ per venas eiuſdẽ lateris, illo cap. 15. præterea habemus com. 10. lib. 2 reg. acut. quòd cõmodiſsimè per hãc venã poſſumus reuellere, igitur potius erit ſecãda vena eiuſdem, quã oppoſiti lateris. Sed dices, ſubiũgit Galenus, quòd ſectio ex oppoſito latere clarã poſt tẽporis interuallũ affert vtilitatem. Pro hoc animaduertas, quòd hoc eſt fundamentũ Galeni, per quod reijcitur hæc ſectio; qm̃ in morbis acutis velox, & celere auxiliũ requiritur. in his.n. tardare ẽ malũ, quare cũ hæc ſectio in oppoſito latere, vult dicere Galenus, ſi clarã affert vtilitatẽ, tardè hoc agit, ideò prætermittatur. Nec mirum eſt, quòd ſectio oppoſiti lateris poſſit etiam prodeſſe in morbo iſto; quoniam euacuationes ſanguinis, quęcunque ſint, fiunt ab vniuerſo corpore, non tamen hoc æquè fit ab omni vena, ſed ab illa velocius, & ſecurius; ab hac tardius, & cum maiori periculo, vt docet Galenus lib. 2. reg. acut. commen. 10. dum dicit. Verum & cum ea interdum non apparere poſſit, humeraria apparente, ſeca humerariam, qui ſcilicet euacuationes ab vniuerſo animalium corpore fieri noueris, quamquam neque velociter, neque ſimiliter ex vena omni fiant, &c. Et ideò cũ adſit hæc differentia, artifex melius debet eligere, & potiorem venam præferre. Et cum hoc ſit in pleuritide de venis, ſcilicet quòd venæ eiuſdem lateris ſectæ celerius, &

Sectio venæ eiuſdem lateris in pleuriti de quia preferẽda ſectioni oppoſiti lateris.

Sectio oppoſiti lateris q̃re iuuare poſsit.

magis prosint, quàm oppositę, secandę sunt à medico illę, non autem istę, vt pote qui & celeriter, & securè mederi debet, & hæc quò ad Galenum. Quò ad rationem autē, clarum est ex Galeno lib. de sang. miss. cap. 15. reuulsionē esse faciendam ex eodem latere, & per directum: sed casus, in quo Author iudicat esse secandam venam oppositi lateris, est, quando sola facienda est reuulsio; igitur in hoc casu est secanda vena eiusdem, & non oppositi lateris. si enim aliter fieret, reuulsio nec ex eodem latere, nec per directū, vt est mens Galeni, fieret. Quòd si dicas, vt ipse inquit, si velis reuellere per sectionem eiusdem lateris, diminutam venæ sectionem faciendo, magis attrahes ad locum affectū, quàm ab ipso reuellas. Ego dico hoc falsum esse; quoniā fluente sanguine per venas ad ipsam pleuram, secta vena in brachio eiusdem lateris reuellet ab ipsa pleura, & fluxum ipsum retrahet: educto enim sanguine per venam illam, sanguis, qui fluxurus erat, necessariò succedit euacuationi, & hoc necessariò fit, nè detur vacuum, quod maximè prodest ex eodem latere; quoniam licèt in ambitu totius sit plenitudo, tamen maior est consensus dextrarum partium, & venarum cum dextris partibus, & venis; & sinistrarum cum sinistris, quàm dextrarum cum sinistris, vel sinistrarum cum dextris. & ideò cum adsit iste consensus maximus, à dextris fluit materia ad dextras partes, & à sinistris ad sinistras, qui fluxus maximè coercetur per sectionem venarum eiusdem lateris, quod erat fundamentum, propter quod laudauit Galenus, & iussit faciendam esse reuulsionē per venas eiusdem lateris, & per directum: quod etiam comprobatur ab ipso in euacuationibus à natura procuratis, vt in fluxu sanguinis narium declarat; quoniam scilicet per venas eiusdem lateris fluit materia ad partes eiusdem lateris, ex qua postea inflammantur, & quomodolibet afficiuntur. Cum autem, dicit Author, quòd hæc reuulsio ex eodem latere magis attrahit ad locum affectum, quàm reuellat, falsum

An facta diminuta sectione in eodem latere attrahatur materia ad locum affectum.

sum dicit; quoniam in hoc supponitur, quòd ad reuulsionem istam consequatur motus vniuersi sanguinis ad locum affectum: quod falsum est; quoniam non commouetur sanguis, nisi ad locum euacuatum, nè detur vacuum; euacuantur autē venæ in ista reuulsione extrinsecæ, & non illę, quæ sunt in loco affecto; igitur ad illas commouetur sanguis, & non ad istas. qua de re propter hanc sectionē non attrahitur sanguis ab vniuerso corpore ad locum affectum: immo cum sit iste consensus dextrarum venarum cum dextris, & sinistrarum cum sinistris, iudicandum est, quòd maximè proficua sit hæc venæ sectio pro reuulsione facta in eodem latere; quoniam secta vena eiusdem lateris, & educto sanguine, sanguis ille, qui succedit loco euacuato, nè detur vacuum, fluit à venis, quæ sunt eiusdem lateris, cum ab his fluat sanguis ad locum affectum ad inflammationem causandam; igitur hæc sectio facta in eodem latere maximè prodest pro reuulsione facienda, & eò maximè, quòd istæ venæ, licèt omnes dextræ cū dextris, & sinistris consentiant, maximā habent cōmunionem cū locis affectis, & cum venis, in quibus continetur materia fluens, & proxima loco affecto. Quare cōcludendū erit, quòd licèt aliquā do in pleuritide sit facienda venæ sectio pro reuulsione tantùm, tamen semper est secanda vena eiusdem lateris, siue sit euacuandū, & reuellendū simul, siue sit tantùm reuellendū.

De Peripneumonia. Cap. LI.

CVram peripneumoniæ tradens iubet ex Aetio potū exiguum, eò quòd humiditas sit noxia pulmoni, exhibendum esse. quæ sentētia videtur dubia ob dicta Hippocratis, nam ipse Hppo. lib. primo de Morbis in fine, docēs huius morbi curam, inquit, quòd debent ægrotantes pocula haurire, quibus pulmo madescat: ex quibus verbis clarè possumus elicere, quòd debent multum bibere. quod idem confirmat volumine secundo eiusdem libri in medio, po- *In peripneumonia an potus debeat esse exiguus, vel copiosus.*

nens huiusce etiam morbi curationem; inquit enim primis diebus vinum dulce album dilutum crebrò propinatum: per illud autem verbum, crebrò, clarè innuit potum debere esse copiosum, quod idem etiam videtur attestari ratio, nam in peripneumonia,& maximè vbi superabundat bilis, & sanguis calidior, succescit pulmo: quæ affectio videtur indicare humectationem, humectatio autem maximè potest adhiberi per plurimum potum. Hæc res tamen potest esse dubia, tum ob dictum Aetij, tum etiam ob dictũ Galeni lib.7.de comp.med. secundum loc. cap.de orthopnœa; vbi habetur, quòd in ijs, qui alicubi abscessum habent, pauci tas potus conuenit, Nisi forsan per abscessum ibi non intelligat affectus inflammatorios, qualis est peripneumonia, cum clarè loquatur de tuberculis, pendentibus ab humoribus frigidis, non autem de ijs, quę inflammationẽ faciunt.

Curationem peripneumoniæ tradens, postquam secandam esse venam ab initio morbi docuerat, subiungit. At si quid venæ sectionem prohibuerit, cucurbitulas thoraci admouere oportet, ac lateribus has defigere, quibus tantũ sanguinis elicietur, quantum vires ferunt, vt Paulus refert. At non modò difficillimum est imaginari, non præeuacuata multitudine, nec imminuta materia, attrahentia circa locũ affectum administrata iuuare posse; sed certò asserendum est, talia, attrahendo ab vniuerso corpore ad locum affectũ plurimam lęsionem illatura esse. qua de re omninò à tali remedio in principio abstinendum esse censeo. Nec quempiam authoritas Pauli vrgeat, cum Galenus lib. 11. Metho. cap.17. in fine hanc rem clarè docuerit. in quo loco de pulmonis inflammatione loquens hæc verba habebat. Itaque etiã cucurbitula vtiliter ijs, qui sic laborant, si prius sint vacuati, applicabitur. Si verò abundantia succorum (quàm Græci plethoram vocãt) in his sit, non magis ex pulmone in pectus aliquid excrementi transfert, quàm ex toto corpore attrahet in vtrumq;. Quapropter, nulla præmissa

euacua-

euacuatione nunquam cucurbitulæ circa thoracem applicãdæ erunt, & maximè in principio morbi. ſicuti etiam clarè docebit Gal. lib. 13. Metho.cap.19. per hæc verba. Verum vtendum cucurbita in ipſa parte, quę phlegmone vrgetur, inter initia non eſt, imò poſteaquam totum corpus euacuaueris. Hoc idem monuerat lib. 2. ad Glauc. in cura inflammationis, vbi docuerat talia remediorum genera ſolum conuenire, vbi totum corpus ſufficienter fuerit expurgatum, neque iam amplius aliquid influat.

Topica medicamenta thoraci adminiſtranda docens, monet ea, quæ digerendi, ac diſcutiendi vim habeant, applicanda eſſe, indeq; multa laxantia proponit. Attamen ex Galeno erat etiam monendum in huiuſcemodi remedijs acrium aliquid, & euidenter calefacientium admiſcendum eſſe ad euocandam materiam ab internis partibus ad exteriores. in qua materiei tranſmutatione Hippo. lib. primo de morbis. agẽs ad pulmonis eryſipelate maximam habebat ſalutis peripneumonicorum confidentiam. ad quam eandem intentionem talia medicamenta probabat Gal. lib. 11. Metho. cap. 17. hæc verba habens. At longè quidem magis in pulmonis phlegmone abſtinendum ab adſtringentib us eſt, quando in eo ipſis quoque relaxantibus admiſcendum aliquid acriũ quodãmodo, & euidenter calefacientiũ eſt. quippe foras trahere potius. quã reprimere debemus. Quod idem docuerat lib. 2. ad Glauc. in cura inflammationis, vbi hæc verba habebat. Hęc igitur quæcunq; in pulmonis inflammationibus extrinſecus thoraci applicantur medicamenta, valde fortiora, atque acriora natura ſunt, quàm ſi ipſa membro patienti apponerentur.

De Empymate. Cap. LII.

MVlta tranſcribit ad educendũ pus ex thorace ipſo; quibus tñ non cõferẽtibus, docet, quid agendũ ſit, cum hoc ex Hippocrate declarandum eſſet, qui monuit, vbi *Empyma non conferẽtib. medicamẽtis quo modo curand.*

 pus

pus in cauitate thoracis contineatur, educiq; non queat, deueniendum esse vel ad sectionem, vel ad vstionem, vt habetur lib. 2. de passionibus ab eodem Hippocrate, cuius etiam meminit lib. 7. Apho. 45. hanc actionem aliquando cogitur inire Medicus, ni velit ægrotantem à pure confici, & suffocari. sectionem autem in audacibus præferat; causticum autem in his, qui sectionem non admittunt, administret.

Lac in empymate an exhibẽdum.

Ex Alexandro proponit, vbi diuturnior fuerit affectus, & puris pauca quantitas in thorace contineatur, febrilisq; calor moderatior euaserit, lac exhibendum esse. In quo hoc aduertatur, quòd hoc stante non amplius sumus in casu Empymatis curandi, sed in casu tabis, & phtisis instantis: nam vbi diutius perseuerat Empyma, ad tabem transeunt ægri, & tunc febris refert tantùm hecticæ speciem, & puris quãtitas minor est. Vnde dicebat Hippo. lib. 5. Aph. 15. quòd ij, qui à laterali morbo suppurantur, si in quadraginta diebus, à qua fit eruptio, non purgantur, ad tabem transeunt; & ideò casus iste non est Empymatis, sed tabis, in qua lactis potus, non autem in Empymate cõuenit.

De palpitatione Cordis. Cap. LIIII.

Palpitationis cordis causæ.

DAmnat Arabes, & modernos, qui arbitrantur palpitationem posse gigni ab alia causa, quàm à frigiditate contra Galeni principia. In qua re longè fallitur Author, existimans viros hos iudicare veram cordis palpitationem gigni posse ab intemperie calida; quoniam hoc ipsi non asserunt, sed cum ijdem agunt de palpitatione, vel de tremore cordis, sub hoc capite comprehendunt omnes motus deprauatos ipsius cordis, qui motus sunt in quadruplici differẽtia; alij. n. sunt parui, & tremuli, alij similes ipsi palpitationi. Vnde hi melius distinguentes, quã Author, dixerunt motus hos posse causari ex diuersis causis, inter quas enumerarunt intemperiem calidam, sicuti aliquando contin-

git, vbi est motus ille tremulus, & paruus, & inæqualis cordis, non autem dixerunt, quòd vera cordis palpitatio ab alia generetur causa, quàm à frigiditate, sed hoc consentientes, & verè iudicantes declarauerunt etiam alios cordis motus præter naturam à diuersis causis ortum trahere posse, inter quas non tantùm est frigiditas, sed etiam caliditas, humores vel multi, vel acres, spirituum paucitas, & consimiles causæ, quæ pro diuersitate earum diuersos in corde inducunt motus, & symptomata; quare & pro his etiam diuersa requiritur curatio, prout & diuersæ sunt causæ.

Statuit hunc affectum quodammodo ad vnitatis solutionem consequi, cum materia inter duo corpora sibi acquisititium moliatur ventrem. Quæ sententia non est simpliciter recipienda; quoniam ab vnitatis solutione sequitur dolor, qui tamen palpitationi nequaquam necessariò connectitur, nec in ea vlla fit continui solutio, sed fit tantùm dilatatio membri, recurrente spiritu flatuoso per poros, & meatus naturales partis palpitantis: quo ingrediente attollitur, & quo exploso constringitur membrum, & ita nulla est cōtinuitatis solutio.

In palpitatione cordis an fit solutio continui.

Exponens ex Galeni mente causam veræ palpitationis, explicat tantùm causam per se, & primariam in corde existentem. At hic aduertatur vnum, quod maximè ad rectā curandi rationem facturum est, Videlicet, quòd cordis palpitatio non semper fit eo primariò, & per se affecto; nam aliquando generatur hæc passio per consensum ab inferioribus partibus; Vnde ab vtero, à liene, à pancrea, & à cæteris hypochondriorum partibus potest trāsmitti ad ipsum cor materia, aut vapor, cuius ratione subsequatur palpitatio, & tunc in curatione incumbendum est non tantùm cordi, nè ita facilè afficiatur, sed etiam parti primariò affectæ, vt inde materia ad cor non transmittatur, aliàs incassum omnis curatio administraretur.

Palpitationē cordis nō semper fieri, corde primariò affecto.

Recensens palpitationis causas ex Galeno, addit palpitationem cordis fieri etiã ex aliquo tumore in pericardio existente, vel humore in eo contento, qualem pustulæ, quas hydatidas vocant, continent, et hoc ait ex mente Galeni: Quod nequaquam verum est, cum hæc proponat Galenus, vt legenti patere potest, nô tanquam palpitationis causas, sed tanquam experimenta, quibus persuaderi posit, in pericardio nonnunquam tantum cumulari humoris præter naturam, vt inde cor lædatur.

Palpitatio cordis an fieri possit ex tumore in pericardio existente.

Curationem tradens monet secandam esse venam internam dextri cubiti, si totius corporis plenitudo adsit, ea autem non existente, sinistri. Hæc diuersitas nulla ratione fulciri potest; Quoniam si è directo loci patientis vena secanda est, sinistra hæc erit, nunquam autem dextra. Quòd si adsit plenitudo, nulla tamen ab hac desumi potest indicatio, cuius ratione in opposito latere vena secanda sit; quoniam hoc stante in pletoria non è directo loci patientis, sed ex opposito esset mittendus sanguis, cuius tamen oppositum semper docuit Galenus; quare semper in affectibus cordis secetur vena interna sinistri cubiti: quòd si nonnunquã in hisce affectibus adsit pletoria, non immutetur intentio hæc, sed hoc seruetur, videlicet, quòd præsente plenitudine copiosius mittatur sanguis, quàm fieri ea absente debeat.

In palpitationibus quæ vena secanda.

De Lactis defectu. Cap. LVI.

Censet hunc affectum esse symptoma in genere retentorum immodicè. At hoc non ita veritati consonare videtur. nam symptomata in retentione excernendorũ supponunt excrementa generata: at in casu isto, cum lac nô sit genitum, & hinc deficiat, quomodo potest dici symptoma in genere retentorum immodicè? certè hoc vanum est. At referendus est hic affectus vel ad virtutẽ mãmarũ attractricem, vel alteratricẽ læsam, & tunc erit symptoma, vel

Lactis defectus an sit symptoma in genere retentorum immodicè.

ad defectũ materiæ, vel quia debita materia aliò conuertatur, & tunc non morbum, sed aliud symptoma cõsequitur.

Laudat ex Hippocrate ad lac multiplicandum, eo deficiente, Viticis fructum, & betæ succum potatum. In qua re aduerto Authorem consuetum esse indiscriminatim plura ab alijs transcribere medicamenta ad morbos facientia. Quare cum ea indistinctè proponat, examinet Medicus, in quo casu conueniant; Viticis enim fructus, qui est siccus in tertio gradu, vt habetur lib. de Alimentis, & quæ huiusce sunt ordinis, quoniam nimis siccant, cum talia, vt habetur lib. 5. de simpl. Med. cap. 21. non conueniant ad generationem lactis, non possunt lac procreare, immo ipsum extinguere, sicuti & disperdere semen apta sunt, nisi forsan exhibeantur in casu sanguinis pituitosi, & humidioris, quare hoc sit pro exemplo aliorum medicamentorum ab eo sine discrimine propositorum.

Viticis fruct. et betæ succus an faciant ad generationẽ lactis.

De lacte in Casei speciem, seu grumis conuerso. Cap. LVIII.

CEnset ambos hosce morbos in numero, seu magnitudine dici posse, cum in quantitate comprehendãtur, atque in excessu eiusdem. In qua re hoc aduerto, quòd lactis coagulatio non potest dici morbus; quoniam contenta in affectibus præter naturam non concurrunt, nisi vt morborum causæ, non autem vt morbi; morbi enim sunt affectus partium corporis: vnde si lac in mammis coaguletur, non potest dici morbus. Si autem consideretur lac concretum, quatenus est in mammis, nec potest dici morbus in numero, nec in magnitudine. non in numero; quoniam morbi in numero dicuntur tantùm illi, in quibus vel pars naturalis, vel præter naturã supercreuerit, quæ supercrescens aggeneratur, & parti naturali vnitur. Quapropter in vtroque casu requiritur, vt docet Gal. lib. de caus. morb. cap. 8. virtus valida, aliàs nec natura formare, nec quod vitiatũ est, augere posset, quod idem requiritur, quãdo id, quod

Morbi in numero qui sint.

quod inutile est, abijcit, vt in ganglijs, miliceridis, steatomatibus, & atheromatibus, in quibus etiam, licèt sit res præter naturam, tamen fortis requiritur virtus, tum vt excernat prauam materiam, tum vt illam formet, & aggeneret. In lactis autem coagulatione nihil horum reperitur, primò non adest virtus potens regere lac ipsum; quoniam si hoc esset, lac non concresceret; præterea lac ipsum parti naturali nec aggeneratur, nec vnitur, sed tantùm in cauitatibus mammarum, eiusq; conceptaculis continetur. Quade re non erit morbus in numero, nec etiam erit in magnitudine; quoniam mammæ, concreto lacte in propria substātia, non augentur, sed in eis tantùm materia concreta continetur, & ideò non est peccatum in magnitudine, & eò magis, cum mā̄marum magnitudo nō sit morbus, aliàs in puerperis, in quibus mammæ in magnitudinem eximiam extenduntur, esset hic morbus familiaris, & proprius: quod falsum est, cum magnitudo illa sit secundum naturam, & non præter naturam; præterea sæpius in mammis etiam minoribus, & in quibus non multum lactis abundat, concretio ista fit, quo casu mammæ in magnitudinem non attolluntur, & ideò nec dici potest morbus in magnitudine, sed lac coagulatum erit tantùm causa morbi, tum cauitatem explēdo (& hic morbus pertinet ad morbos in formatione) tum quia hinc lac alienam adeptus qualitatem, mammas ipsas interimperie, & qualitate propria lędit.

Lac caseari, et in grumos concrescere, an sit idem.

Nititur docere ex Galeni mēte aliud esse, lac in casei speciem coagulari, & aliud esse in grumos concrescere; opinaturq; hęc duo diuersa esse inter se, & ab oppositis generari causis, cum sentiat lac in casei speciem ab intensa tantùm coagulari caliditate, in grumos autem concrescere à sola frigiditate, quod exemplo sanguinis ostendit. Quæ sententia nequaquam recipiatur, cum lac in casei speciem, vel in grumos concrescere sit idem, sub diuersis tamen nominib. prolatum. Hæc autem lactis concretio nil aliud est, nisi ipsius

fius lactis coagulatio, quæ fit, dũ separata ichorosa, & cerosa lactis parte, pars eiusdẽ crassior cõtrescit, & coagulatur: q̃ pars crassior cõcreta, & coagulata, siue dicatur in casei speciem, siue in grumos conuersa, nil refert; quoniam hoc re idem est, licet nomine differat: Et quò ad nomina cũ coagulatur, propriè dicitur lac in casei speciem concrescere; quoniam ex lacte concreto propriè caseus generatur; dicitur autem impropriè in grumos conuerti, transumpto nomine à sanguine extrauenato, cuius proprium est, non autẽ lactis, cui concretio in grumos non conuenit, extra propria vasa in grumos permutari.

Perpendens autem omnia eius dicta, quæ ad eius comprobandã sententiam faciunt, dum ait, ab immediata mammarum caliditate lac in casei speciem conuerti hac exsiccãte, & secernente id, quod tenue, & serosum in ipso consistit, ab immodica autem earundem frigiditate lac in grumos conuerti, eadem adstringente, & cogente vniuersam lactis substantiam; animaduerto Authorem quò ad primam partem veritatem asserere; quò ad secundam non ita, dum iudicat vniuersam lactis substantiam à frigiditate in grumos cõuerti; quoniam grumus propriè fit, dum euaporante spiritu, & separata serosa parte, sanguinis propria, & crassior substantia concrescit. quod nõ est vniuersam sanguinis substantiam adstringi, & cogi: quod idem assero de lacte; quoniam coagulari hoc nequit, admixta eius parte serosa, aliàs hæc coagulatio non esset in grumos concretio, sed esset ipsius lactis congelatio, & glatiatio, quæ in viuente animali imaginabilis non est.

Lac an in mãmis caseetur ab immoderata caliditate.

Imaginatus quidem est Auicenna caseari lac, & à caliditate, & à frigiditate; caliditate quidem exsiccante, frigiditate autem congelante, attamen rem eandem per caseationem, non autem diuersam intellexit, scilicet vt lac modò in casei speciem, modò in grumos differenter concrescat. An autem concrescente lacte à causa frigida, intelligat vnà cum

Auicennæ sententia de caseatione lactis.

cum parte caseosa etiam serosam in vnum cogi, non ità facile est iudicari, cum tanta frigiditas in viuente muliere imaginari nequeat. Sed forsitan intellexit Auicenna frigus externum, cuius occasione, expressa parte serosa, caseosa concrescat, quam barbaro nomine congelationem appellauit, quemadmodum per calorem intellexit externam caliditatem, propter quàm, exsiccata serosa parte, caseosa cogatur.

Lac quomodo in grumos concrescat.

Dum asserit lac non alio modo, quàm sanguinem, in grumos conuerti, qui, nisi vbi extra vasa propria ductus est, & frigefactus fuerit, in grumos non vertitur. notetur sanguinem extra vasa in grumos conuerti, non à circunstantium partium frigiditate; in cauitatibus enim internis, vbi plurimus viget calor, sæpe concrescit, sed à propria tantũ qualitate, quæ soli sanguini, & non cęteris humoribus competit, euaporatis iam spiritibus, & ichorosa parte excreta, cum extra propria vasa, in quibus fluidus conseruatur, eiectus fuerit. Quare hinc non habeatur, lac in mammis ab earundem immoderata frigiditate in grumos conuerti posse, cum ad formandos grumos non extranea, sed propria qualitas, & frigiditas eiusdem requiratur.

Grumi sanguinis an lædant pura intemperie frigida.

Habet hoc eodem loco à sanguine in grumos conuerso ideò ęgrotantes frigore exolui, & penè exanimari, pulsumq; in his minui, & frequentem succedere, ob eiusdem sanguinis refrigerationem, hocq; ex Galeni authoritate cõfirmare nititur. Qui tamen Galenus nunquam ad intemperiem frigidam sanguinis hanc retulit causam. Sed hanc tantùm rem vbique admiratur, & semper innuere videtur hoc solum à praua qualitate, non autem à pura pendere intemperie, vt præcipuè habet lib. de cibis boni, & mali succi. vbi cum admiratus est hæc pathemata à sanguine omnium humorum corpori nostro accommodatissimo oriri, subiungit. Ex his enim planè perspicuum est, quantam vitiosi succi qualitatis vim habeant, quas sanè tanquam parui momenti

menti quidam nostræ ætatis medici aspernantur, eosque sequuntur, qui ita sentiendum esse primùm comenti sunt.

Citat Galenum lib. 5. de simpl. med. cap. 13. ad probã dum lac non posse, nisi à valido calore, coagulari, in quo loco tamen nusquam hoc habetur: & mirum est, cum Galenus ibi loquatur tantùm de acribus, & diureticis medicamẽtis, doceatq;, qua ratione per hæc copiosa lotij qualitas prouocetur, dicens hoc à valido tantùm calore fundente, & secernente sanguinem fieri; quomodo Author hic trãsferat hanc causam ad lactis coagulationem, de qua lactis coagulatione mentionem tantùm fecit, vt modum secretionis lotij ostenderet, non autem vt easdem causas ambobus adaptaret, sicuti cuique rectè literam Galeni consideranti patere potest.

Lac an coaguletur à solo valido calore.

Hoc, quod ex Galeni mente testatur, videlicet, aliud esse in casei speciem cogi, aliud in grumos verti, ex eodem Galeno constat falsum esse; qui libro de cibis boni, & mali succi de lacte agens, docet, quomodo aggrauet hominẽ, ac strangulet, dum haustum in ventriculo in casei speciem cogitur; cui coagulationi sanguinem in grumos conuersum æquiparat, adeo quòd & in casei speciem cogi, & in grumos densari apud Galenum idem re sit, cum vtrunque separata serosa parte, crassiori autem concreta, fiat. differunt autem tantùm nomine, cum propriè lac in casei speciem, sanguis autem in grumos, excreta parte ichorosa, verti dicatur.

Lac caseari, et grumescere secundùm Galenum, idẽ esse.

Dum propriam sententiam Author hic testimonio Aetij, & Pauli confirmare nititur, in manifestum lapsus est errorem, à diuersitate nominum, & inscriptionum deceptus, non animaduertens Aetium in duobus capitibus, scilicet in 34. & 35. eãdem curare affectionem, hac habita distinctione, quòd in primo præseruationem, in secundo curationẽ doceat, idem esse supponens, & lac in grumos concrescere, & in casei speciem coagulari. Vt autem clarè hoc appareat,

Lac grumescere, & caseari ex Aet. & Paul. idẽ esse.

reat, considerentur verba Aetij, qui in principio capitis habet hæc verba; Vt nè lac in mammis puerperarum in grumos coeat. & paulò post eodem capite subiũgebat. lac etiã instar casei coagulari in mammis prohibet cera alba, &c. quod non alia dixit ratione, nisi quia opinatus est idem esse lac in casei speciem, & in grumos concrescere. Hoc idem inscriptio capitum doceat; in primo enim, in quo præseruationem huius affectus docet, titulus est; Nè lac in mammis in grumos coeat. in secundo autem, in quo curationem tradere intendit, titulus est. De coagulato lacte. Hoc idẽ in processu Pauli habetur, qui in principio capitis præseruationem docens vtitur hac voce; lac in mammis casei modo cogi. cuius generationem prohibere intendens, remedia in principio capitis tradit. Quod si contigerit, fiatq; hic affectus in mammis, tunc postea curationem tradit, & vtitur hac voce, lac in grumos conuerti, dum dicit. At distentione oborta, vel lacte in grumos concreto, panis ex hydræleo, &c. ex quo processu clarè liquet, Aetium, & Paulum eundem existere affectum arbitratos esse, & lac in grumos conuerti, & in casei speciem cogi.

De Cardiaco morbo, & Cardialgia. Cap. LX.

Cardiaci morbi signa.

POnens Cardialgiæ signa, ait, aliquando adesse vomitum bilis, aliquando eiusdem humorem infra excerni, vt docet Galenus lib. 2. de Hipp. & Plat. decretis, cap. 8. Attamen idem Galenus lib. 5. de vsu partium cap. 4. ait, necessariò vomitum bilis præcedere Cardialgiam.

Cardiaci morbi curatio.

Curationem Cardiaci morbi tradens multa ex Aetio, Alexandro, cæterisq; adducit. Galeni autem curationem prætermisit, quam ipse posuit lib. primo ad Glauc. cap. de curat. feb. cum accidentibus, dum docet curare eos, qui ex vitiosis humoribus os ventriculi mordicantibus, dissoluuntur. quo loco exacta, & perfecta traditur curandi hunc affectum Methodus. Qui docuit etiam, vbi stoma-

chus

chus valenter mordeatur, optimum esse remedium oleum dulcissimum epotum lib. 2. de simpl. med. fac. cap. 13.

In cardiacis, vt refert author ex Alexandri Traliani sententia, vltra humoris acrimoniam sæpe eiusdē humoris praua, & venenosa adest qualitas. Vnde in huiusce morbi curatione plures insurgunt indicationes; nam vel humor peccans statim vomitu, aut deiectione euacuandus est: vel vbi non possit ita facilè euacuari, eius acrimonia contemperāda quidem, sed ratione venenatę naturæ potissimum prauæ qualitati aduersandū erit. quare huic maximè incūbat Medicus, remediisq;, quorum ne verbum quidem, nec mētionem author habuit, potentibus resistat; alias incassum omnia experietur remedia. hac enim non euicta, nec morbus superari poterit.

Hic etiam moneo Medicum, ne, priusquam humor peccans vomitu, aut deiectione expurgetur, vel eiusdem acrimonia retundatur, prauaq; qualitas superetur, ori ventriculi adstringentia, aut roborantia adhibeat medicamenta; his enim magis constiparetur materia, rebelliorq; alterationi, & euacuationi redderetur, hincq; magis apta fieret, vt facilius, citiusq; ægrotantem perderet. Vndè indiscriminatim talia remedia, sicuti docuit Aetius, cęteriq; antiquiores, nequaquam, sed tantùm educta, vt monuit Author, vel saltem, si euacuari non poterit, temperata materia, administrentur; huiusmodi enim medicamenta in principijs, vt docuit Galenus loco citato lib. 1. ad Glauconē; & dum humor prauus adhuc in parte lęsa continetur, non cōueniunt. sed tunc temporis tantùm, quæ os ventriculi circunstant, loca, & manus, & pedes ad laxandā partem affectam, & ad faciliorem prouocandam, & ad diuertendam materiam concalefacere oportet.

De Canina appetentia. Cap. LXI.

Canina appetentia an fieri posit ratione immodica digestionis.

ASsignans Caninæ appetentiæ causas vltra intemperiem, vel simplicem, vel cũ materia, assignat ex Galeno totius corporis immodicam digestionem. In qua re hoc aduertatur, quòd Canina fames, est fames inexplebilis, & hæc vnicã habet causam, scilicet, corrugationem oris vẽtriculi ab intemperie, vel simplici, vel cum materia causatam, vt habetur lib. 2. Apho. commen. 21. cuius ratione semper fames hæc est vehemens, & indeficiens. Cum autem Galenus lib. primo de sympt. caus. cap. 7. caninæ famis alteram causam adducit totius corporis immodicam digestionem, aduertatur, quòd Galenus hoc in loco ex antiquorum mente loquutus est, intensum appetitum caninam appetentiam vocans, vt ex eius verbis liquet, dum inquit. Vitiosæ verò appetentiæ, quæ quidem quantitate modum excedant, vocanturq; à quibusdam caninæ, tum existunt, cum vel acidus quispiam vitiosus succus ventriculum mordet, vel totum corpus immodicè digestum inops alimenti redditur; verè enim fames canina est insaturabilis, & indeficiens: at quæ ex digestione corporis prouenit, licèt sit ingens, non tamen est indeficiens, quoniam expleto ventriculo, cessat, & quiescit appetitus edendi, qui tamen intensus est, & citò ab assumpto alimẽto (quoniam citissimè hoc dissipatur) redit, & patientes angit.

Canina famis qui succi sint causa.

Quò ad vitiosum succum famem caninam excitantem, iudicauit Author hunc pituitosum, & acidum esse humorẽ, vt ex eius curatione ab eo posita clarè apparet. Sed sciatur etiam hunc eundem affectum ab acida posse gigni melãcholia, quæ & frigida, & acida pariter aliquando erit, vt pituita, quod Galenus attestans, & de humore hoc melancholico loquens lib. 6. de loc. affect. cap. primo, dicebat. At huiuscemodi euacuatione suppressa, nonnulli mæstitia melancholica vexantur, atque cibos auidissimè concupiscunt.

idque

idque præcipuè, si valdè fuerint acida, quę ad ventriculum transferuntur, excrementa. Hoc idem lib. 6. Epid. sect. 3. commen. 37. affirmabat, docens immodicas appetentias ab acida gigni malancholia. Quod idem ego attestor, qui curaui, & vidi appetentias verè caninas ab acida melancholia causatas. Quapropter animaduertat Medicus differentiã horum humorum, pro quorum diuersitate, diuersa etiã requiruntur medicamenta.

Famis caninæ, & insatiabilis, vltra assignatas ab Authore, est & alia notabilis, & maximè animaduertenda causa, videlicet Vermes in intestinis existẽtes, & omnẽ assumptũ cibũ depascentes. De lumbricis famem hanc procreantib. meminit Galenus lib. de Theriaca ad Pisonem, dum varias Theriacæ facultates enumeraret. De lata autem verme, helminthes vocata, habetur historia ab Alexan. lib. 7. cap. 6. in quo agit de grandi fame, quæ bulimus Græcè dicitur. Quod idem innuit Galenus loco citato, dum de lata verme loquẽs inquit, Theriacam hanc latam vermem, quę omnem assumptum cibum depascitur, eoq; reliquum totum corpus emaciat, mirabiliter ab intestinis educere. Et ego testor me curasse talem famem à lata verme causatam. Vnde in casu famis intensæ, & insaturabilis Medicus circunspiciat, an hęc vitio vel intemperiei solius, vel humorum acidorum, siue hi sint pituitosi, aut melancholici, vel vermium intestina occupantium, vel immodicæ totius corporis digestionis, fiat.

Caninæ famis causam quãdo que esse vermes.

De Bulimo. Cap. LXIII.

AGens de Bulimo ponit Aetij dictum, scilicet, quòd bulimus contingat etiam in febribus: quæ sententia videtur dubia stante eius essentia, sicuti declarat Galenus, videlicet quòd sit animi defectus ex fame, quæ quidẽ magna inchoauit, sed tamen nondum perduret, ortum habente ex refrigeratione extrinseca ventriculi, & ex imbe-

Bulimus an contingat in febre

cillitate eiusdem, quomodo autem in febribus posſit eſſe, dubium videtur.

De Vomitu. Cap. LXVII.

Vomitus cauſæ.

CAuſas vomitus recenſens duas tantùm aſsignat in genere, ſcilicet vel copiam, vel vitium humorũ: quod dictum diminutum eſt, cum ex Galeno lib. 3. de ſympto. cauſ. cap. 2. detur tertia cauſa, & eſt quando in ventriculo adeſt aliquid alienum à natura, non quantitate, aut qualitate moleſtũ, ſicut dulcis pituita, vel ſanguis; & ita nõ duæ, ſed tres ſunt cauſæ vomitus in genere.

De inflammatione ventriculi. Cap. LXVIII.

Ventriculi inflãmationis ſigna.

INter ſigna inflammationis ventriculi hoc, quod omiſſum eſt ab Authore, recẽſendũ erat; Videlicet, quòd os ventriculi, quoties inſigni afficitur inflammatione, promptiſsimum infert delirium, vt habet Galenus lib. primo Prognoſt. com. 32.

Ventriculi eryſipelatis curatio.

Notat per inflammationem omnem calidum tumorem intelligi, ſiue ſit à ſanguine, ſiue à bili, & vtriuſque notas, & indicia proponens, non tantùm veræ inflammationis, ſed etiam eryſipelatis ſigna proponit. Attamen poſtea curationem exponens non explicat harum ægritudinum diuerſam curandi rationẽ; quod maximè agendum erat, cum vtriſq; non eadem conueniat curandi ratiõ. In eryſipelate enim magis refrigerantia, quàm in inflãmatione, conueniunt, & Medicus in huius curatione, magis quàm in inflammatione, ſolicitus eſſe debet, animaduertẽs ſi purum ſit eryſipelas, non alia poſſe ratione, quàm per frigidę exhibitionem, etiam non apparentibus coctionis ſignis, aſſumptam curari. Quòd ſi eryſipelas ipſum ſit cum inflammatione mixtum, curabitur etiam per frigidæ exhibitionem, quæ tamen ſolùm apparentibus coctionis ſignis, exhibenda erit, vt docuit Gal. lib. 9. Meth. cap. 5.

Quæ curandi ratio nequaquam inflammationi puræ conuenit, aduersatur.

Curationem tradens, pro potu concedit decoctum coriandrorum, vel cinamomi; quæ quoniam calida sunt, valdè suspecta sint in affectu inflammatorio, quare non admittantur. nisi forsan declinante morbo.

In moderata inflammatione ceratum à Galeno descriptum lib. 5. Meth. cap. 5. ex cera, Vng. nardino, aloe, & mastiche administrandum docet. Hic aduertant Iuniores, ceratum hoc non conuenire in inflammatione, nisi in vltima declinatione, cum tantùm in hoc recipiantur calida, & roborantia, quę vigente inflammatione non conueniunt. Quare si per moderatam inflammationem intelligit nõ magnã, sed debilem, non est tuta eius sententia. sin autem intelligit declinantem, aliquo modo admitti poterit. hoc libenter notaui, quoniam in inflammationibus internis quilibet minimus error lethalis esse potest, & solet mortem accelerare; & vt cætera remedia ab eo, non ab essentia morbi, sed sub alia consideratione proposita ad ægrotantium salutem exquisitè ponderentur, & administrentur.

De Lienteria. Cap. LXXI.

IN cap. de lienteria simul agit de Cæliaca passione, cũ ab eadem causa hi duo pendeant affectus, licèt hæc in lienteria intensior, in Cæliacis autem remissior existat. An autem sub Cæliacis comprehendat fluxum eum, qui à recẽtioribus chylosus dictus est, in quo educitur chylus concoctus quidem in ventriculo, sed cum non distribuatur, accidit, quòd tanquam onus expellatur à virtute expultrice, dubium est, cum hi duo affectus non omninò coincidere videantur, cuius tamen, vel in hoc loco, vel in cap. de Diarrhæa meminisse conueniebat, cum hæc fluxio sæpè accidat, & molæsta sit. Quæ fluxio contingere consueuit his de causis, scilicet vel quia existente aliqua abrasione in intesti

Fluxus chylosi causa.

nis, vis expulsiua, antequam exsiccatus sit chylus, molæstata, & irritata à materia, eandem excernit, vel ratione imbecillitatis contentiuæ intestinorum; quæ contentiua ratione aut frigiditatis, aut humiditatis labefactatur, cuius meritò chylus, antequam attrahatur, descendit. vel hoc est, quia nutrimentum ipsum non distribuatur, non distribuitur autẽ, aut ratione obstructionis venarum mesaraicarum. Vnde vidimus sæpe tales fluxus admodũ molestos ratione validarum obstructionum in dictis venis existentium genitos, qui non adstringentibus, alterantibusuè, sed solis exobstruentibus medicamentis sanari potuerunt. aut quia non fiat attractio. Attractio verò nõ fit, vel quia non fiat resolutio in vniuersi corporis ambitu, quæ sicuti nõnunquã est huius fluxionis, pariter etiã est aliquãdo nõ famescẽdi causa, vel quia iecoris infirma sit attractrix facultas, cuius merito liquidus, & nondũ iusto modo exsiccatus chylus deijcitur, vt testatus est Galen. lib. 8. de compo. med. secũdũ loc. cap. de hepatis affect. per hæc verba. Cũ igitur hepar præ imbecillitate ex ventre, & intestinis alimentũ trahere non potest, liquida, & nondum iusto modo exsiccata per sedem excernũtur. Et si quidem vẽter simul cũ hoc viscere fuerit imbecillis, ac non probè concoquens, cruda. Si verò validus fuerit, concocta quidem, sed liquida, propterea quòd nulla, aut omnino modica digestio, ac distributio ad hepar est facta.

Lienteria an possit fieri ex cicatrice à dysenteria.

Lienteriæ causas recensens ex Aetio inquit, hanc frequẽter oriri ex præcedente magna disenteria, cui successerit cicatrix leuis, & densa, quæ cicatrix, ait Aetius, est lienteriæ causa, quoniam ob densitatem suam, ciborum per corpus digestionem fieri non permittit, cum per eius densitatem venarum ora obturata sint, quæ distributioni alimenti destinata sunt. Quæ sententia nec Galeno consona est, nec veritati; Galeno quidem, quia solum duas posuit causas, alteram abrasionem ventriculi, alteram imbecillitatem facultatis retentricis eiusdem ventriculi, ab intemperie vel

pura,

pura, vel cum materia labefactatam. Veritati autem; quoniam non est imaginabile fieri posse lienteriam ex tali cicatrice inducta in intestinis, quamuis distributionem alimēti impediret, cum sic necessarium esset, vt cicatrix omnia venarum ora, per quæ ab intestinis ad mesaraicas venas succus attrahitur, intercluderentur, quod non est possibile, cum hanc præcessisse debuisset dysenteria maxima, omnia intestina exulcerans, & occupans, cuius magnitudinis ratione fieri non potuisset, vt superstes ægrotus fuisset. Sed stante etiam tali cicatrice, quæ omnia venarum ora occludat, non potest fieri lienteria; quoniam hæc cicatrix nō velocem cibi ex ventriculo delapsum causare, & ideò semper cibus aliquo modo esset cōcoctus, sed tantùm liquidas excretiones, non facta distributione, edere posset. in lienteria autem requiritur, & quòd cibus velociter deijciatur, & quòd in eo nulla facta sit mutatio. Cum autē hanc eandem sententiam ex Cornelio Celso confirmare nititur, aduertatur, quòd si idem, quod Aetius, intelligit Celsus, in idem discrimen cum Aetio incidit. Si autem ex dysenteria lienteriam oriri asserat, quia ex dysenteria ventriculus, vt quandoq; fieri vidi, valdè labefactetur, hincq; virtute retentrice labefactata, subsequatur lienteria, admittatur. sed in tali casu habeatur curationis summa ratio, nec ita omnia Celsi remedia admittātur; qui etiam in vltimo consulit vomitum ex elleboro albo, quod remedium in simili affectu omnis discriminis est particeps, cum omnibus intentionibus aduersetur, tum propter medicamenti vehementiam; tum quia euacuat per locum affectum; tum quia educit ab vniuerso corpore; tum quia maximè vires, & ventriculum ipsum labefactat.

Curationem lienteriæ ab vlcere intestinorum, & ventriculi superficiei genitæ docens, ait huius curationem in dysenteriç cura patere. Sed aduertatur, quòd desumptis à loco affecto indicationibus, ac remedijs, hic per ea, quæ

 inge-

ingeruntur, in dysenteria autem per ea, quæ per sedem infundantur, agendum erit.

De Cholera. Cap. LXXII.

DE cholera humida tantùm agit, siccamq; prætermisit, de qua nos in superioribus egimus.

An ex cholera malè curata possit succedere phtisis.

Prognostica ex Alexandro recensens inquit, mora leuis in curatione huius affectus, videlicet choleræ humidæ, habita, non simplicem offensam, sed etiam absolutam subinde tabem, quæ phtisis dicitur, conciliat. Quæ sententia nō simpliciter admittatur, cum à cholera ad phtisim nulla sit communicatio, cum hæc pendeat à ventriculo, & intestinis læsis, illa ex pulmonis vlcere, vel putredine, hocq; sit exemplum, vt aliàs dixi, eorum, quæ ab Authore indistinctè, & indiscriminatim nullo habito examine, ab alijs transcribuntur.

In cholera humida an sit exhibēdum pharmacum.

Vbi cholera fuerit ex corruptione alimentorum, eaque procliuiora fuerint, vt per aluum excernantur purgantibus medicamentis, licèt leuioribus, inquit agēdum esse; In quo hoc animaduerto, quòd hic non est amplius casus choleræ: si enim cholera fit, dum perturbato ventre inferiori, & ventriculo ipso fit euacuatio materierum humidarū, tum per superiora, tum per inferiora simul, in tali casu non erit cholera, deriuatis solum excremētis ad inferiora: quæ si adhuc etiam per superiora moueantur, superfluum erit exhibere pharmacum purgans; quoniam statim hoc conturbato ventriculo euometur.

An leue debeat esse pharmacū pro eductione bilis existentis in ventriculo.

Quod dixit de pharmaco in cholera ex corruptione alimentorum, idem affirmat, videlicet leuioribus medicamētis, agendum esse, vbi bilis, vel quiuis alius vitiosus succus ad excretionem naturam irritare videatur, nihil autē mentione dignum vel per aluum, vel per os erumpat. At Galenus lib. 4. de ratione vict. in acutis commen. 110. in tali casu, vbi venter liquidus sit, in ventre autem sit bilis, quæ

acris,& alui contumax existat,non leuiora,sed valida probat medicamenta,hæc verba habens. Qui autem in affectionibus huiusmodi sæpius valenter auxiliatur, is cacochymiam valente medicamento affatim expurgat,vires cõtẽplatus ęgri,habitũ, anni tempus,ætatem,& constitutionẽ.

De Diarrhea. *Cap.* *LXXIII.*

DOcens signa, per quæ alui fluxus per liquationẽ corporis factus, in quo colliquata caro in ventrem defluit, cognoscatur,inquit, quòd tunc per aluum excernitur deiectio exigua, glutinosa, opima, admodùm graueolens. In quo hoc animaduerto, quòd sanè in tali casu deiectio est exigua,glutinosa,& opima, non tamen semper, nec necessariò graueolens. tunc enim tantùm fit graueolens,quando vltra causam colliquationis additur & putredo. Vnde dicebat Galenus lib. 2. Prognost. commen. 22. Graueolentia verò putredinis indicium est. Quapropter vbi non fit putredo, non est graueolentia, cuius meritò in colliquationibus sępè excrementa nec fætida nec graueolentia videmus.

Fluxus colliquefactiui signa.

Docens quibus signis deprehendatur fluxio alui à cerebro dependere, ait, huius esse indicium spumosa excrementa. Sed sciatur hoc indicium fallax esse, nec id affectum hunc certò indicare posse; tum quia excrementa possunt esse spumosa alia de causa, quàm ob fluxionem à cerebro pendentem, vt docet Gal. lib.7. Aphor.commen.30. tum etiam, quia non semper distillãte materia à cerebro fiunt spumosa excrementa, sed solum quando spirituosus humor ex capite ad ventriculum defluit, vt eodem commen. habet Galenus. Si enim pituita viscidior, & tenax,crassaq;, non autem spirituosa descendat, nullo pacto excrementa spirituosa erunt.

Fluxus cerebralis an necessariò habeat excrementa spumosa.

Hoc eodem capite omisit signa, & curationem eius Diarrheæ, quæ fit vitio obstructionis venarum męsaraicarum, vel quia ab eisdem non fiat attractio; qui casus cum

aliquando eueniant, à Medicis sunt cognoscendi, & considerandi.

Vltra omnes Diarrheæ species ab Authoribus enumeratas, vidi ego diarrheæ specialem casum, in qua simul cũ excrementis educebãtur continuè quædam ossicula, quorũ aliqua contracta, aliqua integra erant, similia in totum ossibus auicularum paricarum, perindè, ac si ægrotans auiculas ipsas integras, quas tamẽ nunquam degustauit, in vsum alimenti assumeret; hæc semper cum ingenti dolore excernebantur, quantitas ossiculorum erat pro singulo quoq; die ad mensuram non minus, quàm vnius cochlearij, aut ad summum duorum. fluxus hic per plures dies perseuerauit, nec vllis vnquam potuit remedijs aut leniri, aut firmari. Vnde emaciatus æger doloribus supramodum vrgentibus, tandem miserè vita functus est. Quidam censuere hãc Diarrheam ex maleficio inductam esse, ossiculaq; illa ex Diaboli præstigiatione, non ex naturali causa excerni. Attamen nouimus in abscessibus externis ossium, pilorum, carbonum, lapillorum, vnguium, testarum similia inuenta esse corpora solida, sicuti & humida olei, cæni, luti, mellis, sepi, fecis vini, & alia huiuscemodi, quæ omnia verè in abscessibus reperiri, vltra experientiam ipsam, testatus est Galenus, & alij celebres Viri. Vnde iudicent alij, an sicuti in externis, ita in internis possint tales materiæ à naturali causa generari.

Diarrheæ insolita historia.

Tradens curationes diuersarum specierum Diarrheæ tũ per interius sumenda, tum per exterius administranda, nunquam docet causam abscindendam esse. Quod maximè est aduertendum ab his, qui tales fluxiones curant; nisi enim causa generationis excrementorum tollatur, vel minuatur, nec minui alui fluxio poterit.

Diarrheæ curatio quomodo absoluenda sit.

Inquit, si in Diarrhea euacuatio sit symptomatica, debemus ipsam cohibere, quod dictum difficultatem patitur propter regulam à Galeno lib. 12. Meth. cap. primo positam,

Diarrhea quãdo sit cohibenda.

tam, vbi ait, quòd symptomata non veniunt curanda, nisi subeant vicē causæ vel lædendo vires, vel affectionem augendo; quare, cum hic fluxus erit symptomaticus, nō erit curandus, nisi vel vires lædat, vel aliquam affectionem augeat, & ideò non erit simpliciter cohibendus, sicut docet Author. Quò autem ad Aphorismum, quem pro se adducit, notandum est, veram esse Hippocratis sententiam, si rectè intelligatur; nam cum dixerit, quòd euacuationes factę tum à natura, tum ab arte sunt vtiles, quando educuntur, qualia educere oportet; subiungit, quòd si non talia, qualia educere oporteat, educātur, ea cohibere oportet; quod dictum intelligendum est in comparatione superioris dicti; quoniā sicut in illa euacuatione superiori sequitur vtilitas; & tolerantia ægrotantis; ita in illa, quæ huic opponitur, sequitur nocumentum, & mala ægrotantis tolerantia, ex quibus vires debilitantur. Vbi autem vires redduntur debiles ex symptomate, illud symptoma venit curādum; & ideò illi fluxus ex sententia Hippocratis, qui sunt symptomatici, dum ęgrum affligunt, & debilitant, sunt cohibēdi; nisi autem læsio succedat, nec curationem indicant, nec mutant, vt docet Galenus lib. 12. Meth. cap. citato. Ad locum autem Hippo. lib. 6. Epid. sect. 2. commen. 28. dico, quòd Hippocrates ibi loquitur de materia, quæ stat pro causa morbi, quemadmodum ex Galeno in eodem commento per eius verba apparet: & ista, quæ stat pro causa morbi, si quò non oportet, vergat, est reuellenda: si autem quò oportet, apperiendum est; quoniam & si non aperiatur, morbum causat. quod dictum non contrariatur superioribus; nam clarum est, quòd fluxus symptomaticus, si stat pro caussa morbi, venit reuellendus, & curandus, vt habetur loco citato lib. 12. Metho.

da, & quando non.

De

De Dysenteria. Cap. LXXIIII.

Excretionis sāguinolētę quot species.

QVatuor sanguinolentæ excretionis species ex Galeno lib. 3. de sympt. caus. cap. 2. quatuor succedētes affectibus attestatur esse. Quibus tamen ex eodem Galeno duas ab his distinctas addendas, & notandas censeo; Altera est ea cruenta excretio, quæ in morbis acutis, vel decretoriè, vel tabescentiæ, & liquationis more contingere consueuit, in qua excretione sanguis qualitate à natura alienus, vt habetur à Galeno eodem capite citato, esse solet, & talis sanguinis fluxio consueuit febribus prauis succedere, vt sępius hoc idem mihi attestāte experiētia animaduerti. Altera est cruēta, & sanguinea excretio facta, cum præcedente aliqua sanguinis vehementi profusione corpus refrigeratum fuerit, vnde cum in posterum minus, quàm deceat, per cutim digeratur, nimia aggregatur sanguinis copia, à qua stimulata natura superabundantis materiei exonerationem tentans sanguineam excretionem etiam cum torminibus causat, vt docet Galenus lib. 4. de artic. in fine commen. 40. Quare non quatuor, sed sex erunt cruentæ sanguinis excretiones.

Ex Aetio vlceris crassorum intestinorum signa exponēs inquit inexplebilem edendi appetitum in his oboriri. At nec ex tali vlcere fames causari potest, nec experientia huic rei attestatur. Quare hoc animaduertant iuniores.

Signa autem exponens vlceris tenuium intestinorum, ait, his vlceratis adesse dolorem circa vmbilicum. quod dictum videtur dubium; quoniam vlcera tenuia sunt inuoluta, & sunt tam supra, quàm infra vmbilicum.

In dysenteria, vbi vlcera sint depascētia, q̄d agendum.

Vbi vlcera sint depascentia, & praua, docet his, quæ crustam inducunt, vtendum esse, non tamen ad particularia, quemadmodum pulcherrimè in tota præcedenti curatione egit, descendit remedia. Nè autem Iuniores in hoc delictum vllum non habeant, animaduerto plura à Græcis propo-

proposita esse ad hoc præsidia, quæ nõ sine delectu in vsũ recipienda sunt, quales sunt Trocischi Faustini, Trocischi Andronis, & Trocischi Pasionis, & alij similes, inter quos Faustini sunt adeò vehementes, vt illis nunquam vti ausus fuerim. Troc. autem Andronis valde probo, hisque fœliciter in vlceribus prauis, & depascentibus vtor. Troc. passionis ad idem valent, sed mihi magis arrident prædicti, & tutiores videntur. his autem per sedem infusis vtens, vlcera depascentia, & praua firmare consueui. Ad exemplar autem horum seligantur cetera medicamenta ab antiquis proposita.

Ad absolutam etiam dysenteriæ curationem alterum, vltra proposita ab Authore medicamenta, remedium mihi frequentissimum, & felicissimum, pluribus etiam medicis notum, & consuetum non reticendum esse duco, quod est administratio aquarum naturalium potentia refrigerantiũ; ex his enim duo in dysenteria, & præcipuè biliosa habemus; alterum refrigerationem iecoris; alterum, quoniam sunt hæ aquæ quoquo pacto adstringentes, quòd prohibẽdo fluxum, dant tonum visceribus, & faciunt ad curam vlceris. Harum tamen non indistinctus sit vsus. non enim tutum est has exhibere, vbi materia peccans multa, ac copiosa in corpore abundauerit; nam si talis materia vi huius medicamenti intercipiatur, alterum duorum sequetur, scilicet, vel quòd hæc eadem materia retenta ad alias partes conuertetur, & indè fiunt aliquandò ægritudines lethales, cõuersa hac ad nobiliora membra: aut si non ad nobiliora, sed ad minus nobilia vergat, morbos quidẽ minus lethales, graues tamen prodit. Vel detenta hæc materia acrior redditur, in maioriq; mole accumulatur: vndè quandoq; maiori impetu postea ruens est in causa deterioris dysenteriæ. quare vsus talium aquarum erit, cum pro parte euacuata materia in minori erit mole. quo tempore opportunũ erit has exhibere, cum ex his tunc & iecoris refrigerationem,

& viscerum robur, & fluxionis interceptionem, & vlceris sanationem tutò habere possimus. Quòd si à dysenteriæ principio nec copia excrementorum adsit, nec eorundem prauitas insignis appareat, tutò etiam tunc temporis exhiberi poterunt, vtilesq; erunt in vsu, quemadmodum mihi sæpissimè fuere, qui adeò fęlicem harum thermalium aquarum administrationem habui, vt his opportunè exhibitis nunquã aliud per dysenteriæ curatione efficacius remediũ desiderauerim, testorque me his aquis administratis ferè nunquam spe concepta frustratum esse. Vtor autem aqua illa Imeldulesi, cuius in febris pestilentis curatione memini, eam exhibendo & in potu, & in ciborum præparatione, & etiam medicamenti loco, videlicet iubens, vt in hac cibaria incoquantur, & vt in vsu clysteriorum administretur, & vt pro potu in prandio, & cœna exhibeatur, & vt ægrotantes summo manè cyathum huius ad formam syrupi, ac pariter in die per tres, aut quattuor horas ãte cęnã alterum assumant; sicq; hi sitiant, libenter permitto, vt etiã eandem tempore intermedio bibant. In huius autem vsu maximam ventriculi rationem habeo, quem semper roborare, ac defendere procuro, ne ex vsu talis aquæ labefactetur; ventriculum enim frigidiorem solet magis refrigerare. quare in talibus habitibus nõ ita inconsideratè exhibeatur, sed aliqua ei admisceantur, quæ ventriculi robur manu tenere queant, vel per exteriora administrata remedia, idẽ corroboretur, vel in eiusdem summa imbecillitate huius vsus prætermittatur.

De Hæmorrhoidibus. Cap. LXXVI.

Hæmorrhoidibus affectis an secãdæ sint venæ inferiores.

PRo earum curatione docet secandam esse malleoli venam ex Galeno, quoniam hæc vena secta hęmorrhoides prouocat. In qua re non sit præceps Medicus, stante sanguinis plenitudine, quoniam ex hac sectione sępe maximo adeò impetu ruit sanguis ad partes inferiores, & præcipuè

cipuè ad locum affectum, vt inde peior succedat affectio, hincq; viderim ego in tali casu maximas successisse inflammationes, & aliquando etiã cancrænas. Quare stante plenitudine non secentur inferiores, sed potius superiores venæ, & hoc præcipuè seruandum, vbi sit intentio tantùm leniendi dolorem, non prouocandi hæmorrhoides. vbi enim nõ sit intentio prouocandi eas, tutius est in omni casu secare superiores, & eò magis, si eas cohibere volumus, vt ibidem habet Galenus.

De colico affectu. Cap. LXXIX.

HVius causas enumerans, quatuor exponit, scilicet materiam pituitosam, flatum, humores acres, & inflammationem. At vltra has me docuit experientia (quod idem asserit Aetius) colicũ dolorẽ causari à lapide in intestinis genito, à quo noui hominem adeò excruciatum, cum nullo remediorum genere leniretur dolor, vt propè mortem expiraturus esset, nisi sponte excretus lapis morbum soluisset. Hoc aduertatur, quòd idem etiam non negauit Galenus fieri posse lib. 6. de loc. affect. cap. 2. licèt affirmet se hoc nec vidisse, nec alium, qui viderit, audiuisse.

Colicum affectum causari à lapidibus.

Victus rationem in colicis seruandam instituens, vsum ceparum ex Pauli authoritate commendat; quæ tamen nec à Paulo inter cibaria commoda enumerantur, nec pro vtilibus in tali casu assumantur. licèt enim cepa conueniens ratione intensæ caliditatis, quam obtinet, censeri queat, tamen ratione aqueæ humiditatis, quam multam possidet, est flatuosa, vt habet Gal. lib. 7. de simpl. med. facult. cap. de Crõmio, & ideò non est probanda in doloribus a flatu; illa enim, quæ flatus discutiunt, debent esse sicca, non humida, & maximè humiditate aquea, qualis maxima portio est humiditas ceparum.

Ceparum vsus an cõueniat in dolore colico.

De

De Ileo. Cap. LXXX.

Lombrici an causẽt tussim.

SI ea, quæ superius explicaui de Ileo, consideretur, facile erit discernere ea, quæ ab Authore proposita sine sub diligenti examine constituenda.

De Vermibus. Cap. LXXXI.

SIgna lumbricorum explicans, inquit adesse tusses exiguas cum siccitate irritantes. quod tamen contrariari Galeno videtur, qui, vt diximus, capite de tussi, oppositum sentit lib. 6. Epid. sect. 2. com. 17. & com. 24.

Inter lumbricorum signa hoc etiam enumerat, quòd aliqui instar delirantium peregrina in somnis loquuntur. At sciendum est non tantùm in somno vermes deliriũ, sed etiã in vigilia causare posse. quod, vltra experientiam, quæ hoc mihi testata est, etiã Hippocrates lib. 4. Epid. circa finẽ asserere videtur, cuiusdã senis historiã recẽsens, qui, cũ furiosus esset, ex vomitu vermis suberassi sedato delirio quieuit.

De verme lata loquens inquit ex Aetio hanc vermem esse permutationem membranæ intrinsecus intestina ambientis in corpus quoddam viuum: vel ex Paulo esse mutationem adnatæ in interiori intestino membranæ in materiam animalis. Quę tamen sententia non ita, vt verba sonãt, est recipienda. nam vermes non ex membranis, parteuè alia solida procreantur, sed ex varijs excrementorum generibus, pręcipuè autem pituitosis, aut ex corruptis cibis, sicuti etiam author pulcherrimè declarauit, ortum habent. Vnde quid per membranam intellexerit Herodotus, à quo Paulus, & Aetius transcripserunt, declarandum erat, & eò maximè, cum, si ex vera intestinorum membrana generaretur hæc vermis, eiecta verme, sanitatiq; restituto ægrotãte, intestina ipsa propria, & interna tunica, quæ potius carnosa est, quàm mẽbranosa, denudarentur, & priuarentur. Animaduerto autem ego, Herodotum per membranam nõ

pro-

propriè membranam, sed mucosam illam, & pituitosam materiam, quæ interiorem intestinorum tunicam oblinit, & circunuallat, intellexisse. hæc autem materia putrescens potest in viuum animal conuerti, & inde in latam hanc vermem formari.

Latæ vermis signa ex Aetio recensens inquit. ijs occupatos comitatur corporis gracilitas, & etiam impotẽtia, seu imbecillitas cum tarditate. Quod tamen verum esse experientia redarguit. non enim huiuscemodi patientes semper sunt impotẽtes, ac imbecilli. imò dicebat Hippocrates lib. 4. de morbis. Qui hanc bestiolam, animalculumuè habet, semper fermè validus est. Cum verò debilitatus, vix reficitur, vixq; conualescit. Vnde ex Hippocrate debilitas ista non semper consequitur ad hanc vermem: sed quando accedit, vix tolli potest ob assumptum alimentum ab hoc animali dissipatum. & hoc aduertatur, quoniam tales patientes, vt aliquando vidi, non sunt semper debiles, sed tantùm, quando superueniente ingenti fame, & notabili corporis extenuatione emaciantur.

Subiungit autẽ inferius, loquens de hac eadem lata vermi, hæc verba. Huius etenim lumbrici quandoq; cõcisæ partes prodeunt, quæ semel sanè exolutæ non amplius secundariò congregantur. Quæ sententia duplicem potest habere sensum, alterum ad mentem authoris, alterum ad mẽtem Aetij, à quo hæc verba, non tamen eo ordine, & sensu, quo Aetius protulit, transcripsit. Ad mentem authoris hoc significare videntur, quòd si huius vermis partes aliquæ abrumpantur, & concisæ prodeant, non amplius restaurentur, & in hoc sensu, si ita intellexit Author, sentẽtia hæc falsa est. quod nõ tantũ testata est experiẽtia mihi, qui viderim huius vermis partes quãdoq; ad semicubitũ, quãdoq; ad cubitum, quãdoq; plus, vel minus abruptas, & excretas, & tamen postea iterũ inspexerim eãdem vermem ad tantam quantitatem auctam, vt extra podium discederet.

sed

sed etiam hoc idem testatur Hipp. lib. citato per hæc verba. Si verò cum medicina exeat, recta pars de lumbrico abrumpitur longitudine duorum, aut trium cubitorum, aut etiam longior amplior; & vbi abruptus fuerit, per multum tempus signa cum stercore non prodeunt, posteà verò recrescit. Ad mentem autem Aetij hoc enunciant, quòd lata vermis, vbi tota, vel integra, vel in partes concisa exierit, non amplius regeneratur. sicuti cætera lumbricorum genera, quę licèt semel, bis, & amplius educantur, tamen iterum, atque iterum regenerari consueuere. & hoc verum est. nam educta verme, & intestinis mundatis ab illo excremento mucoso, & pituitoso, intestinorum internam cauitatem obtinente, quod putredinis meritò in tale animal conuersum erat, non amplius regeneratur talis vermis. & ideò ad hunc sensum Aetius hæc verba protulit, dicens. Et semel sanè exolutæ, non amplius secundariò congregantur.

Vinũ aquosũ an cõueniat in cura lumbricorum.

Rationem victus in casu isto seruandam docens, vinum aquosum exhibendum proponit: quod an conueniat, perpendendum est, cum vina aquosa minus, quàm potentia, ventriculum, & partes nutritiuas iuuent, minusq; alimentum á putredine, vnde vermes ortum ducunt, pręseruare queant.

De Hepaticis. Cap. LXXXII.

MVlta particularia tum medicamenta, tum cibaria pro hepaticorum curatione proponit, quæ si sub diligenti examine ponantur, multas patiuntur difficultates; nè autem omnia recenseam, vnicum animaduerto, quod ex Alexandro transcribit, dum docet curare hepaticos ex intemperie frigida, dicens Pistachia, & Amigdalas in hepaticis duabus rationibus non conuenire; primò quia hæc facilè corrumpuntur; secundò quia sunt oleoginosa. quæ sententia discriminis plena est; nam quò ad primum habemus in oppositum efficacissimum argumentum. difficulter enim cõficiuntur, ergó difficulter corrumpuntur. Quò ad secundum

Pistachia, & amigdalę an cõueniant hepaticis ex intemperie frigida.

ſecundum, quòd ſint oleaginoſa, & facilè vertantur in bilem, ignoro, qua de cauſa huiuſmodi cibaria in frigida iecoris intemperie ſint vitanda: aliàs cætera omnia cibaria, & medicamenta calefacientia non eſſent adminiſtranda. nihil autem de his, quæ facilè vertuntur in bilem, timendum eſt in hepate refrigerato, in quo indigemus calefacientibus, & abſtergentibus medicamentis, & cibariis, quorũ vtrũq; vſum præſtare poſſunt amigdalæ, & piſtachia, cum vtraq; calefaciant, & abſtergant.

De Hepatis obſtructione. *Cap.* *LXXXIII.*

AGens de obſtructione cum febre aſſerit ex mente Galeni lib. 8. Meth. cap. 4. obſtructionis magnitudinẽ ex magnitudine febris diſcerni, vt quæ ex maiori obſtructione maior, ex minori minor fiat. Quod dictum falſum eſt, cum ingens obſtructio in hepate cum leui febre, ſicut & ſine febre, ſæpè generetur. Dictum autem Galeni ad propoſitum iſtud nihil facit, cum Galenus eo in loco nõ de hepatis, ſed de cutis obſtructione loquatur, vt ipſemet eodem in loco clarè expreſſit.

An ex obſtructione hepatis fiat febris ſecũdum eius proportionem.

De Iecoris inflammatione. *Cap.* *LXXXIIII.*

DVm de hepatis inflammatione agit, meminit & de eius eryſipelate, & de inflãmatiõe ad eryſipelatis naturam accedente; Curationem tamen exponens, harum nè verbum quidem fecit, cum tamen hoc maximè facere debuiſſet; cum ab eryſipelate puro, & ab inflammatione eryſipelatis naturã participante, maius, quã à pura inflammatione, impendat periculum ægrotanti, maiusq; medico in medendo diſcrimen: pro quo hoc animaduerto, quod idem notaui ſuper caput de inflammatione ventriculi, purũ Eryſipelas internarum partium non aliter ſanari poſſe, quàm per frigidæ exhibitionem, vt monet Galenus lib. 9. Meth. cap. 5. ſi autem Eryſipelas vnà cum inflammatione iunctũ

Iecoris Eryſipelas quomodo curandum.

fuerit, conueniens quidem erit, sicuti in puro erysipelate, frigidæ potus, hac tamen distinctione habita, quòd in puro erysipelate quocunque tempore, & indistinctè exhiberi potest; at in erysipelate cum inflammatione mixto, non prius exhibenda erit, quàm coctionis notæ apparuerint. Pro curatione etiam horum affectuum hoc aduerto, quòd quãuis in pura inflammatione nihil actu frigidum supra hepar administrandum sit, vt docuit Galenus: tamen in erysipelate puro sint medicamenta actu frigida. quæ calefacta subindè permutentur, nouaq; refrigerantia applicentur, quousq; sentiat ęger flammam internam extingui, ad locumq; affectum frigiditatem peruenisse. Si autem sint inflãmatio, & erysipelas simul mixtum, pro ratione vrgentiæ, & pro ratione superabundantis materiei erit ad hanc, vel illã partem magis declinandum.

Concocta phlegmone in giba hepatis an exhibenda diuretica, vel soluentia medicamenta.

Vbi phlegmone cõcoquatur, si in giba hepatis parte constiterit, ex Gal. lib. 13. Metho. cap. 15. notat Author, diuretica administranda esse. At vltra hoc etiam ex Gal. lib. 7. Meth. in fine erat animaduertendum, quòd vbi iecoris gibæ pars est expurganda, si multa adsit materia peccans, per deiectionem est euacuanda. sin autem mediocris, diureticis, ac per vrinales meatus est educenda.

Suppurante iecoris inflãmatione quid agẽdum.

Vbi iecoris inflammatio non discutiatur, sed ad suppurationem deuenerit, inquit abscessus rupturam, cum perfecta suppuratio fuerit, adiuuandam esse, quæ vel per sedem, vel per lotium, vel per os disrupta, & excreta iuuanda etiã erit. At præter hæc docet Hipp. lib. 7. apho. 46. etiam iecoris suppurationem adustione curari, ex qua si fluat pus album, & laudabile euadere patientes monet; quoniam in his pus in hepatis tunica continetur, si verò, qualis amurca, pus exiuerit, quoniam tunc corruptio vsque ad carnẽ hepatis pertingit, eos perituros affirmat.

De Scyrro hepatis. Cap. LXXXV.

PRo curatione notat, quòd vbi multo ſanguine abundauerint patientes, vena ſecetur, ſanguisq; mittatur ante particularium medicamentorum vſum. Quæ ſententia ex principiis Galeni valdè ſuſpecta eſt; cũ enim ſcyrrus hepatis, quando perſeuerat, terminetur ad hydropem refrigerato hepate. vbi autem immineat hydrops, venæ ſectio non ſit adminiſtranda, nec etiam in ſcyrro hepatis erit conueniens, cum ab ea hepatis refrigeratio timenda ſit. & eò magis, cum hic ſit morbus diuturnus, pendeatq; à materia frigida, ſiuè hæc ſit pituita, ſiue melancholicus ſuccus.

In ſcyrro hepatis an cõueniat ſecare venam.

De inflammatione lienis. Cap. LXXXVIII.

CVrationem inflammati lienis exponens, inquit pharmacum purgans, ſi venæ ſecandæ medella relinquatur, à principio ex Aetij, vel in incremento ex Alexandri ſententia exhibendum eſſe, hoc tamen agendum eſſe monet, ſi prius parata ſit materia. Hanc ſententiam notare volui; quoniam implicat contradictionem, dicere materiam paratam eſſe, & inflammationem eſſe in augmento, vel in principio, quo tempore nec concocta, nec parata poteſt eſſe materia inflammationem faciens; Cuius ratione ab Hippocrate lib. 4. de ratione victus in morbis acutis tex. 22. medicamenta purgantia in inflammationum initijs excluduntur, & damnantur; quare cautus ſit Medicus in principijs talium morborum, nec vnquam pharmacum purgans tali tempore exhibeat: ſi tamen quid exhibendum ſit, exhibeantur tantùm, non dixerim leuia, vt inquit Author in hoc capite, ſed lenientia, & quæ primas venas non tranſcendere apta ſint.

Lieue inflammato an cõueniat principio pharmacum.

De Cachexia. Cap. XC.

In cachexia an conueniat sanguinis missio.

DOcet in cachexia ex Aetio, & Paulo venam secandã, mittendumq; sanguinem esse. Quæ sententia nõ ità tuta est, cum in cachexia iam refrigerato hepate, & abundantibus frigidioribus humoribus, nequaquam per sectionem venæ conueniat magis hepar ipsum refrigerare. At solum conuenit sectio venæ in tali casu, vbi aliqua sanguinis naturalis euacuatio, sicuti vel per menses, vel per hæmorrhoides suppressa, extiterit propter nimiam plenitudinem, calorem natiuum propè extinguentem, in causa cachexiæ, vt idem docuit Galenus lib.4.reg.acut. commen.111. in anasarca faciendum esse, dum ex retenta naturali euacuatiõe plethora inducta sit in causa, vt per eã propè extinguatur naturalis caliditas. & hoc est id, quod voluit Aetius; quod idem clarius expressit Paulus, cum inquit; sed vacuandi sunt potissimum, qui hæmorrhoidibus, aut mẽstruis non respondentibus in morbos inciderunt, quemadmodũ ijs, qui copia vitiosorum humorum laborant, vacuatio sanguinis per venam vitanda est. quod nõ animaduertens Author indistinctè pronunciauit, venam in cachexia secandã, ac mittendum sanguinem esse, vbi aliqua naturalis euacuatio suppressa fuerit.

De Hydrope. Cap. XCI.

Solatri hortensis succus an conueniat in hydrope.

AScitis curationem docens ex Aetio laudat succum ex solatro hortensi expressum, si quotidie, donec perfectè sanentur, ad cyathi quantitatem exhibeatur. In qua re hoc idem dicam, quod in sexcentis alijs remedijs ab Authore indiscriminatim, ac sine examine transcriptis dicendum esset. Videlicet, quòd hoc remedium in tali casu inconueniens sit, cum non tantùm non sanare hydropem, sed & eandem, vbi adsit, augere, & introducere, vbi nõ sit, polleat; cum enim sit frigidæ facultatis, in secundoq; huius po

situs

fitus sit gradu, continuus illius potus hepar validè refrigerare, & inde hydropem vel augere, vel introducere aptum erit. Quod, cum sit adeò suspectum ratione primarũ qualitatum, non sine examine erat proponendum; & cum adsint alia infinita, & non suspecta, opportuna medicamenta, hoc adeò suspectum prætermittendũm erat, vt Iuniores, ac inexperti Medici hinc decepti non ita tutò ægrotantibus consu lerent.

De Diabete. Cap. XCII.

QVærens Author, quę renũ facultates in Diabete labę factatæ sint, censuit ex mente Galeni tres lęsas esse, scilicet attractricẽ, retentricẽ, & alteratricẽ. De attractrice, & retentrice, vt Gal. ex professo docuit lib. 6. de loc. affec. cap. 2. satis constat, de alteratrice autem nõ ita liquet. Nã nec ratio, nec locus ille Galeni lib. primo de cris. cap. 12. in dicant in Diabete facultatem renum alteratricem læsam esse. In renibus enim non concoquitur humorum, seu sanguinis serosa pars, sed in hepate tantùm, & in venis ipsis, in quibus humores, & sanguis verè alterantur, & concoquuntur, & ideò lotium qualitatis sanguinis, & humorũ in venis existentium certum est indicium. vnde vbi hæc cruda sint, & lotium crudum erit: vbi autem concocta, & concoctum hoc existet, pariterq́; supra alias eorundem humorum in venis contentorum differentias, & passiones significare poterit. Renes autem qualem serosam partem attrahunt, talem ad vesicam transmittunt: nec eam, vbi hi præter naturam affecti non sint, immutare per virtutem alteratricem possunt: aliàs ex cruda existente humorum in venis mole, vbi renes imbecilli non existant, possent eam serositatem alterare, ac concoquere. vnde crudis existentibus humoribus, lotium coctionem præmonstrare posset, quod tamen experientię, & rationi contradicit. At dices: si virtus alteratrix renum non alterat, nec concoquit hoc serosum excrementum, hæc

virtus in renibus vel nulla erit,vel vana. Non profectò.im mo est virtus necessaria, & vtilissima; nam per hanc renes partem sanguinis tenuiorem,& humidiorem, quam vnà cũ serositate per venas emulgentes à magnis vasibus virtute attractricis facultatis attrahunt, pro sui nutrimento conficiunt,& alterant: serositatem autem eam non concoquunt, quia nec earum proprij nutrimenti est excrementum, nec quid ex ea in proprium alimentum accipiunt. Vnde ea cruda existẽs (hoc sit vel ob generis venosi imbecillitatẽ, vel ob materiæ, ex qua deciditur,incoctionem) nunquã potest in alteratricis renum facultatis coctionem, aut alterationẽ recipere. Locus autem ille Galeni lib. primo de crisib. in quo habet in Diabete esse extinctionem vtriusq; virtutis,scilicet & retentricis,& alteratricis, nec potest persuadere in Diabete renum facultatem alteratricem læsam esse. nam licèt ibi Galen. vtriusque virtutis meminerit, non tamen eiusdem partis virtutes recenset. nam per alteratricem eam intelligit, quæ in venoso est genere, passionem, per quam lotium crudum,& exquisitè aquosum apparet. Loquens enim de exquisitè aquosis,& incoctis vrinis, dicebat has desperatæ coctionis accidens esse: quæ venosæ naturæ passionem,idest alteratricem in summo labefactatam, significant. Si verò, subiungebat, vltra hoc,quòd vrina sit exquisitè aquosa,& cruda,etiam velociter, & confertim, sicuti in Diabete contingit, excernatur, in hoc casu qualis in leuitate intestinorum accidit,talis est extinctio vtriusque virtutis & retentricis, & alteratricis. attractricis quidem, scilicet venosi generis, cui attribuit generationem aquosę, & crudæ vrinæ; retentricis autem,& earundem quidem venarum, in quibus ob violentam renum attractionem non immoratur humiditas illa serosa,vnde commodè cõcoqui nõ potest, sed præcipuè ipsarum renum. qua labefactata statim ad expulsionẽ attractarum humiditatum insurgit virtus expultrix, quibus explosis iterum insurgit virtus attractrix,

quę

quę validè munere suo fungens à superioribus attrahēs eas partes exsiccat, indeq; sitis,& potus necessitas, qua de re per locum hunc,in quo habetur, in Diabete extinctionem adesse virtutis retentricis,& alteratricis, non audiamus ambas has virtutes ipsorum renum,quarū ne meminit quidem Galenus,facultates existere. sed ad sensum,& mētem eius rem ipsam exponentes, in Diabete extinctionem retentricis renum, & alteratricis venarum adesse intelligamus.

Curationem Diabetis explicans, post sectionem venæ vult ex intentione Aetij esse exhibenda diuretica pro expurgatione humorum imbibitorum in renibus. Hoc videtur dubium, quoniam diuretica attrahunt materiam ad renes, qui sunt affecti,cum tamen sit intentio ab ipsis diuertere. Quare satius forsan erit ab illis abstinere,nisi fortasse prius corpus fuerit expurgatum,& per diuretica non accipiamus verè dicta diuretica, sed quæ vrinam quidem prouocant, sed cum humiditate,sicuti semina melonum, & consimilia, quæ illam materiam simul contemperare possunt. *In Diabete an cōueniant diuretica.*

Balneum naturale probat pro curatione huius affectus. Aduertatur tamen, quòd si Balneum illud naturale sit balneum aquæ dulcis, potest conuenire, quia humectat corpus iam exsiccatum: sed si non sit aquæ dulcis, sed mineralis,ac facultatis exsiccantis, valde suspectum est; quia sic promptius duceret ęgrum in hecticam.& præcipuè vbi temperies esset calidæ. quòd si sit refrigeratoriæ facultatis, minus suspectum foret. *Balneum naturale an conueniat in Diabete.*

De Sanguinis renum profluuio. Cap. XCIII.

VBi sanguinolentum serum mingatur, decernit eius causam esse dispositionem renum, nō dissimilem ei, qualem in iecore dicimus, imbecillitatem. Quæ sententia vera quidem est,sed non vniuersaliter, nec semper; quoniā eadem iecoris imbecillitas,qualis & in hepaticis,& in principio hydropis fit, sæpè est in causa, vt labefactata sangui- *An sanguinolentum lotium fiat ratione imbecillitatis renum.*

tica virtute, per lotium tale mingatur excrementum, quale ipsis hepaticis euenire solet, quod est veluti lotura carnis, sicuti sæpè in actu medendi vidi, & notaui. Et in tali casu nõ renibus, sed hepati attendendum est.

De hac eadem materia loquens, signaq; apponẽs inquit, in his sanguinis saniẽ magis cruentam videri, citatq; ad huius confirmationem locum Galeni lib. 6. de locis affectis. cap. 2. In quo hoc aduertatur, ibi Galenum non loquutum esse de lotij excretione sanguinolenta, vt sentire videtur Author, sed loquitur de Alui excretionibus, quæ in hepaticis eueniunt, in hisq; ait, quòd ab initio tenuis sanguinis sanies ab hepate deijcitur, quæ sanies, vt sæpius declarauit, est tanquam carnis recenter mactatæ lotura quædam, deinde aucto malo, crassus humor fæcibus vini haud absimilis excernitur: quam rem nõ perfectè attingens Author existimauit Galenum loqui de sanguinolento lotio.

De lapide Renum. Cap. XCIIII.

Lapidum causa an sit caliditas ignea.

DEclarans lapidis renum causam agentem, inquit, eam esse caliditatem igneam. Contra hanc sententiam est Galenus lib. 6. Epid. sect. 3. commen. 15. vbi expressè habet, quòd ad generationem lapidis sufficit mediocris calor, & quòd non semper requiritur vehemens caliditas, vt exemplo patet in his lapidibus, qui generantur secundùm aquas spontè nascentes, in quibus etiam est minor caliditas, quàm mediocris. Vnde non fit mirum, si in nonullis, in quibus renes non sint calidiores, aliquando generentur in eorum renibus lapides.

Clysteria acria an conueniant in curatione lapidis renum.

Curationem exponens, & declarans, quibus clysteribus hic sit agendum, ordinat clysteria acria, quæ an conueniant, dubium est, cum dolore vrgente sit demulcendum, non irritandum.

Dubitat, quare quæ habent tepidum calorem possint lapides comminuere, & soluens inquit, quòd cum causa

lapidis fit vehemens calor, & tepidū ratione intensi caloris habeat rationē contrarij, ideò tepida tanquam contraria possunt comminuere lapides. Quæ responsio nulla est; quoniam comminuentia lapides hoc non faciunt ratione caliditatis vel multæ, vel paruæ, sed ratione incisionis, & tenuitatis partium. Vnde videmus, quòd lib. 9. de Med. secundū loc. omnia medicamenta posita à Galeno sunt calidiora, quæ, si eius ratio efficax, & vera esset, non possent comminuere lapidem, sed potius augere, cum lapis, vt ipse ponit, à valido, & vrgente calore fiat, hæc autem participent validiori, & magis intensa caliditate.

Quare quæ tepidi sunt caloris, habeant vim cōminuendi lapidis.

De Exulceratione renum. Cap. XCVI.

DVm victus rationem seruandam docet, ait, voluptatis gratia Aceti modicum his concedendum esse. sed hic aduertant iuniores, acetum omnibus vlceribus infestum esse, præcipuè autem internis; Quare ab hoc omnino abstinendum est, in gratiamq; ægrotantis, cum illi sit infestum, non est concedendum.

Acetum an cō ueniat in vlceribus renum.

De Dysuria. Cap. XCVII.

CVrationem eius dysuriæ, quæ ex intemperie frigida prouenit, docens, ordinat propriè diuretica. Quæ sententia dubia videtur, scilicet, an hæc in tali casu conueniant, antequam sit roborata vesica, quoniam ista licet calefaciant, ducunt tamen copiosam materiam ad locum affectum, qui cum sit debilis, & malè possit excernere, magis ex hac materiæ copia affligetur; quare non videtur, quòd ista conueniant, antequam sit roboratus locus affectus.

Diuretica an conueniant in dysuria.

De Vrinæ suppressione. Cap. XCVIII.

LIcèt meminerit eius essentiam, declarans de ea vrinæ retentione, in qua suppressum est lotium in partibus superioribus, non autem in vesica: nihilominus, nec eius curatio-

Lotium supprimitur aliquando supra renes.

curationem, nec causas tradit; Quę tamen omnia diligentissimè sunt animaduertenda; quoniam suppresso lotio, nec eo in vesicam descendente, licèt nec adsit dolor, nec medendi desiderium instet, casus est lethalis, & plurimi ex hoc pereunt, nisi diligens aduocetur Medicus, qui omnia circūspiciens cognoscat, & locum affectum, & affectionis causam, ac omnia opportunè administret. hoc autem prouenire solet ex renum obstructione, quæ obstructio aliàs à materia crassa, aliàs à lapidibus generari consueuit. Vnde hūc casum considerent Iuniores, & secundùm rectam methodum sumptis indicationibus opportuna adhibeant medicamenta, quæ ab Authore forsam prætermissa fuere; quoniam in hoc non habuit ducem, à quo hanc curationem transcribere potuerit. Nos autem de hoc affectu superius abundè egimus.

De lapide Vesicæ. Cap. CI.

Medicamenta descripta ad lapidem vesicæ an sint efficacia.

TRanscribit ex Aetio plura medicaméta ad frangendū vesicæ lapidem: sciant tamen Iuniores hæc tantùm efficacia esse in lapide renum, in lapide autem vesicæ inutilia fore.

De inflammatione vesicæ. Cap. CII.

An inflammata vesica sint secandæ vena inferiores.

AVthor in cura inflammationis Vesicę primò secat venam internam cubiti præter Galeni mentem locis ab eo citatis, scilicet lib. 13. Meth. & lib. de sanguinis missione. sed præcipuè cōtra ipsum lib. 6. Apho. 36. qui Hippocratem interiores venas inflammata vesica secandas docentem infestatur, si per interiores intelligat manuum venas, hoc dicens nec verum esse, nec rationi consentaneum. An autem talis sectio conueniat, forsan sunt validæ, & probabiles rationes, quibus ductus Auicenna hanc in tali casu probauit, quem author, licèt eum nominare non dignetur, sequutus est in hac sententia.

Cum

Cum ad topica descendit remedia, calida, & laxantia solum proponit administranda esse, quæ in principio, & augmento ipsius inflammationis, quo tempore inflammationem remittere, & temperare debemus, suspecta sunt; cum potius possint esse in causa, vt maior materiæ copia ad vesicam attrahatur, quàm quòd ab ea repellatur, & remittatur. Potissimum autem fugiantur talia remedia, vbi inflammatio Erysipelatis particeps erit.

Vesicæ inflammatio quomodo à principio curanda.

Subdit in huius curatione, quòd vbi insessus, irrigationes, & fomenta non suffecerint, cucurbitula circa pectinē, aut pubem vna cum scarificatione adhibeatur. In qua re hoc animaduerto, quòd hæc sententia si in sensu ab Authore prolata simpliciter intelligatur, videlicet quòd non cedente morbo administranda sit cucurbitula, nequaquam admittatur; quoniam & inflammationem exasperādo, & materiam plurimam ad locum affectum attrahendo sæuiorem reddet morbum. Et hoc præcipuè si in principio, & in augmento inflammationis; & dum adhuc materia flueret, administraretur; quo tempore docuit Galenus cucurbitulas loco affecto nunquam admouendas esse. Quòd si vnquam fieri dabitur, tunc id agendum erit, cum nihil amplius affluxerit, corpusque exinanitum fuerit, & vsus rei inflammantis vel mouendæ, vel amoliendæ, vel extrorsum euocandæ tulerit, vt ibidem monet Galenus.

Vesica inflammata an conueniat apponere pubi cucurbitulam cū scarificatione.

De Gonorrhæa. Cap. CIIII.

Signa huius recensens inquit, quòd ex eo dignoscitur gonorrhæa; quòd semen profluens aquosum, ac tenue existit. In qua re hoc notandum, quòd non semper in gonorrhæa semen est aquosum, & tenue, sed aliquando est substantiæ crassioris, & viscidæ, vt potest in his, qui ex feminis copia in gonorrhæam incidunt, sæpè videri. Quare habeatur hoc signum pro incerto; quoniam semen quò ad

In Gonorrhæa an sēper fluat semen aquosū & tenue.

ad eius substantiā in hoc affectu potest esse tenue, & aquosum, & similiter crassum, & viscidum.

Gonorrhææ curatiō qualiter administrāda.

Curationem huius affectus tradens, solum particularia docet; vniuersalia autem, sicuti venæ sectionem, purgationes, & alias opportunas euacuationes, quæ particularibus præmittendæ sunt, & quę sępè in hac affectione administrāda veniunt, omisit, earumq; indicationes nullo pacto declarauit, quæ à Medicis nequaquam negligenda sunt.

De Priapismo. Cap. CV.

In Priapismo an sit inflāmatio.

EX Aetio in hoc affectu admittit inflammationem adesse, vnde in curatione inquit, propter dolores, & inflammationes in his existentes venam secandam esse. Hic animaduerto, quòd in hoc affectu nequaquam adest inflāmatio, quoniam tumor est à flatu, & non in inflammationum, sed in flationum, vt docuit Gal. lib. 14. Meth. cap. 7. generibus reperitur: Nec est, quòd inflammationem adesse suspicandum sit, quia à refrigerantibus hæc affectio curari videatur; quoniam non ratione affectus, cum hic à frigida causa, idest à flatu, qui calefacientia, & resoluentia indicat, generetur, sed ratione causæ, quæ est nimius calor, vel arteriarum ora vltra modum adaperiens, vel in materiam crassam, & glutinosam agens, indeq; spiritum crassiorem educens, refrigerantia conueniunt, quę tamen in principio tantùm, cum in processu morbi ratione affectus postea calefacientia, & resoluentia administranda veniant, opportuna sunt. Affligit autem hic morbus non ratione inflammationis, sed ratione tensionis; vndè fit hic casus conuulsioni conformis, cuius ratione, vt in spasmo, sęuissimi succedunt dolores, aliaq; tetanicis similia eueniunt symptomata, & indè, vt in his, aliquando in patientibus priapismum mors succedere consueuit.

Quò ad causas Priapismi noui hominem, qui assumptis medicamentis Venerem prouocantibus incidit in Priapismum,

pismum,ex quo adeò ægrè habuit,vt vix saluatus maximis adhibitis remedijs euaserit.

De ignauis partibus genitalibus. Cap. CVI.

PArticularia tantùm remedia recenset, nullam habẽs rationem vniuersi corporis,quæ tamen prætermittenda non erant ; cum sæpè etiam optimis administratis ad hoc medicamentis , non succedat curatio,nisi corpus accuratè fuerit expurgatum;& præcipuè , vbi Veneris impotentia à partium languiditate,vel resolutione causata fuerit.

De mensium suppresʃione. Cap. CVII.

DVm docet curare mulieres, quæ ob plenitudinem nõ purgantur, proposita Aetij sententia,qui monebat & venam cubiti , & tali in hoc casu secandam esse . In cõtrarium adducebat locum Galeni in lib. de curatione per sang.missl. cap. 15. in quo habetur nequaquam in cubito secandam esse venam in isto casu , videlicet , pleno existente corpore ; nam sectio hęc purgationes reuellere potius, quàm prouocare,potest:quam difficultatem dum soluere nititur , diuinando exponit, Aetium intelligere id agendũ esse , vbi magna sit plenitudo , & vires copiosam non possint tolerare euacuationem, Galenum autem non adeò magnam plenitudinem , viresq; robustas supponere. Quę solutio est mera diuinatio , cum neuter viriũ meminerit, neuterq; plenitudinem qualem,siue maiorem, siue minorẽ intelligat, exposuerit. Hęc autem difficultas ita tollatur. Plenitudo vel est in causa suppresʃionis mẽsiũ,sibi vias præcludendo,vel ex suppressione mensium non expurgato corpore , subsequitur plenitudo . In primo casu, qui est casus Aetij , prius est secanda vena cubiti ad tollendam plenitudinem , quæ est causa suppresʃionis,& quę magna plenitudo esse debet,vt quæ sibi viam ob multitudinem præcludat. postmodum autem est secanda vena tali ad prouocandos men-

In suppresʃione mensium ob plenitudinẽ an sint secãdæ venæ superiores, vel inferiores,

menses. At vbi ex suppressione mensium subsequatur, non expurgato copore, plenitudo, quę non potest esse ingens, cum ex tali causa sit genita, ad proliciendos menses secandæ sunt venæ inferiores, non superiores; his enim superioribus venis in tali casu sectis, reuelluntur ad superiora, non deriuantur ad inferiora menses, cuius oppositum succedit ad sectionem inferiorum; & hęc non diminuta, sed satis cōpiosa venæ sectio ob plenitudinē causatā esse debet. Et hic est casus Galeni longè distans ab illo Aetij, vt clarè patet ex Galeni verbis loco citato, cum ait. Nam plenitudines à suppressis mensibus ortas, omninò per crura euacuabis, siue venam secare oportet, siue scarificare.

Eodem capite plures enumerat causas suppressionis mēsium, quibus omnibus tamen non correspondent curationes ab ipso propositæ, quare non fidant Iuniores hinc perfectā, & absolutā huius affectus curationem habere.

De immodica Vteri purgatione. Cap. CVIII.

CAusas immodicæ purgationis vteri recensens ponit vteri vasa disrumpi aliquando ob vehemens eiusdē vteri frigus. Quam sententiam Author hic transcribit à Galeno, qui hoc docuit posse fieri in thoracis vasibus. Hoc autem an possit fieri in vtero ipso, scilicet, vt propter vehemens eius frigus vasa, & venæ disrumpantur, videant alij, & iudicent.

Vteri vasa an possint disrumpi nimio frigore.

Curationem huius fluxionis tradens ex Aetio, & Paulo inguina constringere docet, quæ sententia examinanda erat; cum hinc sanguis motum ad inferiora accipere, & magis talem excretionem prohitare queat; perinde enim ligaturæ ad partem alligatam, ac faciunt cucurbitulæ, attrahunt: at cucurbitulæ pubi, & inguinibus affixæ, vt docet Gal. lib. 13. Meth. cap. 19. menses euocant, non sistunt. prætereà Hippocrates, & Galenus semper docuerunt ad superiora in superfluis mulierum purgationibus sanguinē,

Mensibus fluētibus an sint cōstringenda inguina.

vel

vel per cucurbitulas, vel per frictiones, vel per ligaturas superioribus partibus administratas, reuellendum esse.

Causas, & curationes tradens, eas tantùm proposuit, quæ ratione viarum, & vasorum eueniunt, eas autem, quæ vel ratione sanguinis, vel ratione virtutis contingunt, superfluas purgationes nec animaduertit, nec curandi modū docuit: hæc autem duo animaduertant Iuniores vltra proposita ab Authore, vt perfectam huius simptomatis curandi rationem assequantur.

De Muliebri profluuio. Cap. CIX.

EX Paulo plura muliebris profluuij apponit signa, quæ nec propria, nec inseparabilia sunt; Vltra enim sensū, & patientis relationem, nihil certi haberi potest; quoniam aliæ mulieres ex hoc affectu deterius, aliæ mitius habent, & aliæ nihil indè detrimenti, præter incommoditatem, & sorditiem locorum, vt pluries vidi, persentiunt.

Muliebris profluuij signa.

Curationem tradens, expurgationem materiei peccantis administrandam esse docet.; sciant tamen Iuniores, nisi membro, quod est in causa generationis humoris superflui, prospiciamus, incassùm curatio vtplurimum tentabitur: quare pro absoluta curatione attendant, & dignoscāt, quod sit membrum illud, cuius ratione excrementa generantur, & huic prospiciant, hinc enim præuenient, nè in corpore superfluitates aggregentur, quibus cessantibus facilè superflua purgatio curabitur, & cessabit.

Muliebris fluoris curatio quo modo absoluenda.

De Vteri suffocatione. Cap. CX.

ESsentiam huius affectus ex Paulo declarās inquit hūc esse vteri recursum ad superiora, subditq; ex Galeno in hoc affectu modò, sursum, modò in latus, vterum retrahi; Pro quo animaduertatur, Galenum non dixisse hunc affectum consistere in hac retractione, nec asseruisse in omni vteri suffocatione adesse hanc retractionem: imò ipse quærens,

Vteri suffocatio an consistat in vteri retractione.

rens, cur vterus in hoc affectu modò sursum, modò ad latus retrahatur, subiungebat, Aut cur, ipso in sua sede sæpe numero manente, nihilominus mulieres quædã ab hystericis accidentibus corripiantur. quod idẽ inferius declarans dicebat hoc esse, dũ à retento semine causatur suffocatio. Quare nec hic affectus erit morbus in situ, cũ nec in hoc situ cõsistat essentia eius, nec à situ ipso malè afficiatur corpus.

In vteri suffocatione quare mulieres refrigerentur.

Quærens Author, quare hystericarum mulierũ corpus refrigeretur, huius causam refert ad menstrua, vel ad semen ipsum refrigeratum, vi cuius vniuersum etiam refrigeretur corpus. At intemperies nulla subitò introduci potest, præfocatio autem subitò causatur. Præterea si ab hac causa hoc fieret, semper pro resolutione huius affectus necessaria esset vel mensium prouocatio, vel seminis effluxio; at neutrum horum sępè euenit, cum tamen soluatur affectus. Quare non ab intemperie, vel seminis, vel mensium, sed à venenata, & praua eorundem qualitate, vt Galenus diffusè docet, hoc gignitur. refrigeratur enim corpus non ab intemperie nuda, sed à venenata qualitate, quæ hac donata est facultate, vt corpus vniuersum refrigeret, sicuti à scorpionis ictu, à proprietate succedit, vt grãdine corpus percuti videatur, sicuti & nõnulla alia venena cõsequitur à proprietate, vel refrigeratio, vel incendiũ in corpore infecto.

De Mola Vteri. Cap. CXII.

Molæ essẽtia, & signa.

DVm molæ signa exponit, confundit signa verę molæ, & signa tumoris duri, & scyrrosi ipsius vteri, cũ hæc ipse ex diuersis transcribat Authoribus, qui molam non in eodem significatu, sed diuerso acceperunt. Alij enim per molam veram molam, alij tumorem vteri scyrrosum intellexerunt. Quare hoc aduertant Iuniores, ne ex oppositis signis decepti molæ veram coniecturam assequi nequeant.

Molæ curatio qua esse debeat.

Molæ curandi rationem tradens videtur ponere curationem non molæ propriè dictæ, sed duritiei vteri, sicut arbitratus

tratus est Paulus, & ideò prohibet motum, iubet situm elatum ad pedes, & alia similia, quæ in mola vera curanda nō solū nō sunt fugienda, sed etiā summopere agēda, & procuranda; & ideò quò ad curā videtur procedere contra sua principia, cū declarās quid esset mola ex intētione Galeni, & Arist. docet hanc esse carnem informē in vtero genitā.

Mola curatio, quæ esse debet.

Cum ex Galeno declaratur, molam esse carnem informem, quę in vtero gestatur, non intelligatur eam omni forma carere, sed humana tantùm. Quoniam ipsius molæ variæ, & incertæ sunt formę, & differentiæ. ego enim vidi alias molas obductas, & intertextas multis fibrosissimis ligamētis, quæ duræ quidem erant, sed adeò viscidæ, & tenaces, vt gladio nec cederent. Alias vidi molliores, his ligamētis carentes, quę tamen erant fibrosissimæ, & hæ omnes aliquādo orbicularem, aliquando angularem, aliquando oblongam, aliquando rhomboidem, & diuersam habebant figuram. Alias inspexi, quę præter velaméta exteriora nullis fibris intertexta erāt, hæq; verè parenchyma dici potuissent, nec vllam propriam receperant figuram. Alias vidi, quæ quādam rudi similitudine nonnulla animalia bruta, ad quorum conformitatem formatæ videbantur, repręsentabant, quæ tamen tantùm vegetatiua anima donatæ erant. Alias autem ad similitudinem alicuius humani membri delineatás animaduerti. pręcipuè autem noui honestam, & nobilem mulierem, cum, doloribus instantibus partus naturalis expectaretur, tres molas ad similitudinem pudendi virilis formatas peperisse, quarum vna erat notabilis magnitudinis, naturalem quantitatem colis humani excedentis; reliquæ duæ erant minores, hæq; nullis adinuicem communicabant ligamentis. Vndè pateat, cū habet Galenus, molam esse carnem informem, non de omni, sed tantùm humana intellixisse forma.

Mola quomodo intelligatur esse caro informis.

An autem cum humana forma possit esse mola, dubium videtur propter historiam ab Hippocrate narratam lib. 2.

Mola an possit esse cum humana forma.

Epid. in qua habetur Antigenis coniugem puerum carnosum mẽbris discretis crassum, rotundũ, exossatum, digitorũ quatuor peperisse. nã talis puer nõ poterat esse naturalis partus, cũ sine ossibus (quib. eo carẽte, nec cerebri, cordisuè tutela, nec corporis firmitas, nec musculorũ actio roboruè aderat) superuiuere nõ potuisset. Qui partus si pro mola nõ habeatur, videant alij, an pro monstro sit recensendus.

Molam aliquãdo mulieres parere vnà cum naturali partu.

Molam quidem solã non tantùm mulieres peperisse vidi, sed etiã eas aliquando vnà cum naturali partu ipsam exclusisse noui, quod duplici via factum animaduerti. aliàs vno, & eodem tempore cum fętu emissam inspexi. aliàs verò post aliquot dies à puerperio excretam cognoui. à partus autem naturalis imissione intermedijs diebus hoc factũ est, vt mulieres hoc patientes doloribus continuis affligerẽtur, & tumor ventris in eisdem admodum insignis esset, ita vt puerperium non præcessisse existimares. Has autem molas per superfętationem quandoq; genitas opinatur Hippocrates, qualẽ huiuscemodi lib. 2. Epid. in coniuge Gorgiæ Larissei factam fuisse enarrauit.

Molam per superfœtationem gigni.

Hippocrates in libro de fęminarum morbis asserit, in his mulieribus, quæ molam concipere, nec aliquid moueri in vtero, nec lac in mammis procreari, attamen experientia mihi oppositum testata est; quoniam in his, quæ molam gestarunt, vidi, & persensi motum molæ, & lac in mammis generari animaduerti. Nisi forsan intelligat Hipp. de motu illo blando, quo naturalis mouetur partus, & quo verò non mouetur mola, cum motu graui tantùm, & quadam extensione moueatur, & de lacte etiam naturali, & perfecto intelligat, qui verè non generantur in habentibus molam, cum potius in his sit ichorosa, & lacti similis materia, quã verum ipsum lac.

Molam concipientes an habeant lac, & an sentiant q̃d in vtero moueri.

Author prognostica molæ recensens, inquit ex Paulo, cum hic intenditur affectus, in aquam subtercutem degenerat. sed non animaduertit Paulum loqui de tumore vteri

Molæ an succedat hydrops.

scyrroso,

ſcyrroſo,ad quem ſæpè,cum inueteratus fuerit, ſolet ſuccedere refrigerato hepate per conſenſum ab ipſo vtero hydrops,non autem de vera mola,ad quam nullus ſolet ſubſequi morbus, ſed vnà cum vita in multis mulieribus antiquatur, & conſeneſcit. hinc nonnullas vidi per plures annos molam geſtaſſe, quæ nihil ex ea paſſę ſunt, præter moleſtiam,& incommoditatem ex tumore ingenti cauſatã, nec ex ea perierunt,nec vllo morbo earum ratione laborauerunt, cum tamen & quartum, & quintum annum eas ſuperuixiſſe,nouerim.

Vltra molam,& alios conceptus non naturales in vtero factos,vidi etiã lapides genitos;præcipuè autem noui Monialem non clauſtratam in primo ſenio conſtitutam,dũ per plures menſes vterinis fuiſſet cruciata doloribus, qui nullo vnquam medicamento leniri potuerunt, tandem eieciſſe ſponte, nulloq; adminiculante per pudendum lapidẽ ſcabroſum, magnitudine, & forma oui anatini, quo eiecto ceſſarunt dolores:attamen ſuperueniente ex vtero fluxione putrida, & corrupta, demum conſumpta,& emaciata miſerè vita functa eſt.Meminit etiam Hipp. de lapide genito in vtero lib. 5. Epid.in Dyſeridis ſerua,quæ tamen eiecto lapide,qui ad fuſi verticilli conformitatem creuerat, non in deterius lapſa eſt, ſed conualuit.

Lapides generari in vtero.

De partus difficultate. Cap. CXIIII.

DVm ponit cauſas difficultatis partus ratione patientis,inquit,quòd ſi oſſa pubis nimium cõferta fuerint, quoniam in partu dilatari non poſſunt, pariendi difficultatem faciunt. Quam ſententiam,licèt tranſcribat ex Aetio, tamen nõ eſt cogitandum hanc veram vllo pacto eſſe;quoniam oſſa pubis in partu non dilatantur, tum quoniam nõ facerent ad facilitandũ partum,cum ſint ſupra os vteri,tum etiam quia à ſe inuicem non poſſunt dilatari,niſi per maximam violentiam: nec poſſunt ſeparari,niſi per diuturnam

Partus difficultatem an faciant oſſa pubis nimium cõferta.

coctionē, ex quā liquescant ligamēta: quòd cū sit, nō est existimandū, quòd in partu, vel per virtutē naturalē, vel per compressionem mulieris ista ossa abinuicem dilatentur.

De secunda derelicta. Cap. CXV.

Secunda derelicta post partum an sit negligenda.

PRæmissis ad secundæ eductionem plurimis medicamētis, & experta manus opera, inquit, si nec sic educta fuerit, perturbari Medicum non oportet; intra paucos enim dies putrefacta, & in saniem dissoluta excidet. hoc autem ex Paulo transcripsit, cui consentit & Aetius, qui ambo hanc sententiam à Philumeno desumpsere. Sed animaduertant Iuniores, nunquam hunc affectum spernendum esse, nec paruifaciendum, sicuti hæc sententia docere videtur; quoniam hinc certa subsequitur mors: nec vera est hæc sententia, quòd intra paucos dies putrefacta facilè excidat. immo dum putrescit, febres ingentes, & aliquandò malignas in puerperis inducit: à quibus dum expectatur, quòd excidat secunda, mors eiusdem sæpenumerò ineuitabiliter succedit.

Secunda putrescente excreta post paucos dies quid successurū sit.

Animaduerto tamen quandoq; quidem in puerperis secundam iam putrescentem, & adeo malè olentem, vt astātes vix eius odorem tolerare queant; infra paucos excidere dies, siue hoc opere naturæ, siue artis beneficio contingat: sed cum eius retentione, & putredine malè iam fuerit vterus mulieris, ac eiusdem corpus affectum, non ita vtilem esse tunc temporis ob labem ex ea contractam, eiusdē excretionem. quare pro prognostico consideret Medicus statum mulieris. si enim excidente secunda, nec febris, nec symptomata, quæ eius retentionem consequuta sunt, quierint, sique præcipuè adhuc totum malè oleat corpus, signum est confirmatæ putredinis, & futuri exitij. si autē febris quiescat, symptomataq; cessent, nec vllus malus odor remaneat, indicium erit vtiliter secundam excidisse, salutemq; puerperæ sperandam esse.

De

De Vteri inflammatione. Cap. CVI.

VIctus rationem in Vteri inflammatione seruandam exponens ait ex Paulo; à cibo per triduum abstineant. In qua re hoc moneo, hunc cibandi modum transcripsisse Paulum ab aliquo Methodico; hi enim hanc formam cibandi seruabant: vnde à Galeno diatritæi vocabantur. Hoc non animaduertens Author iste eandem formam cibandi proposuit, à qua tamen abstinere consulo, cum hoc ex Diametro opponatur Galeno, & Hippocrati: qui in augmento, & statu tenuiorem victum seruandum esse, quàm in principio, docuerunt, vltra id, quod nostra ætate talem formam cibandi non admitterent, nec tolerarēt patientes absque maximo discrimine, cum homines nostrorum temporum sint assueti sæpius, & plenius cibari. *Vtero inflammato an inedia per triduū conueniat.*

De Ischiade. Cap. CXVIII.

CVrationem, & modum conficiendi sinapismum tradens, docet sinapi aceto macerādum esse: sed aliàs monuimus, quid de hac re sit sentiēndum, & qua forma sinapismus parandus sit.

Absolutam doctrinam de Ischiade an tradiderit, ex his appareat, quæ in superioribus in capitibus proprijs de Ischiade monuimus.

De Arthritide. Cap. CIX.

TRadens eius Arthritidis, quę ex sanguinea fluxione pēdet, curationem, secandamq; venam docens, inquit, in brachio secandam eam internam esse, quæ ex directo sit loci patientis. hac non apparente mediam: quòd si manus dextera dolore infestetur, venam, ait, in dextro crure secabis. Cuius sententiæ pars vltima perpendenda est; quoniam si in dextro crure est affectio, licèt dextra manus dolore infestetur, non tamen in eodem crure videtur se- *In arthretide quæ vena secanda.*

candam esse venam ; cum hinc magis attrahatur materia ad locum affectum, quàm ab eo diuertatur. Cumq; ex Galeni sententia in loco affecto non sit secanda vena nisi inueterata passione, cumque non reuellendum ab eo, sed euacuandum est.

In artbride biliosa, aut pituitosa quoniam est seccãda vena.

Dum docet curare fluxiones bibliosas, & piruitosas, nõ admittit venæ sectionem, nisi huiuscemodi humores sanguini sint commixti. At ex Galeno scopi mittendi sanguinis non à materia peccante, sed à magnitudine morbi, consentientibus viribus, & ætate sumuntur. Quare in omni fluxione stante magnitudine morbi, vbi nihil sit contraindicans, semper secetur vena, vt aliàs secundùm Galeni mentem agendum esse monuimus.



A.

Conta-

Fe-

Febris

I

Macu-

Rabien-



Errata maioris momenti ita corriges.

Fol.	Lin.	
14	14	sine debet legi siue.
15	26	corrumpuntur corrūpunt.
16	25	& in proprio. vt in proprio.
16	30	qualitatemq; qualitateq;
17	5	continua fit. continua sit
17	4	vt sicuti sine alimento. sicuti nec sine alimento
20	4	orationeq;. rationeq;
26	3	plotenitis. phrenitis
29	24	quam autem. quā autem.
32	7	educandi bilem. educendi bilē
32	8	illa temperies. vlla temperie
34	32	phagedina. phagædena
37	37	superfluitas. superfluitateq;
39	29	homini, & omnibus. homini, & non omnibus
41	20	huic enim. hinc enim
41	25	non quia. non quin
42	14	eiusdem humiditatis. eiusdem, in humiditates
46	7	de ephemera hectica. de ephemera, & de hectica
50	8	quanto corde. quanto cordis
52	30	circa cor. circaq; cor
58	19	concéperit. concéperint
71	1	defflabilis. difflabilis
72	8	sunt actiones. sunt actionis.
73	10	contingit. contingat.
76	14	pastioris. pautiores.
76	25	plitisis. phtisis
78	4	febres cum periculis. febres cum peticulis
78	25	efflatu. afflatu
77	28	quoniā omnia. quoniam non omnia
78	12	ita etiam ex morbis. ita etiā qui ex morbis
78	15	quam possunt. eam possunt.
78	33	cum periculis. cum peticulis
82	9	ex gesipio. ex gosipio
83	33	pronam. prauam
87	14	plitoram. pletoram
88	22	corpora potentia. corpora patentia
94	3	& in quantitatibus. & in qualitatibus

Fol.	Lin.	
95	6	aplica. aphta
95		parotis pestibus. parotis pestilens
107	31	Si autem. Hi autem
126	20	sit inexhausta. sitis inexhausta
138	26	ille non. illi non
140	19	ad intra si. ad intra se
154	19	obstructiones prauæ. obstructiones paruæ
155	26	euitentur. euententur
175	13	longiori temperie. longiori tempore
193	2	confirmationem. conformationem
194	18	Chymistus. Chimistas
195	11	quod ipsa. quo ad ipsa
201	2	non curanda. non veniunt curanda
202	10	recipiat. respiciat
202	12	infestat. insultat
202	30	roborata corde. roboratoq corde
204	30	cōsequi debet. cōcoqui debet
205	28	circa manum. circa mamam
205	25	euantem. æuanthem
208	7	eductæ. educta
213	27	temporis æstiuis. temporibus æstiuis
229	19	arteriæ caretidis. arteriæ carotides
229	28	siue arteriasq;. siue arterias carotides, siue vtrasq;
231	5	apoplexiæ luberimus. apoplexiæ habemus
233	4	copiose educat. copiosè educatur
234	5	in Mitone. in Metone
234	14	in morbi progressus nonnullos. in morbi progressu non nulla
261	6	occolluerint. occalluerin.
270	21	morbis magnis laborare. morbis magnis liberare
271	15	imposibiliter. insensibiliter.
273	32	com. 51. com. 11.
280	21	acuto cancro. aucto cancro.

Fol.

Fol. Lin

285 23 & in his fæcibus. & in his faci lius

290 27 finapi puatibus. finapi ſħi icib.

298 5 ventriculi frigidæ. ventriculi, & pro eodem roborando ad- miniſtrentur ea, quæ in intẽperie ventriculi frigidæ

298 22 olei cum vitro. olei cum nitro

306 17 hoc tamẽ ita. hoc tamẽ nõ ita

317 9 quandoq;.n vix. quãdoq; vix

323 3 quoniam in. quantum in

343 21 humores corruptionem. humores in corruptionem.

345 20 virus per mortem. virus per morſum

355 26 aliquibus ſuccis. a liquidis ſuccis.

369 21 ægerq; nullo modo. ægerq; nullo commodo.

369 33 pillulæ de vitro. pillulæ de nitro

375 23 Amulcta. Amuleta

375 25 Topyrus. Zopyrus

377 22 nunquam ab intentione. nunquam ab inanitione

384 24 radicis Ilu. radicis Cinæ

385 18 cum hæ acutæ fuerint. cum hæ auſtæ fuerint

392 22 obruuntur, & languent. obruuntur, & langueat

412 11 vniuerſalibus particularia ſunt præmittẽda. vniuerſalia particularibus ſunt præmittẽda

426 1 ſpecterũ ſubdit. ſpecterũ ſubet

468 6 ſiccuſio pulmo. ſiccefcit pulmo

469 16 agens ad. agens de

469 33 non conferentibus docet. non conferentibus non docet.

470 31 alij enim ſunt parui, & tremuli, alij ſimiles ipſi palpitationi. Alij. n. ſunt parui, & tremuli. Alij magni, & cũ ſaltu quodã, alij cum palpitatiõe alij ſimiles ipſi palpitationi.

495 34 extra pòdicem. extra podicem

499 20 cuius ratio. cuius ratione

501 19 Alias ex cruda. alias cruda

502 11 in alteratricis. vi. alteratricia

506 29 Docentem infeſtatur. docentem inſectantur

512 8 Quar: hyſtericarum. quare hyſtericarum

513 18 intexta. interextæ

514 29 qui veri non generaptur. quod verè non generatur.

518 6 beliofas. bulloſas.

SERIES CHARTARVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL.

Omnes ſunt Quaterni, prętér †, qui eſt Ternio.



SERIES CHARTARVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL.

Omnes ſunt Quaterni, preter †, qui eſt Ternio.





